Pretiosa margarita novella de thesavro, ac pretiosissimo philosophorvm lapide / [Petro Bono Ferrariensi autore] Artis huius diuinae typus, et methodus: collectanea ex Arnaldo, Rhaymundo, Rhasi, Alberto, et Michaele Scoto; per Ianum Lacinium Calabrum nunc primum, cum lucupletissimo indice, in lucem edita. - Copy 4

Contributors

Lacinio, Giano.
Boni, Pietro Antonio, of Ferrara.

Publication/Creation

[Venetiis] : 'Aldi fil,', 1546.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ead7e9n3

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

3607 41
N. VI. 8
LACINIUS 16 (Garnis)
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 840
COLLECTION

Lettre
20 mm. 20.2 mm.
16 mm. BL
Hss.

LB. 3575

70629

PRETIOSA MARGARITA NOVELLA DE THESAVRO, AC PRETIOSISSIMO PHILOSOPHORVM LAPIDE.

Artis huius diuinæ Typus, & Methodus: Collectanea ex Arnaldo, Rhaymundo, Rhasi, Alberto, & Michaele Scoto; per Ianum Lacinium Calabrum nunc primum, cum lucupletissimo indice, in lucem edita.



Cum priuilegio Pauli III. Pont. Max. & Senatus Veneti ad annos decem.

M. D. XLVI.

PIERIVS ROSEVS CANDIDO LECTORI.

H oc opus humano triſtem de corpore morbum
Propellit, bilis quem male ſana parit:
S eruariq; docet pulchro cum flore iuuentam;
Et ſenij placidos uſque uidere dies.
S i quis iuſſa ferat dijs adſpirantibus; omnem,
Quam ſimulabit, ouans pauperiem fugiet:
H ic latitans miſeris poterit ſuccurrere egenis,
Et ſupplex magno reddere uota Ioui.

IDEM.

P ro lucro duri qui iam ſubiere laboris
Omne genus, Calaber hoſce ualere iubet.
A uriferum cernis ſtudium? mirabere. librum
Hunc qui non habeat, nil habuiſſe putes.

HIPPOLYTI FANTOTII DELPHICI PERVSINI HENDECA-SYLLABON.

A rs diuina malis diu magistris
Indignam male passa seruitutem
Cæcis delitui gemens tenebris.
Ad claros studijs uiros, & usu
Illustres redeo gradu citato
Tandem suppetias petens, opemq;.
Cunctantur miseri. misertus unus
Afflictæ lacrymas, uicem dolensq;;
Et sordes, habitumq; non herilem
Ornatu decorat graui Lacinus.
Monstrat, omnibus afferens micantem
Lucem, quid ualeat meæ potentis
Naturæ studium. meo Therapo
Quale iudicium, eruditionem
Donarim, poteris uidere lector.
Is, quod Gebber habet, Bonus, quod ipse
Huc spectans tot habet libris Rhamundus,
Descriptum Methodo breui reponit.
Magno mehercule dignus est honore,
Quo doctore uirum per ora mittor.

IANVS LACINIVS CALABER PSYCHRONEVS MINORITA LECTORI SALVTEM.

VM oppositorum lector optime (philosopho teste) eadem sit disciplina, & ipsa iuxta se posita magis elucescant. Ideo non tam laudabilem profecto, atque expetendā esse liberalitatis uirtutem, quàm turpe, atque execrandum esse auaritiæ crimen. quod hinc facile percipi potest. Nam quemadmodum eos, qui se non tam sibi, quàm patriæ et amicis omnibus in lucem editos esse existimāt, quique etiam non modo curam omnem atque industriam, uerumetiam uniuersas facultates, ad publicam bonorum utilitatem conferunt, omni penitus laude dignissimos facile cēsemus. Ita ij qui propter insolentiam quandam, & immoderatam habendi cupiditatem totius interim iustitiæ, atque humanitatis immemores, conditis thesauris, sibi tantum student, suasq; res tantum agunt, tam sunt inhumani & immanes atque harpyis similes, ut infamiæ notas subire & in omnium hominum sermonem, ac uituperationem uenire meritò soleant. atque ijdem, qui uel partis diuitijs, uel inuentis opibus ita submerguntur, ut non tantum ijs quibus maxime prodesse debent, ea non communicent, uerum buffonibus quàm simillimi, nec sibi ipsis satis unquam sunt commodo. Vnde hoc execrabile uitium, quanto magis est contra naturam boni, generisq; humani societatem, eo fortius liberalitatem esse optimam arbitramur. Quo fit ut cum ex Gallia Cisalpina Patauium redierim illa doctissimi uiri Boni Ferrariensis quæstio luculentissima, de alchimiæ possibilitate atque

ueritate mihi sese obtulerit. In qua adeo docte & exquisite, ita subtiliter, copiose & accurate disputatum est, ut nihil quod ad eam rem pertineat derelictum, nihil indiscussum, nihil non plene satis probatũ offendas, quod tandem nulli, nulli ex omni numero fecere priores. Hæc siquidem discepta=tio, non solum illis, qui huiusmodi studij genere delectan=tur, erit (iudicio meo) non iniucunda, nec ingrata. Ve=rum etiam illis qui huic scientiæ & arti continue aduersari solent, & auro gemmisq; longe pretiosior existimabitur. Merito igitur in idem auaritiæ crimen, (quod à me longe sem per abfuit) incidissem, si aut diutius clarissimæ huic rei tene=bras obduci permitterem, aut nostri temporis philosophos, (siqui sunt, qui perpauci tamen sunt) tam excellentis inge nij indole, & doctrina, non sine magno illorum incommo=do, ac denique disciplinarum omnium genere spoliatos atque orbatos, æquo animo ferrem. Itaque ne ab ijs, qui huius=modi doctrinæ studium & opera dicarunt, illiberalis siue inhumanus iure haberi possim: sed potius quantum in me est non solum mihi, sed etiam alijs prodesse ualerem, collecta=nea quædam ex Raymũdo Lullo, ex Arnaldo de Villa Noua, ex Michaele Scoto & Rhasi, Diuo Alberto & alijs huiusce classis & multarum lectionum uiris, una cum Bono Ferra=riensi in publicum ire & ad communem utilitatem nunc in lucem mittenda curaui. In quibus quidem nihil quod non egregie eruditum, non excellens, non absolutum sit offendes. Etenim tanta est horum philosophorum (præsertim & Boni Ferrariensis) rerum cognitio. Tam incredibilis rerum copia ac diuina propemodum dicendi uis, ut Bonum ipsum omnibus alijs præponendum & longe principem non dubitauerim. Nullum denique satis admiraturum putem, cum quis eum legerit senseritq; aureum illud philosophiæ flumen effundere.

Nam is si occultos atque abditos philosophorum sensus conetur explicare: quis hoc homine subtilior? siue huius profundissimæ disciplinæ uelit rationes reddere, & illius ueritatem accuratissime demonstrare; quis illo doctior? quis clarior? quis denique præstantior erit? unde nõ sine rationis causa in frontispitio titulus sit affixus. Pretiosa Margarita nouella. Et uere nouas ac preciosas fert Margaritas, non obscuras, non ambagibus denigratas, ut aliorum ferè omnium, huius tam eminentis scientiæ & superexcellentis philosophiæ partem, facile erit uidere monimenta scriptorum: qui adeo obscure & tetrice illam pinxerunt, ut nullus aliquando comprehensurus ea penitus uideretur. At non illos sequutus est Bonus noster sed ita docte, ornate, & splendide, in doctrina Peripatetica & Aueroica, necnon in terminis notissimis, non modo possibilitatem & ueritatem, sed eius necessitatem, studiosis omnibus, demonstratione propter quid & potissima demonstrauerit. Cuius ipse rationes & opera non sine magno labore in unum collegi, & quoad potui, eluciaui, purgaui, auxi. & in optatum candorem redegi. Optarem meam hanc diligentiam, seu potius curiositatem, non fore studiosis inanem, aut doctis ingratam. Sed qua pietate fortuna quadam, seu fato quodam impellente erga studiosos omnes sumus, eadem nunc & charitate tenebris eruta opera, quæ diu lucem optarent, læto uultu suscipe, hylarem piumq; restitutorem complectere sinuq; tuo foue. Cui pro tanto munere immortales agere gratias ne desinas. Tibi igitur persuasum uelim, ut die noctuq; in ipsius lectione uerseris. Quod si opus gratum fore cognouero, cũprimum aliquid ocij nactus fuero Methodum in omnes libros diui Rhaymundi Lulli expecta. Vale.

Colloquium nuncupatorium. interloquutores
Bonus & Lacinius.

Bonus. ONSVEVERVNT omnes mi Laci-
ni qui in uarijs literarũ studijs præclarum
c aliquid & memoratu dignum ediderunt
uel editum instaurarunt, purgarunt uel
auxerunt, illud ad communem studioso-
rum utilitatem in lucem dare, ut id posteris optime hu-
manis actum sit usibus. Cum tu igitur labores meos unà
cum bonis auctoribus collegeris, locupletauerisq; : ne per-
mittas oro ut sic perpetuo sub puluere delitescam, sed da
operam ut meis & amicorum omnium uictus precibus in
publicum unà cum Árnaldo, Rhaymundo, atq; alijs exeam.
Vt doctis omnibus nunc pateat quanta lux omnibus alchimiæ
auctoribus sit addita, quantusq; splendor illis accesserit.
Lacinius. Quanquam multæ fuerint auctoritatis antiqui,
multæq; doctrinæ, fateor tamẽ nihil esse tam ornatum quod
expoliri non possit & nihil tam plenum quod incrementum
recipere non ualeat: sed quia ab eruditissimis hominibus no
bis præmonstratum atq; seruatum est, Argumentum quod-
libet recte dicari Pontificibus aut principibus, uel illi potissimũ
offerre, à cuius benignitate laborum suorum cumulatissimã
mercedem uel degendæ uitæ leuamen aliquod sperant. Deli-
ge quem uis cui te in munus offeram, uel sub cuius nomi-
ne tutũ hoc opus exire ualeat. Bonus. Solent non nulli quod
tu narras seruare, existimantes eorum opera summo haberi
in precio si Pontificibus aut Regibus fuerint dicata: aliqui ue
ro metuẽtes erga nuper suos natos libros quorundã insolentiũ
morositatem, qui priusquã degustent reijciunt et aspernãtur,

præfigunt hi in frontispicio sui uoluminis summorum principum elati supercilij titulum, sperantes ab illis hoc istud saltē impetrare ne male conciliati hi damnent, ne fastidiant, ne conspuant, ne deniq; aspernantur antequam legerint: qui planè mihi nō tam largiri uidentur quā sperata cūipsis quadam magna cōmutatione astute, calidéq; mercari, præsertim cū nec ipsos lateat eos quibus dicauerint nusquam uisuros aut lecturos. Nulla igitur ex parte hæc tam uulgata consuetudo mihi aliquādo persuadere potuit, ut me principibus, aut Pōtificibus quauis ex causa nuncupares. Lacinius. Existimo, quod sine tali præsidio, insolentiam inuidorum, auarorum blasphemias, sciolorum risus, mercatorum calumnias, & denique illorum omnium maledicentiam, qui sibi ipsis tantum sapiunt, ut cunctis, quæ ipsi non probauerint nasum & os cōtorqueant, uitare minime poteris. Et sic maleuolorū omnium aculeos perhorrescens cymerijs sub umbris perpetuo delitesces. Bonus. Hoc quæso tu ne cures, latrant enim canes pro natura & consuetudine sua, & tunc latrare desinent cū desinent uiuere. Quid quæso latratus istorum cuiquam obesse poterit? nonne uulgatissimum semper fuit improbos homines uiris probis uel propter inuidiam uel propter dissimilitudinē solere latrare? Et tamen ille probus semper habitus est, quem peruersi maxime improbauerint. Ego certe ab iniquis quibus uis uerbis mallem quam reipsa uituperari. Nō igitur est curā dum quid nobis homunculi sed quid uiri probi, neque tantū quid uiri, sed quid ueritas ipsa loquatur. La. Si te alicui magno principi dicauero cessabunt forte obloqui ac latrare. Bo. Frustra siquidem laboras, si credis quauis autoritate perditos istos loquaces emendare, qui si Deo, uenenoso suo ore nō parcunt, quo nā pācto nobis parcent? Noli quæso tu ad tam

leuissimam uulgaris susurri auram, à bono tuo proposito desistere. Laci. Quis scit si recipiemus ab illis nostrorum laborem mercedem, & erunt nobis degendæ uitæ leuamẽ? Bo. Ita pensitauit Aurelius Augurellus cũ suã chrysopeiam Leoni decimo pontifici maximo dicauit ab eo (munifico quidem ac liberali) aliquod ingens munus expectans. at is Augurello ex uiridi serico marsupium dono dedit: qui color spem uulgo futuram indicat. Lacinius. Perbelle, sciteq; fecit pontifex, Nam si philosophorum lapidẽ fecerat Augurellus, alienis nõ indigebat opibus, quando ipse omnium esset ditissimus. sed mi Bone, qui diues est, amicis etiam indigeat oportet, Igitur mihi obtemperes uelim, ut illis saltem quorum beneficijs adstringor, tali munere impertiam. sunt etenim multi quibus non modo mea omnia, uerum memetipsum debere cognosco, quo excellẽtissimo munere ipsis longe carissimus ero. Bonus. Falleris me hercle, nam si tu, quempiam in hoc negotio publice uocare præsumpseris, eundem tibi ex amico inimicum comparabis. Nunc ne nosti eos omnes, qui hodie huiusmodi artem exercent cauere ne aliquo modo innotescant? Laci. Heu. prophanam igitur facis artem? Bonus. Idiotæ isti cũ sint, idiotarum habent opinionem, sed ars ipsa sancta est, & quam non nisi puros ac sanctos homines habere licet. nam ut diui Thomæ utar sententia, Ars ista uel reperit hominẽ sanctum, aut reddet eius inuentio sanctum. Laci. Non sic aiũt moderni nostri, sed dicunt non tantum religiosos omnes: uerum nec uiros probos illa decere. Bonus. Et tu quoque horum uulgarium sequeris uocem atq; opinionẽ? Laci. Vulgarium? optarem siquidem, sed ut uideo, communis & fere omnium est sententia. Bonus. Insanis me hercle, & mihi hæc tua contentio bilem excitat (nisi de sophistis fiat ser

mo apud eos) qui quidem non alchimici philosophi censendi sunt, sed fures atq; latrones: qua propter uulgus iners atq; ignarus alchumistæ nomen, perditis istis simul atq; philosophis confundit, qui sicut distat lux à tenebris, uerũ à falso, Deus ipse à mammona, bonum à malo, sic isti inter se minime cohærent et ueluti cacodæmõ spiritus angeli nomẽ adhuc retinens, nihil cum beatis illis spiritibus, commune possidet in re, nisi forte nomen, sic itidem isti empyrici sophistæ, falso sibi nomen usurpant, qui quidem suis latrocinijs artem hanc sanctissimam fecere fabulã uulgi. Nam uera et nunquã satis laudata, alchumisticæ transmutationis operatio maleficis istis nullo pacto conuenire potest. sed ijs tantum, qui semper uiri probi ac deo dicati habiti sunt. Nonne antiquo illo seculo sanctus fuit Hermes ille ter maximus (ut fertur) artis huius inuentor? sed prætereo antiquos omnes, quia uix sufficeret dies si omnes memorare uelim, sed hos tantum recentiores theologos in mediũ adducã. Ioannem scilicet Damascenũ in primis uirum religiosum ac sanctum, necnon & theologum insignem, Albertum cognomento magnum, Diuum Thomã, qui quantum doctrina & sanctitate claruerunt, ostensione nõ indigẽt. uide adhuc & Rogerium Bacconitanum, Haymonem, Raymundum Gottifredum theologos excellentissimos. Ioannem Ticinensem episcopum Reuerendissimum, Garsiam Cardinalẽ & alios quos Vincentius historicus inter alchimiæ autores enumerat: Fratrẽ Helyã, fratrem Guilielmum, Riccardum, Petrum de Iliaco, Morienum & quamplures alios claustrales atque theologos egregios, quos ne tibi sim tædio silentio inuoluam, horum etenim opera & labores in hac arte latissime patent. Quid de Vincentio historico, uiro religioso & undique doctissimo referam? qui non dubitauit in

bet namq; christiani omnes quacũq; ex licita atq; honesta causa aurum, non ut seruent illud, sed ut habeant unde egenis omnibus succurrere possint. Laci. Cur igitur nostri antiquorum uestigia sequentes id idem nobis præcipiunt, affirmantes ex eius publicatione, mundi ruinam fore uenturam? Memini etiam me legisse apud Ioannem de rupe sissa uirum theologum, talia præcipientem: Cauete (inquit) omnes in quorũ manibus hæc nostra peruenerint, ne illa quæso, ad manus peruenianti infideliũ, quia fides rueret Iesu Christi. Bonus. Ah, ah, ah. Liceat quæso nunc contra hos insensatos sic exclamare: O, Iane à tergo quem nulla ciconia pinsit, oh dementes miseri, Indiget ne Iesu cristi dei fides, auro & gemmis? Indiget armis? quando per tela per ignes, toto aduserante mundo, erecta est eoq; magis incrementum recipit, quo magis impugnatur. sed hos quæso mittamus homines (ut pro nũc ita loqui liceat) testiculatos magis quàm cordatos. Nonne palã est eos contra domini præceptum agere, qui docuit, quod gratis accepimus gratis etiam dare? Dicant isti obsecro, quid utilitatis afferat hominum generi abscondita sapientia? Quid gemmæ reconditæ? Quid in uisus defossusque thesaurus? Et quid tandem lucernæ esset usus? quod commodum? quæ utilitas? si sub modio et non super candelabrum collocetur: quẽ admodum à Christo seruatore proditũ. est sed ij credo ex innata auaricia, nõ ex christiana pietate talentum domini suffodiunt, cum id quod aiunt, ignauia potius quam pietas esse uideatur. Laci. Noui ipse quamplures, qui tantopere timent ne sui libri pateant & ita caute eos seruant, ut nec ipsi quidem eos legant, cum sint ignari, nec alios legere, aut uidere permittant, cum sint inuidi atq; maligni, arbitrantes in illorum aperitione seu ostensione, statim ex eis lapidem in pu=

blicum exire, & per uicos omnes atq; plateas ſpaciari, ſalta reque. Sunt etiam ij admodum auari, ut nec obolum quidem huic negotio aliquando expoſuerint, & arbitrantur uellétq; lapidem illum philoſophorũ ſibi tantum è cælo plui atq; donari. optant quoq; ſcarabei iſti uolare cum aquila et dici ac uocari philoſophi. Pro talibus igitur orandum exiſtimo, ut de mentibus eorum dementiæ & ex cordibus auaritiæ nebulæ expellantur. Bonus. Vtinam diuinæ bonitatis radius illorum mentibus illuceſceret, ſed in eis uulnus inſanabile conſpicio, ut curare tam ueterem morbum, difficillimum ſit & forſitan impoſſibile. O', ſi iſti animaduerterent Dei prouidentia, omnia (præſertim opus iſtud ſanctiſſimum) regi gubernarique, non ita deſiperent. Nonne uident miſeri, eos omnes, qui & librorum copiam, pecuniam, doctrinam, famulatũ & operatores habent, operantur laborantq; in his ſemper, & tamen propoſito uacuos eſſe uidemus. Ne mireris amice, nam ad Deum ipſum ſine deo mortalis homo accedere non poteſt: ſicuti nec lumen ſine luce oculus ipſe uidere nequit, Ita ſine ipſo largitore Deo, ad hoc tam grande atq; ineffabile donũ ſuum quiuis peruenire minime ualet. La. Quid quæſo nũc harpyæ iſtæ ad hæc reſpõdere poterunt? Bonus. Delirant miſeri & ueluti ſenſu atq; intellectu carentes, non uident quanta nobis omnibus ad hunc beatum & tãdiu optatum lapidẽ opponitur difficultas, adeo ut grande illum Siſiphi ſaxũ, per montis ardua ſurſum uoluere uideamur; & quando magis tam excelſi operis finem uidere credimus, tunc magis in ignorantiæ abiſſum labimur, quia pauci ſunt quos æquus amat Iuppiter, aut talis uehit ad æthera uirtus. Cum tamen hæc ipſa aderit, tunc nobis ipſis atque amicis omnibus percari erimus, quibus iam deriſui & ioco habebamur. Lacinius.

O' facinus, quid audio, ut scientia hæc tam supernaturalis & ars tam rara hodie apud multos illusio & deceptio uidea tur? Bo. Nec mirum, quoniam euenit, ut hoc deplorato se culo omnis generis homines & quidem ignauissimi, audeãt artis & scientiæ huius fœlicissimæ & altissimæ philoso= phiæ latentes causas perquirere, arbitrantes lapidem illum beatissimum è chartaceis, ambagibus ac deceptionibus idiota= rum quorundam extorquere atque furari. ij siquidem sunt fabri, lanarij, lignarij & id genus hominum μελαγχο= λοῦντων cupientium sine labore ditari. Laci. Non ne illam quærunt similiter & docti, nobiles, principes ac de nique reges? Bo. Quid tum? Noui ipse quamplures, sed non ut par est eos scientiæ huius præstantissimæ, sed tantum auri cupidos uidi, ita ut iures duros esse silices ex quibus aurũ ipsum excauatur, sed duriorem illorum dices auri famem. & licet eos omnes cunctis in rebus nasutissimos iudices, hac tamẽ in re nihil dices habere nasi, cum eos quandoque uideas stoli= dissimas chimeras credere ambiguáq; ac falsa, inania atque puerilia, pro ingenti nescio quo semper amplecti & nunc huic peregrino, nunc uero illi, aures arrigunt, qui ampullosa & uana pollicitantes, quotidie in arsenicis, sulphuribus, mẽ= struis & his similibus promptissimi auidissimiq; inscite atque inepte operantur, qui tandem hoc fine clauduntur, ut tem= pus ipsi conterant, aliosque conterere faciant, & sic pro lapi= de acquirendo pecuniam dilapidant, ac demum cum proposito frustratos se esse conspiciant, conantur quæsitæ longius herbæ, in ualido fugiens argentum sistere succo. La. O' tardas adeo mentes assuetáq; falli artificum uarióq; rerum per ina= nia ductu pectora, quidnam conueniunt ista metallis? Sed heu quantum à proposito longe uagamur. Bo. Minime,

nam

nam omnia quæ dicta sunt ad rem pertinent, ecce iam tua ope in lucem exeo, non Principum aut Regum dignitate protectus, sed ipsa tantum uirtute comite, antiquorum ægyptiorum morem partim imitatus, qui cuncta Mercurio dicabant, tanquam uirtutis ingeniiq; ipsius autori ac largitori: partim uero soli tanquam rerum omnium ac generationis patri. Soli igitur et mercurio dicatũ esse uolo ex quorum fonte cuncta huic operi necessaria proficiscuntur. Nec non illis omnibus, qui uirtutem, & quæcunque recta sunt, colunt; eos autem omnes qui tantum salis habent, ut quæcunque ipsi non probauerint, negligant atque dãnent. Inspiciant quæso ipsi opus diligenter, illis opus non autor ipse loquatur. Nam cum autor in sui ipsius commendationem loquitur, male quidem agit, bene uero cum opus ipsum loquitur. Vanus iudicio meo censendus est opifex, qui ab alijs magis quàm ab ipso opere laudem expectat atque honorem.

Vale.

Metallorum in melius mutationum Typus, Methodusq;, per Ianum Lacinium Therapũ Calabrum nunc tibi lector in lucem dantur.

RTIS generandi. M. uel. Q. Non nulla sunt principia quædam quæ sola cogitatione atque intellectu comprehenduntur, ut Chaos, Alteratio, Potentia, Operatio, Generatio, & Digestio. Quædam sensibilia tantum, ut uinum uel materia prima, Corpus siue forma, Elementa, Perfectum ens, uenenum informans, colores, fermentatio, separatio. Quædam tum intellectui tum sensui patentia ut cœlum.

A. EX CHAO primũ tanquã. E. tenebris exit idoneus artifex, seque inter hanc rudem, confusamq; & indigestam elementorum molem, & principia reliqua ad. M. uel Q. Incedentem cognoscit, quo ad per. B. C. D. perquæ natura ipsa subsequentia primordia illuc perueniat.

B. MATERIAM accipimus, tum eam, ex qua agente extrinsecus artifice oritur. D. Tum Metalla imperfectiora sub M. uel Q. Immutanda item. C. & D. qua patiuntur.

C. FORMA uero est, ut artifex principijs his administrans, Et eadem considerate mouens. Est etiam id, quòd ipsi. M. uel Q. præstat, quo ipsa sint & existant, quo'ue et quodcũq; ex. T. S. V. Z. libuerit in. X. uel. Y. immutet.

D. COELVM est uis fœminea, à qua maris progenitura recepta nutritur & crescit, quousq; in. M. uel Q. omnino mutetur.

E. ELEMENTA proficiscuntur de. B. in. D. & per. C.

F.G.H.I. permiscentur uicissim.

F. ALTERANT. C.in.D.&.D.in. C. primum, deinde paulatim inuicem conuersa in. M. uel Q. feruntur. Est et.F.potentia qua ipsius.D.est actus in quo et de quo: & quicum, & per quem, uniones ipsi ab arte sunt & generantur.

G. MISCENTVR. C.cum.D.tãtum quare illud Propertianum masculus & tota fœmina coniugium.

H. DISSOLVTIONEM appellamus, cum iam in utrisque &. C. &. D. tanquam in hermafrodito conceptum est.

I. GENERATIONEM dicimus partim, qua ex.C. &. D. fit. M. partim enim qua. Q. ex. M. &. D. sed ita ut hæc ipsa in uasculo constituta à natura magis quã ab arte administrante proueniet.

K. COLORVM primus niger, qui ut primo, ita difficilius cæteris apparet ostenditq; concubuisse.D. cum. C. et concepisse. Et proculdubio optatum. M. uel. Q. orituru rum. Candidus alter, quo. C. ad. M. & inde ad. Q. sensim progreditur. Tertius croceus, per quem apparet iam in unum cuncta constitui cepisse, quod semen in omne. D. per minima quæq; diffusum est. Quartus rubet, qui. M. uel. Q. iam ortos manifestissime demonstrat.

L. DIGESTIO est qua, quod conceptum est, igne extrinsecus mouente & opitulante, consequitur, ut ex. C. &. D.M. uel ex. M. &. D.Q. perficiatur.

O. SEPARATIO est in his, quæ elementa appellantur, quæ de. B. & item. D. orta, ab eisdem quoque separantur.

P. OPERATIONEM intelligimus uel ea qui à. B.

& reliquis principijs in. M. uel. Q. generandum protē ditur, uel quæ ab. M. &. Q. in deputanda immutan dáq; metalla, ac etiam continuo informanda prouenit.

M. PERFECTVM ens inter principia ideo commemo ramus, quod tam & si id ipsum est quo ex. C.D. per.E. F.G.H.I.K.L.O.P. tendimus, formæ tamen & efficien= tis causæ rationem habet, cum ea quæ diminuta sunt ad æqua reducit & perficit.

N. FERMENTATIO est in. Q. ex. M. admiran= dus transitus, qua in re diuinus penè artifex necessaria fo re. G.H.F.L.I.D. arbitratus cum. D.C. &. M. in. G. cō stituerit, continenter eadem lentissimo fouebit igne quo ad per. H.F.L.I. in. K. peruenient, nullaq; in re opera mi nore, sed eisdem ferè gradibus insistens conabitur, ut mul to maiore & uirtute & quantitate quam. M. sit ipsum perfectissimum. Q. uenenum oriatur. Quamobrem cū semel id diuinitus nobis concessum fuerit (nam aliun= de speret nemo) perpetuo hoc augeri poterit, non tantū magnitudine sed in uires quoq; excrescent infinitas. Nec opus erit. M. iterū diuturnis laboribus repetere, quod ut in humanis maximum quid uideri potest, ita ex his etiā qui. M. composuerint, assequuti sunt pauci.

Q. EST itaq; uenenum informans, ex omni parte perfe= ctum, hoc est æquis elementis undiq; compositum. Qua propter (ut dictū est) multo perfectius est quàm. M. & in uirtute excellens magis. nam præterquam q̃ bifariam inficit & informat immutatq; sui ipsius speciem primam, deinde in. X. uel. Y. penè infinitū. Est etiam ægritudi= num hominum humanorum tum animi tum corporis effi cax medicina, quippe qui perturbationes omnes expellat.

bonosq; uiros, hoc est, non alieni inuidos efficiat similiter & conseruet. Corporeos autem humores si qua excesserint adæquet & constituat. Imbecillemq; senectutem ualentem inducat & confirmet.

FAC mixtionē cū una parte. X. & duodecim partibus aquæ nostræ et tere subtiliter, deinde ponas in uno urinali non nimis alto, & superpone alembich sicut decet, & perluta bene totum urinale & alembich cū omnibus iuncturis usq; ad nasum alembich, & permitte bene siccare, tunc pone super furnello, non cum cineribus sed super ferrum. itaq; totum urinale intret usque ad alembich, & claude eum luto circū circa inter furnellum & urinale. Tunc incende ignem. s. qualē tu scis, & ueniet per alembich oleum simul cum aqua, & stabit supra aquam in colore citrino. Et sic continua ignem donec tota aqua distillauerit, tunc permitte infrigidari, & extrahe recipientē & separa oleum ab aqua, & aperi urinale: & inuenies corpus aliquantulum durū, totum tamen frangibile & conteribile. Et si uis reitera distillationē, & fac per omnia ut supra dictum est, fundendo super corpus eandem aquam, uel aliam, & distilla, & non exibit tantum quantum prima uice, & tertia uice quasi nihil, & corpus remanebit in puluere non bene nigro, quod calcinabis hoc modo. Si corpus erit una uncia, superfunde uncias tres Mercurij & tere simul, & fiet amalgama, sicut butyrum. Tunc pone in scutella uitrea, & perluta eam à parte exteriori, & ponas super tripode super leuem ignem trium uel quatuor carbonū, & semper misce cum baculo ligneo, & caue te, & liga os & nares, quia fumus eius destrueret dentes. Et sic perseuera miscendo do-

nec totus Merc. exiuerit, & remanebit corpus subtilius & magis nigrum, & hoc reitera ter & erit corpus discontinuatum & ualde nigrum. Tunc recipe illud & pone in butiuncula, & superfunde tantum de oleo supradicto quod madefiat & claude uas, & da ignem luminis per tres dies & siccabitur, & terra incipiet aliquantulũ albescere: Tunc superfunde aliud oleum (ut prius) & iterum cum eodem igne siccabitur & erit albior, & sic tertio. Quarto aũt erit in tanta albedine, q̃ uidetur, uelle uisum auferre, lucens sicut perlæ orientales perfectissimæ. Deinde procede cum ære nostro, sale & gummi quæ fient unũ. Ignis tamẽ temperatus non nocet, sed melius in fimo.

VERVM cum operæprecium sit, quibus artibus nõ tantũ cognitio sed aliud quoddã quo intelligatur propositum in conficiendo opere, rõnẽ quandã quã practicen appellant prosequi tentemus: hanc ẽt partem, ut subiectũ tantum materiæ patitur, aperire. Simplici itaque. C. quadruplicem. D. per. G. primũ misceto & in uitreo uasculo, ad id quã optime conflato cõponito, lentissimo dehinc oblitũ glutine, os illi claudito, idq; tenuissimo igni super imponito & continuæ excoquito donec. C. per. H. in. F. & item ad. I. peruenerit. Et signo tibi niger fuerit color, quẽ tamen nõ attramenta, sed potius punica mala præmatura imitãtem uidebis. quod cum intueberis scito. C. D. per. H. F. I. & . P. expatiari, interq;. C. & . D. indissolubile fœdus conflatum inuicemq; eosdẽ in seipsos conuersos, calore uero eodem extrinsecus cõtinuante. C. D. in. L. & . I. ingressi ad M. usque per. K. contendent. Quandoquidẽ color ille niger (nescio quo pacto) paulatim uertitur in candorem, De hinc in. K. croceũ. postremo in pretiosissimum ruborẽ:

quo habito ab. H. hoc est à nigricante colore, adhunc usque terminum dies omnes dinumerato, eorumq; summam duplato: tantundemq; etiam. M. ipsum iam ortũ uiuatiore igne suauiter foueto: quem recluso post hoc uase reuerenter accipito, & à sordibus siquæ fuerint mundato, ac cum eundem iterum paulo uehementiore in igne totos sex dies habueris, diligentissime tibi & amicis in usum seruato, bis mille etenim partes in propriam uirtutem naturamq; mutabit.

CVM uero ex. M. faciendum. Q. curabis unciis tribus. D. & uni. C. dragmã. M. adiungito, totumq; in igne temperatissimo dies triginta excoquito, & per. K. transito, donec perfectum. Q. uideris rotundum & rubentem. Vel si ad lunam fuerit: Metallico candore infecto. Differũt náq; ita. K. ut. M. rubens & candidus, & uterq;. Q. inuicem distant. Albicantis etenim. M. primus, uiridis rubore insperſus extabit. Secundus croceus nonnihil ẽt splendide rubens. Tertius niueus & metallicus candor, qui ter mille partes. S. et. T. Z. uero ad quinq; millia in suã ipsius speciem & uirtutem mutabit. gignetq; (si tibi id uidebitur) ex se quoq; ualentissimum. Q. Quibus adeptis & perfectis artificum omnium te maximum putato, Deoq; maximo & optimo gratias ubiq; & semper habeto. En tibi munusculũ præstantissime lector, quod quàm non falsum dictum sit futura etas uiderit.

S PLVMBVM.
T STANNVM.
V FERRVM.
X AVRVM.
Y ARGENTVM.
Z AES.



PINXIMVS compoſitionem arborum nemoris inſimul, modo dicamus naturam earum unam poſt aliam ſecundum poſſe noſtrum, & primo incipiemus ab arbore cuius frons dictæ baſis arboris tantummodo ſuper corticem circunſonabat, & hoc de purgando ut hic.

Calidum ſiccum rubeum ſicut æs igneum.



Calidum humidum croceum.

Factum humidum ſiccum nigrum ſicut plumbum.

Frigidum humidum ſicut argentum uiuum.

HAEC est arbor cui corrosis frondibus basis arboris intrabat semper &c.

Factum siccum album sicut plumbum.

Factum humidum nigrum sicut argentum vivum.



Calidum siccum sicut æs igneum.

Calidum humidum croceum sicut aurum sanguineum

HAEC arbor est cui corrosis frondibus basis arboris intrabat super lignum.

Calidum siccum rubeum.

Calidum humidum croceum sicut aurum sanguineum.



Factum siccum nigrum sicut plumbum.

Factum humidum album sicut stannum uel argentū uiuū.

HAEC est arbor prima dextræ partis cuius cortex est corrosa & magnum quid de ligno & extremitas frōdis basis arboris intrabat per medium eius paruum quid eminebat ad aliam partem.

Factum humidum sicut argentum.

Factum siccum nigrum sicut argentum terrenum.



Calidum & humidum croceum sicut aurum igneum.

Calidum & siccum rubeum sicut æs igneum.

HAEC arbor secunda cuius cortex est corrosa & magnum quid de ligno & extremitas frondis basim arboris intrabat per medium eius & paruum quid emittebat ad aliam partem.

Factum siccum nigrum sicut plumbum.

Factum humidum album sicut argentum uiuum.



Siccum rubeum sicut æs igneum.

Calidum humidum croceum sicut aurum sanguineum.

HAEC est arbor tertia, cuius cortex est corrosa & magnum quid deligno & extremitas frondis basis arboris intrabat per medium eius, & paruum quid eminebat ad aliam partem.

Calidum humidum croceum sanguineum.

Calidum siccum rubeum sicut es igneum.



Factum humidum album sicut stannum.

Factum siccum nigrum sicut plumbum.


CALIDVS
SICCVS
IG
NIS
CONTRA
CALIDV
SICCA
TERRA
AER
CONTRA
RIA
RIA
FRIGID
HVMIDVS
HVMIDA
AQVA
FRIGIDA

TRIA in opere ſeruanda ſunt, primo materiã præpara, ſecundo opus continua, ne diſcontinuatione diſſipetur, tertio ſis patiens intima naturæ paſſim ueſtigia ſeruans.

PRAEPARA primo aquam uitæ ſummæ purificatam, & eã ſerua. Non tamen credas, ut liquor iſte, quo cuncta madent, ſit Bacchi candens ac limpidus humor. Nam te dum uariis immenſa per auia rebus, detines intentum, felices præteris undas.

PALATIVM ingrediẽs in quo quindecim ſunt manſiones ubi Rex diademate coronatus in excelſa ſede ſceptrum totius orbis in manu tenens erit: coràm cuius maieſtate filius cũ quinq; famulis uariis indutis ueſtibus, flexis genibus regẽ deprecantur ut tam filio quàm ſeruis regnum impertiri dignaretur, quorum precibus nil Rex ipſe reſpondit.

At filius

AT *filius indignatus seruorum suasione, patrem in sua sede interemit. Fiat igitur amalgama cum aqua bene purgata &c.*

COLLIGIT *in tertio loco filius sua ueste patris sanguinem, quod est secundum opus & in* Methodo *iam declaratum.*

* * *

EFFICITVR fouea in quarta mansione, quæ fornax est: cuius altitudo sit duorum palmorum, latitudo autem sit digitorum quatuor.

IN mansione quinta filius male cogitans credit patrem in foueam deiectum relinquere, sed ambo in foueam cecidere per artem.



SEXTA uero mansio, est in qua curat adhuc filius exire: sed unus uenit, qui ab illis ortus est in operatione secunda, & filium non exire permittit.



CVM autem pater & filius sunt in fouea, quæ septima dicitur mansio, illis sequitur putrefactio in cineribus seu balneo perquam calido.



OCTAVO enim loco inſpicitur id, quod in putrefactione euenit infrigidato uaſe &c.



SEQVITVR nona manſio in qua oſſa è monumento emittuntur. quo fit, cum totũ corpus fuerit ſolutum: quòd uero non fuerit ſolutum iterato opere ſoluatur ut prius donec tutum ſoluatur, ſolutumq; caute reſerua

IN mansione decima ossa diuiduntur in nouem partes, quo fit cum materia soluta per nouem dies super lentũ ignem coquitur quousque nigredo superueniat, qua remota in alio uasculo in loco calido serua & iterum per nouẽ dies aquam excoquito, & corruptum nigrum collige cum alióq; repone, & sic prosequi necesse est quousque aqua sit clara atque munda: corruptio autem siue nigredo ponatur in uasculo uitreo & superponatur de aqua uitæ sua, ut supernatet per medium digitum & leui igne coquatur ad nouem dies singulo quoq; die aquam innouando si opus fuerit & sic erit terra munda ac dealbata iuxta philosophorũ dicta, scilicet hæc terra cum aqua sua putrescit & mundificatur.

MITTITVR Angelus proijciens ossa super terram mundificatam & dealbatam, quæ nunc miscetur cum spermate suo, & totum ponitur in uase clauso cum suo alẽbico materia aliquantulum inspissata adhuc fortiori igne diuidatur ab aqua, & sit in fundo dura.

VNDECIMO loco famuli Deum precátur, ut Rex eis restituatur, in cuius restitutione totum opus dirigitur.

MITTITVR alter propterea Angelus in mansione duodecima, qui alteram illorum ossium partem super terrã ponit, donec simul inspissentur tunc mira in opere apparebunt.

ET sic alternatim mittuntur Angeli, qui primam, secundam, tertiam & quartā partem ossium proijciunt, ut scilicet albescat, sit lucida atque firmetur. Quinto & sexto firmata mutetur in citrinum. Et sic cum septima, octaua & nona parte: ossium terra efficitur uti sanguis atque rubinus.

TVNC Rex surgens, de sepulcro Dei gratia plenus, factus est totus spiritus totusq; cœlicus cum potestate magna, potens facere Reges omnes suos famulos.

POSTREMO potentiam ſuam ſuper filium & ſeruos demonſtrat, eis coronas aureas ſingulas ſingulis imponẽdo, ut ſint & ipſi Reges gratia ſui, cui dominus dedit poteſtatem magnam atque maieſtatem.

Impuris nemo manibus fraudator, duarus,
Sacrilegus'ue aliquis pergraue tangat opus.
Huc probus, huc ſapiens animo ſe conferat, & qui
Cum rerum cauſis dogmata noſſe queat.

PRETIOSA MARGARITA NOVELLA

ex concordantijs sapientum collecta, De thesauro & Lapide philosophorum, & est arcanum, & secretum omnium secretorum ac Dei donum,

Petro Bono Ferrariensi autore.

VIA consueuit non solum apud antiquos speculatores & inquisitores ueritatis arcanorum naturæ, sed apud modernos inquiri
q & disputari: utrum ars alchimiæ ministrans naturæ sit omnino apparens & existens, Aut solum apparens & non existens. Ideo gratia huius ipsam inquiramus & disputemus, non superficialiter ut consueuerunt, sed profunde & exquisite ualde. Ita ut quilibet doctus secundum rationem cognoscat, quæ pars tenenda sit, & utrum ipsius operationi debeat uel non debeat insudare. Naturales philosophi quam plurimi sapientes nõ bene dubitantes neque idonee sed in superficie inuestigantes disputauerunt, & determinauerunt: quidam ueram omnino eam esse dixerunt, et quidam sophisticam eam iudicauerũt, quorum nullus sciuit nec potuit hoc aggredi, etiam si uerum iudicauerit. Quidam etiam alchimistarum sicut Geber et Moriemus in suis alchimicis eam disputauerunt, tanquam potentes hoc, sed ualde breuiter, & obscure. Arguentes ad partem negatiuam & soluentes, Ad affirmatiuam autem solum quædam exemplaria adducentes, & sermonibus typicis & figuris affirmantes & dicentes eã esse omnino ueram. Nos igitur cum in alchimia aliqua ex terminis eius & dictis sapientum ueridicorum ueterum nouerimus hanc dubita=

tionem cum auxilio Dei aggredientes, sicut decens est. Cum explanatione prolixa aperiemus eam ordinatis capitulis distinguendo. Primo arguentes pro & contra. Secundo eluci=dando cum debita explanatione. Respondebimus cum Dei adiutorio.

NOTANDVM cum subiectum alicuius artis uel scientiæ uel eius propriæ passiones fuerint nota & manifesta omnibus uel pluribus sapientibus, non egent inuestigatione & probatione sed declaratione solum. Cũ autem fuerint innota & immanifesta, egent inuestigatione primo & pro=batione, postea declaratione, ultimo autem experimentatio=ne si fuerit finis eius ad opus, inquantũ experimentum ratio nem certificat precedentem. Cum igitur subiectum huius artis, si sit uerum uel falsum sit ignotum & immanifestum cum suis proprijs passionibus, & extraneum apud plurimos sapientum, necessario eget inuestigatione probatione & de=claratione ut ueritas medullitus discernatur. Et si quid con=tra hoc apparentiæ uel falsitatis occurrat discutiatur & re=probetur. Quia unaquæque scientia uel ars siue medicina sit siue alia, habet in sui doctrina proprias dubitationes & re=sponsiones sine quibus non potest fieri perfecta doctrina. Est autem artium triplex genus, ut dicitur secundo physico=rum, quia aut est dispositiua materiæ, aut efficiens formæ, aut usualis. Sub ys autem non ponitur alchimia, cum ipsa non sit mechanica. quòd si concedatur, ipsa erit dispositiua et efficiens simul, non autem usualis. Ipsa enim ueraciter docet cognoscere materiam quæ est de intẽtione naturæ omnes alias excludendo, & præcipit super illam modum dispositionis et informationis secundum aptitudinem materiæ, quod totum

cognoſcit unus artifex & efficit & poteſt uti uel non. Sunt & aliæ artes ab ijs non abſolute, id eſt, artificiales, ſed potius naturales ſicut ars medicinæ & ars plantationis & inſertionis plantarum & uzifur & uitrorum, quia ex parte miniſtrationis ſunt artes, & ex parte autem formæ ſunt naturales. Quia quorumcunque formæ & operationes ſunt naturales ipſa ſunt à natura ars alchimiæ talis eſt. Eſt & aliud genus artis ſeu artium de non entibus in rerum natura, ſed de entibus factis ab intellectu ſicut Grammatica, Logyca, Rethorica & ſub hoc genere non eſt hæc. Et quia in omnibus artibus ſpeculatio & inueſtigatio, operationem præcedit neceſſario ideo hic ſic fieri debet. Speculatiui enim intellectus finis eſt ueritas quam nunc inquirimus & primo. Practici uero opus quod eum ſequitur, ut eſt ſecundo metaphiſicæ, & ſexto ethicorum, quia opus eſt iſtud quod poſt deſideramus, quia poſterius non abſoluitur à priori.

Notãdum quod philoſophus primo de anima docet hũc, eundẽ modum inueſtigandi & ratio eſt quia ſic deuenimus in cognitionem cauſæ, unde in ſecundo poſteriorũ dicit. De eo quærunt omnis quæſtiones quo cognito ceſſat omnis quæſtio. Hoc autem quod quæritur eſt cauſa uel medium ut ibi dicit. ergo cognito medio quæſtionis huius artis, ceſſabit & quæſtio.

* Notandum hic quòd multiplex eſt cauſa uel mediũ, ſcilicet intelligibile, reale ſiue ſenſibile, naturale & artificiale.

Videtur ergo irrationale aliquem ponere ſe in opus eius niſi inueſtigatione cauſæ uel medij præcedente. Similiter incõgrue & inutiliter conantur quæſtionem huius artis determinare medio quæſtionis non cognito quia nõ poteſt aliquis quæſtionem aliquam determinare, niſi cognoſcat medium primo

aut per inuestigationem appropinquet, ad eius cognitionem. Apud ignorantes medium quæstio non cessat, quia causam inuestigationis ignorat. qui ergo dubitat bene, inuestigat bene, ergo operatur bene, & qui male, male. In impossibilibus rebus impossibile. Impossibilia enim non inuestigantur cum causas non habeant.

SEQVVNTVR ARGVMENTA BONI AD PARTEM NEGATIVAM.

VIA antiquorum mos fuit arguere primo destructiue, ergo sequemur eos.

q Ratio prima.

NAM quicunque ignorat certam & determinatam quantitatem uniuscuiusque elementorum in aliquo mixto, ignorat efficere illud mixtum: sed alchimistæ ignorant hoc in metallis & eorum componentibus ergo &c. Maior est nota, cum talis notitia sit determinata & certa solum quo ad naturam, & non quo ad nos, nisi ualde confuse & in communi, & hoc in omnibus mixtis. Minor ex habitis nota uidetur, cum metalla & eorum componentia sint de genere mixtorum, circa quæ alchimistæ laborant.

Ratio II.

ITEM quicunque ignorat determinatam proportionem elementorum adinuicem cum ueniunt ad mixtionem, & modum mixtionis eorum & digestionis quibus adipiscitur forma mixti, ignorat componere illud mixtum, sed alchimistæ sunt huiusmodi, ergo &c. Maior patet ex hoc, quia unaquæque res in specie, habet formam suam specificam, ad quã sequuntur uirtutes & proprietates & operationes determinatæ, per quam formam ab omni alia specie separatur, & forma hæc sequitur determinatum modum mixtionis & proportionis & digestionis in debitis mensuris elementorum, quia ratione materiæ & quantitatis ac qualitatis materiæ species non separatur à specie, sed ratione formæ sequatur ut dictum est. Minor patet, quia hæc sunt nota soli naturæ,

non solum in metallis & eorum componentibus, sed in omnibus naturalibus, modo autem confuso & cõi, sunt quoque modo longinquo, nota arti. Talis autem cognitio non est sufficiens ut ars uere sequatur naturam, hanc rationem ponit Geber & eius solutionem in summa perfecti magisterij.

Ratio III.

ITEM quicunque ignorat proprium instrumẽtum naturæ quo mediante agit in materiam ad introductionem formæ in aliquo mixto ignorat efficere istud mixtum sed alchimistæ sunt huiusmodi, ergo &c. Maior patet cum nullum agens siue naturale siue artificiale agat sine instrumẽtis proprijs & determinatis. Minor nota est, quia natura in generatione cuiuscunque rei agit cum calore digerente & alterante modificato, tanquam cum instrumento sicut natura cuiuscunque rei exigit siue sit res habẽs calorem in actu ut in animalibus perfectis, siue in potẽtia ut in rebus alijs. Vnde in generatione auri & argenti & aliorum metallorum, agit in cauernis terræ profundissimis, cum calore quodam suauissimo & temperatissimo per mineras multiplicato, digerente alterante subtiliante & inspissante. Talis autem calor penitus ignoratur à nobis, quoniam non est calor solis, neque ignis absolute sed calor ex ijs miro modo mixtus & à natura confusus.

Ratio IIII.

ITEM illud ad cuius generationem non sufficit uita hominis, non potest fieri per artem, sed ad generationem metallorum non sufficit uita &c. Maior est nota quia omnis generatio & corruptio determinato tempore mensuratur, unaquæque enim res habet tempus præfinitum in generatione ad receptionem formæ propriæ, per quam recipit esse completũ.

Minor patet tempus enim generationis auri secundum naturam ponitur apud alchimistas esse in millibus annorum, sicut ponit Geber in summa sua & Rasis in libro perfecti magisterij. Cum igitur nullus hominum tale spacium attingere possit, immo uix ferè centum annorum attingit, fatuum uidetur dicere q̃ per artem alchimistæ fit uerum aurum & argentum. Et si ad hæc respondere uellent, quòd abbreuiant tempus, quia quod natura facit in millibus annorum, cum calore suaui & temperato, nos facimus in uno mense, aut tempore breuiori aut longiori, cum calore ignis forti, quia tantum facit forte agens in breui tempore quantum debile agens in longo, & quia ars imitatur naturam & eius opera accelerat & festinat, dicimus quòd impossibile est quòd hoc faciant & specialiter in metallis, quoniam metalla sunt ex fumis subtilissimis resolutis ab argento uiuo cum substantia sulphuris, à calore humido & sicco temperato in cauernis terræ profundissimis habentibus humiditatem quæ super oẽs est humiditates quæ à siccitate terrea tenuissima occulta tẽperatur & inspissatur calor autem temperatus illos fumos conuoluendo resoluens sublimans & inspissans usque ad locũ alicuius refrigerij illam humiditatem conseruat digerit subtiliat & inspissat quæ est causa metallicæ fusionis, & sic in fine conuertitur in metallum. Si ergo tempus decoctionis abbreuiare uoluerint in illa materia. ergo per excessum caloris, ignis, ergo dissipabunt humiditatem quæ est necessario causa metallicæ fusionis, ergo non generabitur forma specifica metalli, quare solutio nihil ualet.

Ratio V.

ITEM ubi deficit locus proprius generationis rei, deficit eius generatio, sed in arte alchimiæ est sic, ergo &c. Ma-

ior patet, quia sicut locus facit ad conseruationem rei, sic & ad generationem. Vnde dixit Porphyrius, quòd locus est principium generationis sicut et pater. Et Plato, muniuit natura naturans loca terræ uirtutibus, ut in eis sigillentur proprietates diuersæ. Vt in plantis & rebus alijs, quales merentur secundum genus suum, etc. Et hoc est uerum inducendo in singulis tam in animalibus, quàm uegetabilibus, & mineralibus: propterea non ubiq; locorũ generantur uegetabilia quælibet, nec mineralia quælibet, neque animalia quælibet, nec similiter habitant propter diuersam naturã locorũ, sicut disposuit natura naturans præcepto & ordinatione gloriosi Dei. Minor ex habitis nota est, & experientia, quia suas decoctiones & digestiones & mutationes faciunt in locis extraneis ab intentione naturæ. scilicet in uasis uitreis lapideis, metallicis, & figulosis: natura autem in synu terræ proprio, & occulto ipsa efficit.

Ratio VI.

ITEM effectus qui sunt naturæ solius, non possunt fieri ab arte, sed generatio metallorum est effectus naturæ solius, ergo &c. Maior est nota quia generatio, & corruptio sunt à principio intrinseco. principium autem intrinsecum est natura, quæ efficit formas substantiales in rebus. ars autem est principium extrinsecum quæ solum in superficie operatur per motum alterationis. Similiter quia natura generat res per mixtionem elementorum, talis autem mixtio est solum ex operæ Dei benedicti & summi & operæ naturæ, ut dicit Galenus primo de complexionibus. Minor patet cum metalla fiant à principio intrinseco, scilicet à natura per generationem & corruptionem mediante mixtione.

Ratio VII.

ITEM Si id quod magis uidetur inesse non inest, nec id quod minus. Sed in debilibus mixtionibus uidetur quòd ars magis possit sequi naturam & non potest, ergo multo minus in fortibus. Maior patet per locum à maiore. Minor est sensui manifesta, quia per facilem uel difficilem generationem & corruptionem rei arguimus fortem et debilem mixtionem eius, ut equus, piscis & omne uiuens facile corrumpi possunt: ergo sunt facilis mixtionis, aurum autem & argentum de difficili: ergo sunt fortis mixtionis. cum ergo in generatione equi et piscis quæ sunt debilis mixtionis, non possit sequi ars naturam, ergo nec in generatione eorum quæ sunt fortis mixtionis ut auri & argenti. hanc rationem & eius solutionem ponit Geber.

Ratio VIII.

ITEM impossibile est unam speciem in aliam transmutare, sed metalla differunt specie. ergo &c. Maior est nota per philosophum quarto metheororum. Minor similiter patet, quia enim non habent easdem proprietates & operationes, ergo per consequens nec formas, conueniunt enim solum in genere, quod est esse metallum sicut homo & equus conueniunt in hoc genere, quòd est esse animal: sed per proprias differentias unum ab altero separatur. sicut ergo ex homine non fit equus, nec econuerso, sic ex metallo uno non fit aliud, nec econuerso. hanc rationem etiam ponit Geber & eius solutionem.

Ratio IX.

ITEM quicunque ignorat prima principia mouentia ad generationem & introductionem formæ in aliquo mixto, ignorat efficere illud mixtum: sed alchimistæ sunt huiusmodi

ergo etc. Maior est nota, quia principia mouentia ad generationem et introductionem formæ sunt stellæ et corpora super celestia per motum & lucem, ut uult philosophus libro cœli & mundi, & libro de causis proprietatum elementorum, ipsa enim sunt, quæ primo mouent mota ab intelligentijs, ad natarum generationis, & corruptionis perficiendam, ad conseruationem specierum, & ab hijs datur forma, & perfectio, & hoc fit in instanti, scilicet cum uenerit una stella, uel plures ad situm determinatum in firmamento, & ex influentia tali determinata introducitur forma in instanti & momento. Minor patet ex confessione eorum & absque confessione, ignorãt enim determinatos situs et aspectus stellarũ, à quibus datur forma auri & argenti in materia determinata, ergo hæc ars friuola est, & uana. hanc etiam rationem tangit Geber in sua summa, & soluit.

Ratio X.

ITEM sicut se habet ars ad naturam ita artificialia ad naturalia, sed ars non est idem quod natura nec potest esse, ergo artificialia non erunt idem quòd naturalia nec esse possunt, ergo aurum artificiale, & naturale non est idem. Maior est nota. Minor patet, quia natura informat compositum in instanti. Ars autem successiue, & natura presupponit, materiam, ars autem facit eam, ut dicitur secundo physicorum. Similiter etiam, quia omne artificiatum est opus desideratum & uoluntarium sicut eligibile et uolitum, ut patet ex sexto metaphysicæ, & uariatur idem opus pluribus modis iuxta uoluntatem artificis, natura autem est ordinaria & unius modi semper. aurum ergo artificiale, non erit idem quod naturale.

Ratio XI.

ITEM Geber. Facilius est res destruere, quàm construere, sed aurum destruere uix possumus, ut ipsius forma substantialis corrumpatur, ergo nõ poterit tam cito construi ut dicunt, maior & minor notæ sunt ad sensum.

Ratio XII.

ITEM ab experientia etiam hoc patet, quia mos antiquorum philosophorum est sine inuidia sciẽtias discipulis suis et posteris alijs in scripturis tractare uel oretenus docere, sed nullum antiquorum philosophorum in arte ista reperimus fecisse hoc, ergo uidetur quòd ipsam ignorauerint, ergo uidetur, quod hæc ars non sit possibilis. Videmus enim in alijs scientijs ununquemque philosophorum antiquorum uisum esse, quicquid sciuerit in aliqua scientia uere tradere, quia philosophi desiderant in scientia sibi reliquos simulari. Vnde philosophus primo methaphisicæ, signum scientis est posse docere, quia igitur solum cartas antiquas & fabulas extraneas poeticas, & derisoria quædam ficta & uerba plena ambagibus inuenimus in quibus mendacia pura, & errores sicut in operatione uidetur apparenter. Ideo satis patet ex hoc hanc artem non esse ueram, immo quod deterius est, eorum sequaces adhuc errores super illos multiplicant cotidie & in infinitum extendunt hanc rationem tangit secundum Geber & soluit.

Ratio XIII.

ITEM ad oculum nos uidemus, quòd tam diu est à sapientibus antiquis & philosophis. cum summa industria perquisita, & non inuenta, quòd si eius inuentio esset possibilis iam diu adinuenta esset. Similiter à regibus, & principibus infinitum thesaurum possidentibus & magnorum philo

ſophorum copiam habentibus eſt inquiſita, & non inuenta, quamuis eam deſiderauerint, & expenſas plurimas interpo ſuerint ſicut omnibus apparet ergo inanis uidetur ars iſta. Iſtam rationem & eius ſolutionem ponit Geber.

Ratio XIIII.

ITEM adhuc fortius ex datis eorum, dicunt enim quòd eſt lapis unus ſolus in arte maiori qui fit albus & rubeus ſecundum quòd ipſi uolunt præparare, qui metalla mollia indurat, ut Saturnum & Iouem conuertendo in aurum, & argentum & metalla dura mollificat, ut æs & ferrum conuertendo in aurum & argentum, & argentum uiuum coagulat conuertendo in aurum & argentum. Sed contra eos ſic arguitur: impoſſibile eſt alicuius rei duas operationes eſſe contrarias per ſe, ſed hic lapis eſt ſolus unus. ergo etc. Maior apparet ex hoc, quia cum uniuſcuiuſque rei, ſit forma unica tantum & unica perfectio per ſe, ſic ſimiliter erit unica operatio procedens per ſe ab illa forma, ut patet ex ſecundo de generatione, & corruptione. ſed ſi ſint duæ operationes contrariæ procedentes ab una forma oportebit neceſſario, quòd una illarum operationum procedat ab illa forma per ſe & primo, alia autem per accidens et ſecundario, quia impoſſibile eſt duo contraria eidem æqualiter ineſſe. Minor patet. cum enim, ſecundum eos hic lapis ſit unicus, unica etiam erit eius forma & per conſequens unica eius operatio per ſe & primo ab ipſo procedet, quomodo ergo eſſe poterit, ꝙ quædã metalla mollificet, et quædã induret per ſe et primo, ſed nõ uidetur hoc eſſe poſſe ergo uidetur ꝙ unũ faciat per ſe et aliud per accidens, et ſic quoddã nõ erit uerum aurum uel argentum poſtquã mutatum eſt per accidens ſiue quod mollificatum eſt ſiue quod induratum eſt. Videmus enim quòd

aqua non habet potentiam infrigidandi & calefaciendi per se et primo, nec ignis similiter, sed unũ per se et primo & aliud per accidens. uel oportebit eos ponere, q̃ sint duo lapides in arte alchimiæ, quorum unus indurat per se, et colorat, & alter per se mollificat, et colorat, quod est contra eos, quia dicunt eum esse tantum unum. Et similiter quia qualis diuersitas esset lapidum inter se, talis etiam erit diuersitas formarum introductarum ab eis in metallis, ergo non erit eadem forma introducta in hoc auro, et in illo, nec in argento hoc & in illo. De mutatione autem colorum quòd fiat primo albus post rubeus, & quòd alijs coloribus multiplicibus coloretur secundũ q̃ uolunt præparare concedimus utiq;, quia bene scimus possibile esse res maxime minerales liquefactiuas per decoctionem, & ad inuicem mixtionem posse mutari de colore in colorem, sed facere illas duas operationes contrarias. hoc impossibile reputandum, quare sequitur q̃ ars sit nulla.

Ratio XV.

ITEM si id quod magis uidetur inesse, & non inest, neque illud quod minus. sed magis uidetur quòd ars alchimiæ possit reperiri in rebus propinquis substantiæ auri & argenti et non reperitur, ergo nec in remotis reperietur, ergo nec in remotissimis, ergo nusquã. Maior nota est per locum à maiori. Minor patet, quia res propinquæ auri et argẽti sunt quæ sunt eiusdem materiæ & naturæ cum eis, quod cognoscitur ex hoc quòd sunt eorum principia uel ex eisdem principijs, & quia omne simile ingreditur magis in simile per mixtionem & liquefactionem quàm in extraneum. Ideo inuenimus res quasdam minerales quæ dicuntur spiritus metallorum, ex quibus metalla generata sunt tanquam ex principijs, & in ipsis ingredi, ut sunt argentum uiuum, &

ſulphur. Ex quibus metalla omnia originem traxerunt, ſicut patet quarto metheororum, & per alchimiſtas eſt etiam auripigmentum & ſal armoniacum ſpiritus, ſed auripigmẽtum eſt de natura ſulphuris, ſal uero armoniacum de natura ſalis & ſicut ſapo metallorum à quibuſdam dicitur quamuis non ſit de ſubſtantia eorum. Sunt autem & alij ſpiritus ſecundarij ſcilicet marcaſita, magneſia, & tutia. ſed magneſia & marcaſita ſunt ſpiritus à natura commixta de ſulphure, & argento uiuo. Tutia autem eſt fumus metallorũ ſubtilis reſolutus ab eis, quæ omnia ſunt aut principia metallorũ aut ex eiſdem principijs præter quam ſal armoniacũ.

Sunt ergo ſeptem alchimic ſpiritus, ſcilicet quatuor principales uidelicet argen. ui. et ſul. auripigmentum & ſal armo. et tres ſecundarij & cõpoſiti, ſcilicet marcaſita, magneſia & tucia, Sulphur tamen & ar. ui. ſunt ſicut elementa et primum tenent principatum. Ex dictis ergo nil aliud uolumus, niſi ꝙ ſola metalla & ſpiritus, ſunt operi neceſſaria quia unum in aliud ingreditur & ſeinuicem combibunt, & miſcentur in conflatione, & ſunt adinuicem ſicut principia & principiata, quòd ipſa ſola in materia & natura propinquitatem habere uidentur, ergo aut ex metallis ipſis aut ſpiritibus hunc lapidem colligere neceſſe eſt, aut per eorum mixtionem, aut omnium, aut plurium uel uno ſolo. Sed ex ipſis metallis hoc impoſſibile uidetur, quia ſecundum Philoſophos alchimiæ hic lapis habet ſe ad metalla, ſicut forma ad materiam, & ſicut anima ad corpus, ergo oportet ipſum eſſe ſubſtantiæ ſubtiliſſimæ, cum ergo metalla ſint ſubſtantiæ groſſæ per totum non uidetur ex eis poſſe elici. ideo dicit Geber in ſumma ſua, capitulo de præparatione ſaturni. Redeuntes igitur in nos ipſos, noſmet torquentes in

mense cogitationum meditationis afflictionibus. Respeximus à perfectione corpora diminuta in profundo suæ naturæ feda existere & nil in eis fulgidum inueniri, cum in eis secundum naturam non sit. Ideóq; ex illis substantiam fulgidam elici non contingit &c. Similiter nec ex corporibus perfectis, sc licet auro & argento, quia ꝓ in ultimo perfectum est non eget perfici, et similiter etiam quia non sunt ad finem alium ordinata. Et si dicant quòd hæc corpora calcinant, & solunt, distillant, & coagulant, & multas alias præparationes faciant. Ita ꝓ istud ꝓ est corporale et grossum fit spirituale et subtile et post alterant metalla cum ingressu eorum, & faciunt uerum aurum & argentum. Dicimus ꝓ eorum experientia est firmissime contra eos, quia quale sit opus eorum ignis declarat, quæcunque enim alterauerunt per ignis uiolentiam & rerum urentium examinationes euanescunt, & non permanent, fantasticæ ergo sunt alterata.

Similiter nec per spiritus hoc fieri uidetur, quia per experientiam inueniunt spiritus posse figere & non figere, quamuis eorum natura sit fugitiua ab igne, sed ipsos non fixos uiderunt corporibus inutiliter adhærere, quia in igne non perseuerant, immo fugiunt paulatim ab eis & ipsa corpora relinquunt immunda magis quàm prius & quoniam eleuant corpora secum in fumum & euanescunt simul. Ipsos autem fixos non est possibile ingredi, quia aut non funduntur cum sint sicut terra lapidea uel saxum, & non ingrediuntur, nec miscentur, & per consequens non alterant, aut funduntur fusione uitrificatoria, sicut omnis res ultimæ combusta & incinerata, quæ post per fortem ignem fit uitrum. Et nullum uitrificatum ingreditur metalla, quoniam fusio metallica fit per conseruationẽ humiditatis naturalis argen. ui. in metal

lo. fusio autē uitrificatoria fit ex ultima consumptione radicalis humiditatis uniuscuiuq; rei adustilis, quæ ex adustione incineratur. Et ideo ferè ex cinere uniuscuiusq; rei fieri potest uitrum, propter quod nos uidemus, ꝓ cum stagnum & plūbum fuerint calcinata per ignem & combusta, ꝓ post ad ignem congruum conuertuntur in uitrum, sicut faciunt qui uitrificant uasa figuli. Et ideo impossibile est quòd tale uitrum nec etiam aliquod aliud reuertatur in metallum, nec in fusionem metallicam, cum sit consumpta radicalis humiditas ar. ui. quæ erat causa metallicæ fusionis secundum partem, & secundum aliam partem derelictam sit conuersa in humiditatem uitream. Ex quibus etiam dictis patere potest, ꝓ sermo quorundam idiotarum, ignorantium principia naturæ, dicentium quòd uitrum potest fieri malleabile sicut metallum, est inanis. Nam illa eadem humiditas quæ est causa metallicæ fusionis est etiam causa malleationis & extensionis sub malleo per omnem dimensionem. cum igitur in uitro & re quacunque uitrificata illa talis humiditas non reperiatur, aut consumpta sit tunc, sicut impossibilis est fusio metallica in eis ita & malleatio, & quia impossibilis est redictio uitri & uitrificatæ rei ad substantiam metallicam, sic etiam ad malleationem. Nullæ enim res in mundo habet humiditatem talem ut metalla: aut si habent, habent eam indigestam, ut elementa metallorum, aut alio modo terminatam per suas formas, ut marchasita, antimonium et alia similia, quoniam diuersitas formarum facit illam eandem humiditatem diuersimode terminatam, & diuersimode passibilem. Et hoc accidit propter diuersam proportionem mixtionis, & diuersam habitudinem, quæ est in mensuris mixtionis suorū elementorum propinquorum componentium prout reguntur

à cœlestibus

à cœlestibus, quamuis elementa sint eadem. Similiter hoc patet per aliud, quia sicut proprietates & propriæ passiones specierum non reperiuntur extra species suas, sic proprietates & propriæ passiones generum non reperiuntur extra genera sua. Cum ergo extensio per omnem dimensionem, sub mallei percussione sit propria passio huius generis, q̃ est metallum, quia soli metallo proprie conuenit, ergo alicui alteri rei de mundo non conueniet. Aut si conuenit uitro ita artificiose præparato, ut dicunt, oportebit eos necessario confiteri illud uitrum esse metallum, & sub aliqua specie metalli, scilicet quòd sit aurum aut ferrum, aut æs aut aliquod aliorum, quod est omnino falsum, aut oportebit eos dicere quòd hæc non sit propria passio metalli, quod similiter est falsum & penitus contra sensum. Similiter, quia ex proprijs passionibus metalli est, quòd in conflatione omnia adinuicem commiscentur propter eorum similitudinem in materia propinqua. Vitrum autem & quælibet res uitrificata, non miscetur in conflatione metalli, sed supernatat sicut oleum, & omnis pinguedo aquæ, ergo hoc uitrum artificiosum non commiscebitur, sed supernatabit. quòd si commisceretur, non diceretur uitrum, sed metallum & esset in numero alicuius metallorum, quod est omnino falsum. Similiter si aliquod aliud, quàm metallum esset dignum habere hanc proprietatem & propriam passionem dictam, dignius esset illud, quod eadem humiditate participat, quàm quòd aliena sicut est marchasita, magnesia, tutia, antimoninm, sed hæc non habent, ergo multo minus uitrum, & quælibet res uitrificata, cum sit expoliata humiditate tali. Et propter hanc singularem, & specialem humiditatem sic digestam, quæ est causa malleationis, & liquefactionis accidit, ut lapidi

nigro confricando metalla abradendo adhæreant, quòd non potest accidere marchasitæ, et nec sibi similibus, quanto igitur minus uitro. Et propter eandem causam ex quadam similitudine in substantia humiditiatis fit ut ar. ui. metallis adhæreat omnibus: marchasitæ autem, & sibi similibus non, quanto ergo minus uitro siue artificiosum sit, siue non. Omne similiter uitrum, & uitrificatum scinditur, comminuitur, & frangitur, cum post ignitionem subito in aere frigido infrigidatur uel aqua, nullum autem metallorum hac passione participat propter causam dictam. Omnis præterea imago siue sit exclusa siue exarata fieri potest in frigidis metallis, & calidis, & per sculpturam, & per incisionem, in uitro autem non: nisi sit ignitum uel liquefactum, & hoc tantum per sculpturam, quòd est propter humidum diuersum in tali passione recipienda. Soli ergo metallo & omni semper, hæc passio propria malleandi inesse uidetur. Diuersificantur tamen metalla inter se in malleatione, fusione, et ignitione ac reliquis passionibus, propter diuersitatem suæ digestionis, & sulphuris mixtionem. Vitra autem inter se diuersificantur in cita & tarda fusione, & perspicuitate & opacitate, & coloratione diuersa, secundum magis et minus, & alijs suis passionibus, propter diuersitatem cinerum ex diuersis materijs adustorum. Similiter metalla quando liquefacta sunt, sunt de natura argen. ui. & sicut lapides supernatant ar. ui. sic similiter supernatant metallis liquefactis & non cedunt, sed uitrum liquefactum cedit eis propter sui uiscositatem tenacem, & alienam. Non est tamen aliquid liquabile præter metalla, quod hanc habeat nisi uitrum ignitum, & liquefactum propter uiscositatem suam actualem magnam, infrigidatum autem non, propter ipsius actualem priuationem.

Metallo enim infrigidato aut ignito, ualde maior inest uiscositas, quàm liquefacto: propterea in malleatione ipsius, extenduntur partes, in liquefactione autem separantur, si expandantur. In uitro autem est econuerso. Quicunque ergo operans fecerit opus uitrificatum aliquod casuale. Ab ipso manum suspendat, & sibi finem imponat. Sic ergo patet, ꝙ spiritus uitrificati non ingrediuntur, ergo non alterant. Similiter igitur per ipsorum commixtionem ex dictis causis hoc fieri non posse uidetur. Cum igitur in substantia magis consimili & affini metallorum substantiæ hæc ars reperiri non uideatur, ergo per consequens nec in remota, ergo nec in remotissima, ergo nunquam, quare etc.

Ratio XVI.

ITEM uidentur dicere, se non generare metalla de nouo, sed solum quæ imperfecta sunt perficere, dicentes perfecta solum aurum et argentum, reliqua autem imperfecta. Dicimus hoc esse non posse. Quoniam omnis materia, quæ habet esse in aliqua rerum naturalium permanente est completa per suam formam substantialem, sed materia stagni, plumbi, æris, & ferri habet esse in eis, eorum esse sic permanente, sicut materia auri & argenti: ergo materia completa est in eis per suam formā substantialem sicut materia auri & argenti. Maior est nota, quia ea quæ sunt in motu ad aliquam formam non permanent in natura, nisi quando sunt in fine motus, in quo acquirūt formam suam substantialem completiuam: potius enim corrumpuntur & cito, quàm permaneant. Propterea non permanent abortiui fœtus, quia nondum habent formam completiuam, aut quia organorum non habent complementum deseruientium suæ formæ. Similiter in seminibus abortiuis, hoc idem se habet, quia nec

permanent, nec speciem multiplicant cum careant ipsa, simi liter & in alijs. Minor nota est ad sensum. Videmus enim stagnum, & plumbum, & reliqua per se habere permanen tiam in natura, sicut aurum & argentum per se. hoc au= tem non esset nisi essent completa per suam formam substan= tialem. falsum ergo dicunt hæc metalla esse perfecta, & alia imperfecta, & ex hoc hæc esse conuertibilia in illa & or dinata ad illa. Non ergo magis erit ordinatum, nec ma= gis conuertibile stagnum in aurum, quam econuerso.

Ratio XVII.

ITEM quæcunque multiplicantur à natura in sua spe cie per continuam generationum & perseuerantiam, sunt completa per suam formam substantialem, sed metalla ista, quæ dicuntur imperfecta, sunt huiusmodi sicut etiam aurum & argentum. ergo &c. Maior nota est, quia nullæ res na turales de mundo aliter à natura multiplicantur nisi cõplean tur per suam formam substãtialem. Minor patet ad sensum. Non igitur hæc dicentur imperfecta metalla, alia uero per= fecta, sed potius hæc nobilia & illa ignobilia. Ignobilia au= tem non sic nobilitantur, ut dicunt. non enim uidemus ca= pram nobilitari in equum, nec equum in hominem. ergo nec illa metalla ignobilia, sic notabilitabuntur, ut dicunt, non ergo uertentur hæc metalla in illa. Propterea, quia hæc sunt imperfecta, illa uero perfecta, sicut dicunt. Vide solutionem huius, & habebis ueritatem.

Ratio XVIII.

ITEM quæcunque non disponuntur eadem ultima di= spositione, non possunt habere eandem formam substantia= lem & specificam, sed aurum & argentum alchimicum, non disponuntur, eadem ultima dispositione, ut naturale.

ergo &c. Maior patet, quia forma substantialis seu specifica est quæ ultimo adueniens rei disponit rem ultima dispositione et ipsam complet. Vbi ergo non erit eadem ultima dispositio, non erit eadem forma substantialis & specifica. ergo nec eadem species. Minor patet ad oculum, quia fundit metalla ad ignem, & imponit suas medicinas exteriores informantes ultimo, hoc autem non facit natura.

Ratio XIX.

ITEM quoruncunque generationes non sunt eædem, ipsa non sunt eadem, & quoruncunque ipsæ sunt eædem, & ipsa eadem, ut dicit Philosophus 7. thopicorum. Sed generatio auri & argenti à natura, & ab arte non est eadem. ergo nec generata erunt eadem. Similiter & de corruptione idem est argumētū. ergo ars alchimiæ non est uera, sed phantastica. Maior & minor sunt per se manifestæ.

Ratio XX.

ITEM de entibus à fortuna non potest esse ueritas. nec scientia, sed alchimia est huiusmodi, ergo &c. Maior patet per Philosophum primo posteriorum, qui dicit, quòd omnis scientia est de necessariis & perpetuis, & incorruptibilibus, & impossibilibus aliter se habere, talis autem non uidetur alchimia. Similiter si ueræ naturam sequitur, hoc erit semper uel frequenter, quia naturalia sunt, ut dicitur secundo physicorum. Minor patet, quia raro, immo rarissimæ accidit hoc, ut ipsi confitentur, scilicet, quòd artifex imitetur uere naturam, quæ autem raro contingunt fortuita sunt ut probatur secundo Physicorum, ergo etc.

Ratio XXI.

ITEM Aristoteles in fine 4. meheororum, secundum translationem ueterem alchimiam esse ueram, expresse ne-

gat, sed eam esse sophisticam et fantasticam affirmant, quamuis quidam dicant illa uerba fuisse Auicen. qui ipsa addidit quòd non credimus, Auicen. in principio suæ epistolæ, quam fecit de hac arte, ad Asten de Recia philosophum allegat de hac contradictione dicens sic. Et fuit sententia, quam affirmant alchimiam profitentes una rerum, quibus ille scilicet Aristoteles qui ad bonitatem, & scientiam operatur, plurimum contradixit & illorum sententiam annihilauit &c. Sequuntur uerba Aristotelis in forma propria.

VNDE sic inquit philosophus ad literam. Sciant aũt semper alchimistæ, species uere permutari non posse.] *id est formas substantiales rerũ manente re.* [sed similia illis facere possunt.] *id est in accidentibus cõmunibus.* [& tingere.] *id est colorare.* [rubeum.] *id est æs.* [citrino] *id est colore simili auro.* [ut uideatur aurum.] *id est ad aspectum.* [& album.] *id est argentum stagnum uel plumbum.* [tingere colore.] *id est citrino.* [quo uolunt, donec multum sit simile auro, uel æri.] *id est ad uisum in accidentibus communibus.* [Possunt quoque plumbi immundicias absterge re.] *ut uideatur aurum, uel argentum.* [uerunta men semper erit plumbum.] *id est ut prius erat in forma.* [& si uideatur argentum sed optinebunt in eo.] *id est plumbo sic mutato.* [qualitates alienæ.] *id est similes qualitatibus auri uel argenti.* [ut errent homines in eo, ut qui accipiunt salem.] *id est communem.* [& salem armoniacum.] *quia uidentur idem & non sunt.*

[Cæterum ꝙ differentia specifica.] *id est substantialis.* [aliquo tollatur ingenio.] *id est alchimiæ.* [non credo posibile.] *si forma prima substãtialis non corrũpatur.* [& non est ꝙ una complexio.] *id est forma substantialis sequens complexionem.* [uertatur in aliam.] *id est formam.* [quia ista sensibilia.] *id est accidentia sensibilia.* [non sunt differentiæ.] *id est formæ substantiales.* [quibus permutatur species.] *id est forma.* [sed sunt accidentia & proprietates.] *id est quæ sensu apparent.* [differentiæ uero eorum.] *id est formæ substantiales constituentes speciẽ.* [non sunt cognitæ.] *quia non possunt sentiri.* [Cum uero non sit differentia cognita.] *scilicet sensu.* [quomodo sciri potest utrum tollatur, uel ne?] *id est nullo modo quia non sentitur.* [uel quomodo tolli posit? Sed expoliatio.] *id est ablatio.* [accidentium, ut uaporis.] *id est quia illa sunt accidentia, quæ sentiuntur.* [coloris ponderis uel saltem diminutio non est imposibilis.] *id est occultatio accidentiũ.* [quia contra hoc ratio non constat. Cæterũ proportio cõpositionis.] *id est proportio mixtionis ad quam sequitur forma substantialis.* [istarum substantiarum non erit in omnibus eadem.] *sed solũ similis.* [hæc igitur in illam permutari non poterit.] *id est uere secundum formam, sed solum apparenter.*] nisi forte in primam reducantur materiam.] *id est nudam à prima forma sub qua erat, & ab omni alia.* [tunc, in aliud q̃ prius erant permutentur. Hoc autem.] *id est reductio in*

primam materiam & nudam.] per solam liquefactionem non fit, sed accidunt eis ex hoc.] *id est liquefactione.* [res quædã extraneæ, &c.] *id est apparentes et sophisticæ. Vel sic & rectius. Metalla non possunt permutari in aurum nisi prius reducãtur in primã materiã, tunc in illud quod prius non erant permutari poterunt. Reductio autem eorum in primam materiam non potest fieri per solam illorum liquefactionem. Sed necesse est ex hoc, ut accidant eis res quædam extraneæ à natura metallorum. & sic ista ratio esset pro arte.*

TAMEN *per hæc uerba philosophus uisus est et conatus artem alchimiæ non posse esse secundum ueritatem puram et certam, sed solum secundum fantasiam et deceptionẽ. Et sic ex dictis suis quinque elicimus rationes. Quarum prima sumitur ex parte accidentium communium & est.*

Ratio I. Arist. Et XXI. *in ordine.*

QVICVNQVE *mutat res secundum accidentia solum, non mutat eas uere de specie in speciem, sed alchimistæ sic mutant metalla adinuicem, ergo &c. Maior nota est, quia differentia specierum adinuicem est secundum formam sed differentia secundum accidentia est indiuiduorum in eadem specie. Minorem probat, metalla enim differunt specie adinuicem quia non habent easdem formas, sed habent quædam similia accidentia in colore & pondere & alys accidentibus. talis autem mutatio in accidentibus est alteratio & non transmutatio, unde quamuis abstergant immunditias plumbi & ipsum colorant ut uideatur aurum uel argentum: tamen secundum formam substantialem est plumbum ut prius, quia in eo sunt qualitates alienæ introductæ & non forma alia substantialis, & propter hæc accidentia alienantur ho=*

mines aspicientes & errant, & dicunt ipsum esse aurum uel argentum cum tamen in rei ueritate non sit, sicut qui aspiciunt salem communem & salem armoniacum, quia enim utrunque habet naturam salis et communicat in genere salis, credunt ab hoc esse idem, cum tamen differunt specie.

Ratio II. Arist. Et XXII. in ordine.

SECVNDA ratio sumitur ex parte corruptionis formæ præexistentis. Et est talis. Quicunque non transmutat rem per corruptionem formæ substantialis & specificæ præexistentis, non transmutat eam in aliam speciem sed alchimistæ hoc non faciunt, ergo &c. Ista ratio ferè reducitur ad aliam, scilicet primam & probatur Maior & Minor sicut in prædicta.

Ratio III. Arist. Et XXIII. in ordine.

TERTIA ratio sumitur ex parte nostri iudicij, scilicet quòd non possumus uere cognoscere, utrum sint uere transmutata in aliam speciem, uel non, & est talis. Illud quod est nobis ignotum in aliqua re non potest sciri utrũ per aliquod artificium potest tolli uel non, uel quomodo tolli possit ab illa re, sed differentiæ specificæ metallorum sunt huiusmodi, ergo &c. Maior nota est, quia de ignotis existẽtibus non potest haberi scientia uel ars, neque modus ad introducendum uel corrumpendum ea in re. Minor similiter patet, quia differentiæ specificæ in rebus naturalibus metallicis sunt ignotæ nobis, non solum in metallis, sed etiam in omnibus rebus naturalibus, præterquam forsan in homine. quæ autem sunt nobis nota, in eis sunt accidentia & proprietates & passiones solum, quia subiacent sensibus nostris. ideo hic corrumpere possumus & alia introducere, ideo non possumus uere cognoscere & iudicare in metallis mutatis, utrum uere sint

mutata in aurum uel non, quoniã unusquisque bene iudicat de ijs, quæ cognoscit, et eorũ est bonus iudex, ut patet 1. ethi.

Ratio IIII. Arist. Et XXIIII. in ordine.

QVARTA ratio sumitur ex parte mixtionis & proportionis miscibilium in composito, & est talis. Quæcunque non habent eandem proportionem mixtionis & miscibiliũ in composito, non possunt eadem esse in specie, sed metalla mutata per alchimiam sunt huiusmodi, ergo, etc. Maior est nota, quia determinata proportio mixtionis & miscibilium in mixto adinuicem, disponunt mixtum ad talem formam determinatam, sequentem illam determinatam proportionem & non ad aliam per quam different ab alijs. Minorem suppo nit probatam ex prius dictis. Cũ igitur tali ignorantia, quomodo efficiet ars hæc uerum aurum & argentum?

Ratio V. Arist. Et XXV. in ordine.

QVINTA ratio sumitur ex parte materiæ primæ, mediante qua fit omnis generatio & corruptio & transmutatio de specie in speciem & est talis. Omne quod transmutatur de specie in speciem debet reduci in materiam primam, id est, nudam à forma prima, ut illa ad quam disposita erat introducatur sed alchimistæ non sic faciunt, ergo &c. Maior est nota, quia reducendo rem in suam materiam primam fit generatio & corruptio, & non aliter, quia talis motus est ad formam substantialem, & hic etiam motus qui est ad formam substantialem proprie dicitur mutatio, & nõ motus, ut probatur quinto physicorum. In alteratione aũt & augmentatione & diminutione est proprie motus, ut ibi dicitur. Propterea generatio est de non subiecto in subiectũ et corruptio econuerso, & sunt ambo in oppositione contradictoria. Reliqui autem motus sunt de subiecto in subiectũ

& in contraria oppositione minor patet ad oculum.
Non enim reducunt metalla in materiam primam, ergo nec generant, nec corrumpunt sed solum alterant. Liquefaciunt enim metallum ad ignem, & ipso metallo sic liquefacto existente, proijciunt suas quasdam medicinas prius per artem alchimiæ factas alterantes ipsum, ut similetur auro uel argento. Per solam enim liquefactionem non reducitur in materiam primam, sed accidunt res quædam extraneæ et phantasticæ, ergo quia non faciunt primo metallum nudum à forma prima, quomodo poterit in aliam speciem transmutariu nullo modo. Et si uellent dicere, quòd suas medicinas & suum lapidem physicum faciunt proprie per generationé & corruptionem & proportionem mixtionis & miscibilium determinatam, & cum hoc transmutant metalla de specie in speciem, Dicimus quòd quãuis faciunt suas medicinas per generationem & corruptionem & proportionem mixtionis & mixtorum determinatam & transmutent speciem in speciem: tamen per proiectionem ipsarum super metalla conflata in igne, non accidit corruptio & generatio metalli, ergo per consequens nec mutatio speciei in speciem, sed alteratio sola, quoniam non expoliant materiam nec denudant, à forma prima sub qua erat, ergo aut oportebit ponere duas formas substantiales in eadem materia quod est impossibile, aut oportebit ponere hanc introductam accidentalem, ergo est idẽ metallum ut prius. Vel possumus aliter formare hanc rationem ultimam, quia possent dicere quòd philosophus non accipit ibi materiam primam, prout est subiectum generationis & corruptionis, sed intelligit materiam primam, id est, propinquam, ad susceptionem formæ in aliqua specie, unde materia prima hominis est sperma & sanguis menstruus si=

militer & in alijs, quamuis ut plurimũ, materiæ propinquæ sint nobis ignotæ. Arguemus ergo sic. Nulla res potest transmutari in aliam speciem nisi reducatur in materiã primam ex qua generatur illa res. sed alchimistæ non sic faciũt, ergo etc. Maior est nota, deficiente enim materia prima propinqua alicui rei, deficit & generatio illius rei, quia non introducuntur formæ, nisi de potentia materiæ determinatæ. Minor patet per ipsos, quia materia propinqua & principiũ auri & argenti, & aliorum etiam metallorum est argentum uiuum & sulphur, ut patet ex quarto metheororũ & per omnes philosophos alchimiæ, sed ipsi per solam liquefactionẽ, non reducunt nec reducere possunt, illa quæ transmutare intendunt in argentum uiuum & sulphur. ergo nunquam uere transmutant metalla adinuicem sed sophystice, nam sicut si ex aliqua re debet fieri homo ut ex carnibus & oleribus quæ comeduntur & ex alijs cibis, oportet quòd prius fiant sanguis & ex sanguine sperma etc. Ita si aliqua metalla debent fieri aurum & argentum, oportet quòd prius fiant arg.ui. & sul. Et hæc ratio nõ sic uidetur consona dictis philosophi ut prima. Vel possumus dicere quòd accipit pro materia prima quattuor elementa, quoniam omne mixtum generatur ex eis, & in ipsis est omne mixtum in potentia confusa, cum sint materia prima mixtorum omnium & hoc modo ex quolibet fit quodlibet & potest formari ratio & probari præmisse ut in ratione præcedenti dictum est, quamuis hæc ratio non uideatur consonare dictis philosophi. Et si adhuc uellent dicere metalla non differre specie, sed solum per accidentia quædam. Vt plures eorum extimant etiam sicut sanũ & ægrum, per solum motum alterationis unum fit aliud unde sicut homo æger per solum motum alterationis fit sanus,

absque motu generationis & corruptionis. Ita metalla ægra per solam alterationem & accidentium communium mutationem & ægritudinem in ipsis facientium remotionem, sanantur & perficiuntur & remanent aurum & argentum uerum. Dicimus quòd posito hoc in magnum incidunt inconueniens, scilicet quia oportet eos ponere omnia metalla esse aurum actu, quod est impossibile. Et ratio est quia quæcunque differunt, solum secundum accidentia habent necessario eandem formam substantialem actu, si ergo ita est ut dicunt, oportet eos necessario concedere seu confiteri omnia metalla ægra habere eandem formam substantialem actu cum auro & argento, ergo plumbum & æs & metalla reliqua sunt actu aurum & argentum. Et quia quæcunque habent, eandem penitus formam substantialem actu, habent easdem proprietates & passiones actu cum proprietas & propria passio immediate procedat à forma substantiali. Ideo oportet quòd omnia metalla habeant easdem proprietates & passiones actu cum auro, siue sint actiuæ siue passiuæ. Sed hoc non habent, quia neque tollerant examinationes ignis omnes ut aurum, neque cor confortant ut aurum, ergo ipsa necessario differunt specie & non accidente solum, oportet ergo quòd per motum generationis & corruptionis transmutent & non solum alterationis. sed hic non faciunt, ergo fantasticæ transmutant. Et si adhuc ipsi uellent dicere confitentur, quòd omnia metalla sunt actu aurum, & habent formam substantialem auri actu, non tamen est necesse, ut habeant easdem passiones & proprietates actu cũ auro, quia ægritudo eorum hoc occultat. Sicut uerbi gratia. Si quis enim homo laboret epylepsia uel apoplexia, aut mania, aut phrenesi planum est, ꝓ nõ potest exercere operationes hominis.

Similiter mulier cum patitur ſuffocationem matricis aut ſincopen, omnes tamen habent formam ſubſtantialem hominis actu, non tamen proprietates & paſſiones hominis habent actu, nec eas exercere poſſunt, nec actiuas nec paſſiuas. Simili modo ſic dicimus, poſſe eſſe in metallis ægris, quoniam ſunt actu aurum & habent formam ſubſtantialem auri actu ſed eorum ægritudo, ipſorum proprietates & paſſiones occultat, ut non in actu appareant operationes auri & argenti. Et ideo ſicut homo eger adhibita medicina per alterationem ſolam fit ſanus & manet idem homo formaliter ut prius. ſic & in metallis per artem alchimiæ poſſe fieri eſt exiſtimandũ. Dicimus eos loqui ut mente captos et ueritatẽ naturalium penitus ignorare, quia talem differentiam non poſſunt habere metalla adinuicem. Et ratio huius eſt. Quæcunque habent eandem formam ſubſtantialem, actu peruenerunt, in ſui generatione ad terminum motus, in quo acquiritur forma. ſed metalla reliqua præter aurum, & argẽtum non peruenerunt ad illum terminum motus, ad quem peruenit aurum & argentum, ergo non habent actu formam auri & argenti. Maior eſt nota, quia non acquiritur nec generatur, forma ſubſtantialis in aliqua re, niſi in termino motus, in toto enim motu præcedunt diſpoſitiones habilitantes ad formam ſuſcipiendam, & in termino generatur forma, ergo non poſſunt alicui ineſſe proprietates & propriæ paſſiones, quæ ſequuntur formam aliquam niſi rei quæ fuit in termino motus. Non enim poteſt aliquid habere proprietates & proprias paſſiones hominis, niſi ſit informatum forma hominis. Similiter & in alijs. Minor patet ad ſenſum quoniam terminus motus eſt in expoliatione ſulphuris ab argento uiuo, facta digeſtione. hæc autem ineſt ſoli auro

& argento. Immo proprie & per se auro soli, sicut ostendetur. Cum igitur cætera metalla nondum sint expoliata ab ipso, ergo nondum peruenerunt ad illum terminum motus, quamuis sint in continua potentia ordinaria ad ipsum, ergo non possunt inesse nec occultare in eis proprietates & proprie passiones auri & argenti propterea, quia sint ægra. Sed homo sanus & æger fuerunt, & sunt in termino motus & acquisiuerunt formam per quam sunt homines. ideo habent proprietates & proprias passiones, quæ possunt inesse homini siue per se siue per accidens insunt eis, & possunt manifestari & occultari in eis, non autem sic in metallis. Falsum ergo dicunt quidam sapientes naturales talia in superficie considerantes. s. quòd alchimistæ operantur, sicut periti medicorum, qui dant ægro medicinas digestiuas & purgantes humores corruptos, & postea medicinam confortatiuam & fiunt sani, quia secus est in ijs & in illis. Sic igitur ars ista & operatio eius friuola & uana ac impossibilis uidetur, quia siue ponant metalla omnia differre specie adinuicem siue accidente, hæ rationes ponunt tam artem, quàm eius operationẽ impossibilem. Aliæ adhuc rationes adduci possent, sed quia dictæ sufficere uidentur, ideo silemus eas.

Sequuntur affirmationes & probationes dictæ artis alchimiæ.

ICTA autem ars probatur esse uera triplici modo. Primo ex suis ueris autoribus. Secundo firmissimis rationibus. Tertio à simili & exẽplis manifestis. Cum ergo uideatur unicuique intelligenti, & usum rationis habenti, quòd testificatio sapientum in suis

artibus & scientijs, sit magna probatio ad sententiandum ueritates obscuras & difficiles. Propterea dicitur in dialecticis, unicuique experto in sua arte credendum est. Vnde Aristoteles decimo ethicorum. Consonare utique rationibus uidentur sapientum opiniones. Probatur quinimmo, ueritas huius artis, autoribus primo multis, quia reperimus antiquos philosophos famosos, quæ in alijs artibus & scientijs scripserunt & ueritatem tradere conati sunt in hac arte libros composuisse affirmantes & docentes quòd ars hæc sit uerissima & sequela naturæ. & regulās naturam in materia propria, ad finem à natura intentum, quem natura attingere nunquam posset, & hoc uno modo tantum, ut dicetur. Vnde Hermes in suis secretis dicit. Verum sine mendacio certum & uerissimum quod est superius, est sicut quod est inferius, & quod inferius est sicut quòd est superius, ad perpetrāda miracula unius rei &c. Et Morienus. Si autem ea quæ tibi dixero & testimonia antiquorum recte inspexeris bene & aperte cognosces nos omnes in uno conuenire & omnia quæ diximus uera proferre &c. Et omnes breuiter hoc idem uolunt. Et sunt sicut Hermes termegistus pater & propheta philosophorum. Pythagoras, Anaxagoras, Socrates, Plato, Democritus, Aristotiles, Zeno, Heraclytus, Diogenes, Lucas, Hypocrates, Hamec, Thebit, Geber, Rasis, Haly, Morienus, Theophylus, Permenides, Mellissus, Empedocles, Abohaly, Abinceni, Homerus, Ptolomeus, Virgilius, Ouidius & alij quàm plurimi philosophī & huius ueritatis amatores, quorum nomina ualde prolixum & tædiosum esset scribere. Et eorum plurium libros uidimus, & iuxta posse nostrum modicum & ingenium studuimus quāuis operationi & labori fuerimus raro dediti. Voluimus

enim

enim libris eorum mente uigili ſtudere prius & eos imagina biliter uoluere & reuoluere die ac nocte cum inſtantia, ut loquelam ueram ipſorum figuratam, & radicem habere poſſemus, ut ſciremus circa quid & quo operentur ſecudum rõnem & non ſecudũ fortunam & caſum ſi Deus uoluerit. Vnde Hermes in ſecundo. Fili quicquid audis ratiocinare, non enim puto te ratione eſſe priuatum &c. Ideo Raſis libro perfecti magiſterij hortans nos ad tale ſtudiũ dicit. Rogo itaq; te fili. ut inceſſabili lectione philoſophiæ libros ſcruteris, ut & eius filius eſſe, & huius archani magiſterij habere ſagaciã merearis. Qui.n.in legendis libris deſes extiterit in præparandis rebus promptus eſſe non poterit, quia non poteſt de leui eius in practica, manus clareſcere, niſi cuius mens prius in theorica maceratur. Illæ nãque ad operationes ſecurus accedit in cuius mentis enigmate plures operationũ imagines, uariaq; reſultant &c. Et Geber in prooemio ſummæ ſuæ. Labora utique fili ſtudere in uoluminibus noſtris, & ea ſæpiſſime in mente tua reuolue, ut intentionem ex loquela noſtra ueram acquiras &c. Vnde Galenus talem inquiſitionem oſtendens, dicit ſexto de ingenio ſanitatis. Oportet ut primo ſecundum rationem conſideranda conſiderentur, deinde cum experimento certificentur, ut ratio per experimẽtum confirmetur. Et idem in ſecundo eiuſdem. Virtus rationis, experimenti uirtutem oſtendit & ordinat. Et ſicut uera ratio experimentum decorat, ſic mala ratio eum dedecorat. Eſt autem magna probatio in aliqua obſcura ſcientia & maxime quando eſt obſcure tradita inducere autorũ nomina & autoritates antiquorum philoſophorum in illa. Ideo philoſophus in ethicorum ſecundo. In obſcuris oportet apertis teſtimonijs uti. Et Morienus. Omnis enim res uſque dum

per ſuum effectum eſſe dignoſcatur, multorum teſtimonio ue rior comprobatur. Et ſecundum Raſim in 70. Antiqui philoſophi ſunt quibus innitendum eſt. Vnde Abohaly, id eſt, Auicenna in medicina libro quarto capitulo de febribus rariſſime euenientibus, quæ dicũtur quintanæ, ſextanæ etc. dicit. Et non oportet, ut negentur ægritudines quas non contingit uidere niſi in tempore quodam et regione quadam: nam hoc genus non comprehenditur &c. Neminem igitur ſapientem in naturalibus cõcedere neceſſe eſt artem alchimiæ, non eſſe ueram, quamuis eam ignoret: ſufficit enim habere teſtes tales ut Hermetem, Hypocratẽ &c. & quàm plures alios. Cauſæ enim quàm plures ſunt, quare ſcientes eam occultãt. Et quia non uident homines in partibus in quibus ſunt, nec audiunt, à longinquis alios habentes ipſam iudicant, quòd uana ſit. Iſti enim tales ſunt tanquam puer à principio natiuitatis uſque ad ſenectutem in domo incluſus non putans mundi latitudinem extendi ultra domũ in qua concluſus eſt, uel ultra quàm oculus ſuus, non poſſit conſpicere. Et ob hoc, Auicenna in primis uerbis ſui tractatus quem fecit ad Aſten de Recia tangẽs quomodo Ariſtotiles in fine decimi me theororum contradixit alchimiſtæ illorum ſententiam annihilando, ſubiungit. Mihi uero excuſatio non fuit in arte mea, quando ſcirem intentionem ambarum ſectarum. Conſidera ui libros affirmantium artem & inueni eos uacuos rationibus, quæ ſunt apud omnem artem, & reperi plurimũ eius quod in eis continetur alienationis ſimile, id eſt, ſimilitudini & figuræ. Poſtea aſpexi in libris contradicentium eis & reperi contradictionem debilem & ratiocinationem leuem, quæ ars non deſtruitur. Dicit uacuas rationibus, hoc dicit, quia omnis ars & ſcientia habetur per ſuas demoſtrationes expreſ

ſas ſiue per ſenſum ſiue intellectum: ſed alchimia non utitur demõſtrationibus aliquo illorum modorum, quoniam nõ probatur nec probat, ut aliæ, neque exprimit eas quas habet ut aliæ, ſed magis occultat, cuius cauſæ ſuperius tactæ ſunt.

Poſtquam probauit artem primo ex ſuis ueraciſſimis autoribus, nunc probat illam rationibus & principaliter duabus.

SECVNDO probatur. Rationibus & principaliter duabus, quamuis ſit ualde difficile hanc artem per rationes demõſtrare. Vnde philoſophus primo Topicorum. Quædam ſunt problemata de quibus ſunt contrarij ſyllogiſmi probabiles ad utranque partem, dubitationem tamen habent utrum ſic ſit, uel non ſit. Propter rationes utriuſque partis ueriſimiles. Et quædam ſunt problemata, de quibus non habemus rationem propter difficultatem &c. Et alchimia eſt de illis. Modo dico, quòd ſicut in cæteris ſcientijs operatiuis, earum ueritas eſſe probatur, ſic & in hac ſufficiet, cum hæc ſit in earũ ſerie. Vnde philoſophus primo Topicorum & tertio. Quando utitur hypotheſi ſi demonſtrauerimus ſic ſe habere in alijs & in propoſito demonſtrationem fecimus. Sicut ergo in ſcientijs operatiuis uolẽdo probare ueritatem alicuius ſenſitiui, nos probamus per demonſtrationem ſenſitiuam ſolum, oſtendendo ueritatem medij ad ſenſum & non ad intellectum, ſimili modo oportet nos facere in hac. Vnde philoſophus primo poſteriorum. Sicut in demonſtrationibus uniuerſalibus medium demonſtratur ad intellectum, ita in particularibus medium monſtratur ad ſenſum. Sicut ergo de obiecto intellectus, non poſſu-

mus iudicare per ſenſum, ſic nec econuerſo ut patet in eodem. Et ſicut elicitur ex uerbis eius ſecundo cœli & mundi contra illos qui dicunt, terram moueri circulariter, & terram eſſe in cœlo unam ex ſtellis, & locum ignis eſſe in centro, quia in ſenſibilibus debemus iudicare per ſenſum, ergo qui hanc artem ab intellectu non eſſe ueram arguunt, nihil probant. Quod ſi eis ſenſibile deficiat, cuius cauſam ſupra oſtendimus, hoc non probat artem non eſſe ueram ſufficienter. Immo magis probat contrarium, cum imperfectorum alterationes uerſus perfecta uideant. Vnde de his iudicijs ſenſus & intellectus philoſophus decimoſeptimo de animalibus de generatione apum dicit, quòd ex ratione probauit, generationem apum talem eſſe ex accidentibus quæ nunc uidentur circa ipſas, non tamen accidentia ſufficienter accepta ſunt, quòd ſi ſumantur tunc ſenſui magis quàm rationi credendum eſt. Amplius dicimus quòd probare & ſyllogizare hanc artem eſſe ueram apud ignotos incredulos & inſenſatos eſt, ſicut ſyllogizare de coloribus figuris & motibus apud cæcos, & de ſonis & uocibus apud ſurdos. quantumcunque enim eis in ijs probes quid uerum non confitebitur aliquis, quia medium non ſentit nec intelligit, ergo nec iudicare nec confiteri poteſt. Vnde philoſophus primo ethicorum. Vnuſquiſque bene iudicat de ijs quæ cognoſcit, & eorum eſt bonus iudex. Et in primo Topicorum, qui enim ſentit, aliquomodo iudicat. Et in eodem, qui negat niuem eſſe albam indiget ſenſu: unde idem in principio poſteriorum dicit. Omnis doctrina & omnis diſciplina intellectiua ex præexiſtenti fit cognitione. Ideo idem in eodem capitulo dicit. Si enim aliquis ſenſus deficit, neceſſe eſt illam ſcientiam deficere, quæ per illum ſenſum acquiritur. Similiter & in reliquis ſenſibus eſt inducere.

Veruntamen sicut cæcis deficit uirtus uisiua ratione organi impediti & obiectum est præsens. Ita hic est econuerso. Propterea ergo cum hic obiectum non sentiunt, cum tamen sit sensibile iudicant hanc artem non esse ueram. Talibus autē hanc artem ueram esse non probamus, nisi prius credant. Ideo philosophus primo posteriorū. Oportet discentem credere. Et ideo primo Topicorum. Non est cum omni disputandum, nec contra quemlibet exercitandum. Ideo dixit Pythagoras in turba philosophorum. Si enim elementa ueraciter sciretis, hæc non negaretis. Rursus, si quis in scientia medicinæ quæ est operatiua uelit probare aliquam medicinam particularem in sua specie talem in humano corpore curare ægritudinem, aut talem efficere operationem, per demonstrationem sensitiuam solum procedet, cuius ueritatem solum experimentum certificat. Experimentum autem fecit artem ut dicit philosophus secundo posteriorum & primo metaphysicæ. Verbi gratia. Aliquis patitur superabundantiam coleræ rubeæ in uenis stomachi & hepatis, eius autem cura secundum rationem, post digestionem, est euacuatio. Volens autem probare, quòd sit aliqua medicina faciens hanc operationē, arguam sic necessario. Omne quod habet euacuare choleram superabundantem in uenis stomachi & hepatis post digestionem, habet sanare patientem, sed reubarbarum & scamonea sunt huiusmodi, ergo &c. Maior nota est, cū euacuatio illius coleræ iam digerente sit eius uera sanatio, quia ipsa facta est horribilis & odiosa naturæ. Minor autem non potest probari nisi experimento & experimētum nō probatur nec cognoscitur, nisi per sensum & proprie per sensum uisus, scilicet uidendo ad oculum utrum sic sit uel non. unde Hamec in commento stollicarum. Non peruenitur ad

ſcientiam rei niſi per uiſionem rei. Et Auicenna in tracta tu ſuo. Nos quidem ſciuimus illud ante experimentum cũ ratiocinatione quam uerificauit experimentum. Similiter ſi quis uelit probare, quòd hermodactili attrahũt et euacuãt phlegma à iuncturis, & quòd lapis iudaicus franget, & educit lapides renum, & lapis ſpongiæ, lapides ueſicæ, & quòd lapis lazuli & lapis armenus euacuant melancholiam, & ſcamonea choleram, & æs uſtum aquam, & quòd apiũ noceat prægnantibus & pueris & epilepticis. Et quòd lepus marinus comeſtus inducat phthiſim, & piper calefaciat, & lactuca infrigidet & colocynthis & abſinthium ſunt amara & mel ſit dulce & napellus uenenum, & magnes attrahat ferrum & charabe paleas, & arſenicum dealbat æs, & tutia citrinat & multa talia. Non niſi per experimentũ probabit, quoniam ueritas quæ conſiſtit in medio rationis, debet oſtendi per ſenſum neceſſario. eodẽmodo eſt in Geometria, Aſtronomia, Muſica, Perſpectiua & in cæteris ſcientijs quarum finis tendit ad practicam & operationem. Similiter igitur mõ per hypotheſim arguemus in alchimia penitus ſic. Omne quod habet tranſmutare metalla imperfecta & incõpleta ad perfecta & completa, habet efficere aurum & argentum, ſed lapis de quo dicunt philoſophi eſt huiuſmodi, ergo &c. Maior patet, quia ſint tantum duo metalla perfecta, ſcilicet aurum & argentũ, ſicut in mundo ſunt duo luminaria perfecta, ſcilicet ſol & luna. reliqua uero metalla imperfecta ſint & incompleta, tunc quicunque reducit illa de imperfectione & incomplexione, ad perfectionem & complexionem conuertet in aurum & argentum. Minor probari non poteſt, niſi experimento. & experimentum non cognoſcitur, niſi per ſenſum ut ſuperius eſt declaratum. Et in hoc

proprie est finis artis & complementum & confessio ueritatis ipsius. Ideo bene dicit egregius Aristoteles tertio cœli & mundi. Scilicet necesse est ut iudicemus super quasdam res ex complemento ipsarum & earum finem, & non ex earum principijs, nam omni scientiæ est complemẽtum & finis, quòd est, quia complementum artis & complementum naturæ, est per rem sensibilem cadentem sub uisu &c. Et huic, concordat quod dicit Galenus tertio de crisi, scilicet quòd uerificatio in unaquaque arte & ipsius affirmatio fit ex operationibus eius, et ipsius inuentione. Et processio ex eius principijs &c. Ex quibus patet, quòd hæc ars & omnis ferè alia, non potest probari ex suis principijs, sed ex operationibus. Vnde Auicenna in tractatu suo. Testatur autem ad credendam meditationem experimentum. Et philosophus decimo ethicorum. In operabilibus ex operibus indicatur. Et Rasis in lumine luminum. Nam quod diximus, eius experimentum ueritatem indicat.

CIRCA præsentem literam. Ex quibus patet &c. Notandum quòd ars ista est ministrans naturæ & eam consequens. Ideo duplicia sunt eius principia, scilicet naturalia & artificialia. Naturalia sunt quatuor elementorum causæ, metallorum cum suis annexis, & hæc principia recipit credita à scientia sibi superiori, sed exquisite discutit ea, ut possit sequi naturam. Principiorum uero artificialium, quædam dicuntur modi operationum quibus artifex applicatur ad magisterium ut intentum perficiat: qui sunt octo secundum Geber, scilicet Sublimatio, Discensio, Distillatio, Calcinatio, Solutio, Coagulatio, Fixio & Ceratio, absque annexis suis. Quædam sunt non proprie principia sicut probationes & iudicia ostendentia ueritatem uel falsitatem dictorum princi-

piorum, eiusque quod operatum est ex eis, scilicet utrum sit idem aurum penitus cum minerali uel non, & sunt nouem, scilicet Cinericium, Cementum, Ignitio, Fusio, Expositio super uapores acutos, Extinctio, Commixtio rei adurentis. Reductio post calcinationem & susceptio argenti uiui facilis uel difficilis, de quibus omnibus Geber in summa sua perfecti magisterij. Est autem & principium unum aliud ab ijs excelsum & diuinum, quod est sicut clauis & nexus illorum, sine quo non potest perfici opus hoc, quod supra omnem rationem debet cadere in intellectum, ante principium operationis & ultimo in sensu. Et hoc est quod induxit Platonem inuestigando philosophiam, incipere ab intellectu & finire in sensu, & iterum redire & reflectere ad intellectum uia circulari, cuius contrarium fecit Aristoteles. Vnde Auicenna non potens hoc principium firmare per naturales rationes, sicut nec unquam aliquis alter naturalis philosophus, dixit capitulo de substantia fixa, quòd experimentum destruit formam specificá eius. Et uult dicere, quòd fixum destruit formam specificam uolatilis, ut non fugiat. Et capitulo de compositione medicinæ dicit, quòd cum aquæ permiscentur, & commiscentur uehementer. deinde exsiccantur, & coagulantur, & conglutinantur ita, quòd si uicerit summa uolatilis summam fixi uolabit cum ea, & si non uicerit figetur cum ea. Et uult dicere ꝙ uolatile potest uolare cum fixo et perditur opus, & fixum potest retinere uolatile & perficitur opus, quòd est mirabile ualde. Idem in eodẽ dicit sic. Et sciuimus per principia plurima scientiæ naturalis, ꝙ possibile est, ut res & substantiæ, quarum radix est terra & aqua, resoluantur & currentes fiant. Deinde sciuimus per canones alios. s. nõ naturales

ſed alchimicos, & diuinos, quòd iſta elixiria prædicta cum reſoluuntur, non prohibetur reſolutio ab operationibus ſuis radicalibus omnino, immo remanet nobis de uirtutibus earũ quòd uolumus. Teſtatur autem ad credendam meditationem experimentum etc. Principium autem hoc præcipue traditum eſt totum ſub figura, & allegoria propter ultimam difficultatem eius et inueſtigationem ſupra rationem. Ex cuius ignorantia prædicta principia nil proſunt, quia ueritatem ſui & aliorum in experimento oſtendit & ſenſu & in experimento patet ueritas principiorum hæc de prima ratione.

RATIO ſecunda eſt hæc. In quocunque reperiuntur proprietates & paſſiones & operationes omnes ſpecificæ alicuius rei, illud eſt idem penitus, quòd illa res: ſed in auro & argento per alchimiam generato, reperiuntur omnia hæc, quæ in auro & argento minerali, ergo etc. Maior huius rationis uerificatur, quæ differentiæ ſpecificæ rerum ſiue formæ ſubſtantiales ſunt nobis ignotæ, ut patet ex 4. meteo. in fine. & ex primo de anima, nec cognoſcimus eas niſi per proprietates, & proprias paſſiones, & proprietates, & paſſiones, per operationes & accidentia. Et ideo quales ſunt operationes & accidentia in rebus, tales iudicamus proprietates, & paſſiones. ergo & per conſequens formas, quia omnis cognitio noſtra incipit à ſenſu, ut patet primo phyſicorum. & primo poſteriorum, & primo metaphiſicæ. Vnde philoſophus primo de anima uolens nos inducere, ex hoc in cognitionem animæ & aliarũ formarum, dicit ſic accidentia magnã partem conferunt ad cognoſcendum, quod quid eſt. id eſt difinitionem & formam ſubſtantialem, quod quid eſt, talis aut cognitio, ſcilicet accidentium eſt per ſenſum, quia ſola accidentia ſunt obiecta ſenſuum. Et ideo Philoſophus 4. me

teo. arguens ex operationibus rerum, & accidentibus super ipsas formas dicit sic, quod enim facit operationes oculi est oculus, quod uero non, non est oculus, sed imago oculi, & serra lignea non est serra, sed imago serræ &c. Vnde dico, quòd optimum genus inquisitionis & certissimum, est cognitio rei per accidentia propria, quia tunc per causam uniuscuiusque rei propria, res cognoscitur, cum de accidentibus eius proprijs minime dubitatur. Neq; est hoc in metallis difficile, cum non sint diuersæ substantiæ adinuicem, sed homogenea per totum. Minor patet sic, quia quicunque uult cognoscere aurum & argentum secundum eorum formam specificam, cognoscet per eorum proprietates & passiones, et accidentia, & operationes siue sint actiuæ siue passiuæ. Modo de proprietatibus auri, est esse metallum coloris citrini fulgentis ad ignem fusibile, sub malleo per omnem dimensionem extensibile, substantiæ homogeneæ & ponderosæ ualde, & substinere iudicium ignis absque mutatione & diminutione sui per cinericium & cementum, & confortare cor. neque plus cognitum est de cognitionibus auri in toto mundo per philosophos, & fossores minerarũ metallorum per experientiam sic confirmant. In quocunque ergo metallo per alchimiam transmutato reperiemus omnis proprietatates & accidentia, & operationes, necessario arguemus ipsum esse aurum, & si aliqua illarum conditionum quæ dicta est deficiat, non erit aurum. Quia ergo aurum alchimicum habet omnia prædicta, ideo iudicamus ipsum esse aurum necessario. experimentum autem secundũ philosophos testificatur hic ut dictum est secundum sensum. Quod si non est idem aurum cum minerali, oportebit neeessario eos ponere easdem proprietates omnes in specie, manare à contrarijs formis, quod

est penitus impossibile. oportet igitur quod sint idem. De confortatione autem cordis, quod facit aurum minerale sicut dicunt medici, quia quidam idiotæ dicunt, quòd aurum alchimicum cor non confortat. Plato in 3. stollicarum expresse est contra eos. Et similiter in commento ibidem Hamec. Et similiter Haly in suis secretis. Et Aristo. in suo libello de secretis secreto. ca. de lapidibus pretiosis etc. Sunt etiam aliæ rationes ad probandum artem esse ueram, de quibus post dicetur, quando dicetur de principijs, & de generatione metallorum, in generali, & in speciali, & eorum transmutatione.

Tertio probatur eius ueritas exemplis & similitudinibus.

VNC uero à simili probemus. Quibusdam enim placet, & satisfacit magis audire similia, proportionabilia, cum rationes syllogisticas intelligere non possunt. Et similiter difficile est syllogizare. Vnde philosophus 9. metaphisicæ, non oportet cuiuslibet terminos quærere sed proportionale conspicere. Hæc autem similitudo, & proportio reperitur tam in animatis, quàm in uegetabilibus, & minerabilibus & etiam elementis, & à natura sola, & cum auxilio artis. Natura enim generat ranas in nubibus, aut in puluere asperso pluuia per putrefactionem, ex ultima dispositione materiæ ad hoc propinqua. Et refert Auicennas, quòd uitulus in nubibus generatus est cum tonitruis, & cecidit cum pluuia semiuiuus. Et dicit q natura in talibus facit subitas generationes. Cum ministratione etiã artis facit similia naturalibus, Vt ex basilicon contrito & debite ministrato & putrefacto scorpiones gene-

rantur. Et ex elixatura anatis ad serenum cooperta buf=
fones. Et ex uitulo strangulato apes, cum putrescit hu=
miditas illa per ebullitionem à calore extraneo. Et uespæ,
ex carne asini, & scarabæi ex carnibus equi & locustæ de
carnibus muli. Et planum est, quòd hæc talia omnino sunt
similia illis, quæ à sola natura processerunt, quãuis locus sit
alius, & materia alia, et dispositiones aliæ. Sed proportiones
miscibilium ultimas, & dispositiones ultimas in tali materia
et tali loco credimus esse omnino easdẽ cum ijs, quæ à sola na
tura generata sunt uirtute corporũ cœlestium, quãuis præce=
dentia sint ualde diuersa, propter diuersitatem materiæ, er
go & formas easdem credimus. Aristoteles tamen 6. de
animalibus est contra hoc, qui dicit, quòd sunt idem solum
secundum genus, & similitudinem, & non secundum for=
mam. Et in 15. de animalibus dicit idẽ. Et similiter 7. meta.
Vnde Auerrois, in commento ibidem dicit, mures generatos
ex putrefactione non esse idem in specie cum generatis ex
propagatione, quia dicit propagando conseruari non possunt
in specie. Sed nos dicimus formicas, muscas, araneas, &
alia pluria generata ex putrefactione, quæ post ouando per
propagationem conseruantur in specie sibi similij. Aut ergo
erunt eadem specie cum illis, quod credimus, aut eadem ac
cidentia, & operationes manabunt à contrarijs formis, quod
est impossibile. Similiter natura non faceret in eis membra
generationis frustra. In uegetabilibus etiam hoc patet.
Natura enim generat ex putrefactiote portulacas, bletas, cau
les, parietariam & cucurbitas, & alia plura genera uege=
tabilium. Et illa etiam eadem ex proprijs seminibus, & fa=
ciunt flores & folia & semina eadem, & conseruantur in
specie sibi simili per semina eadem. & hoc patet per Galie=

num in primo alimentorum, capitulo de fœniculo, qui dicit, sic, & spontaneum quidem, quoniam nascitur hoc sicut & anetum, sed etiam seminantur ipsa per hortos. Vnde dicimus quòd quædam sunt, quæ per solam propagationem generant, ut homo, uipera, cetus & palma: quædam per solam putrefactionē, ut pediculus, pulex, gramen, uermes terrestres, et similia imperfecta: quædā quæ utroque modo, ut mures et portulacæ etc. Sicut ergo in animatis anima uegetabili utroquemodo generatis, pœnitus arguimus esse eadem specie, quia eodem modo utraque possunt conseruari in esse, sic & in animatis anima sensibili penitus arguemus, quòd totum accidit propter ultimam dispositionem, & proportionem agentis, & patientis. Vnde dicit philosophus primo de uegetabilibus, quòd natura transmutat calamentum in mētam, et triticum in siliginem, et linū in scilem, idest lolium & malas in bonas, & econuerso, ut illa quæ fuit transplantata. de Persia in Aegyptum. & ideo dicit ibi, quòd à quibusdam malis seminibus proueniunt bonæ plantæ, & econuerso, sed non de facili, & hoc etiam in animali contingit multoties, ut ibi dicit, & diuersitas regionum hoc quàm maxime operatur.

IN mineralibus etiam hoc est planum, quamuis non in omnibus. generat enim natura in nubibus, quādoq; sagittas lapideas, et ferreas cum tonitruis terribilibus. Vnde philosophus iuxta finem, quarti meteororum, sic dicit ad literam. Sæpe etiam fiunt lapides ex igne, cum extinguitur. i. uapore igneo, scilicet in nube, et sæpe contingit corpora ferrea et lapidea cadere, cū coruscationibus, ut uapor igneus, quia ignis frigidus, et siccus est in extinctione sua. Et in Persia cadunt cum corruscationibus corpora ærea, ut æs ustum, uel

ſimilia ſagittis hamatis, id eſt barbatis, et non poſſunt lique fieri per ignem, ſed euaporant in fumum, uiriditati attinentem. donec reſiduum ſit cinis. Cecidit quoque apud Vergen fruſtum ferri 150. atronarum, quod præ duritia ſua ferè erat infrangibile, miſſa eſt tamen pars eius regi Coraſceni, qui cum præcepiſſet enſes inde fieri erat infabricabile. Dicunt tamen Arabes, quòd enſes Alemanici, qui optimi ſunt de tali ferro fiunt (dicit hic enſes tales ex tali ferro fieri) ſecundum uulgos Arabes quia uulgus abſq; ratione loquitur. Cum autem cecidit maſſa illa, reſilijt aliquotiens à terra, ut pila, eratque compoſita ex minimus fruſtilis cohærentibus ad inuicem, ad quantitatem granorum millij magnorum. Simile huic rei euenit apud Tepaſtrem, ſic ergo etiam fiunt lapides. eorum ſiquidem generatio uel erit ſubito, propter magnum calorem accidentem luto uiſcoſo, aut paulatim propter multum temporis etc. In quibus uerbis philoſophus inſinuat, quòd natura facit generationes ſimiles, ſed aliquando ſubitas, aliquando paulatinas, & in diuerſa materia, & diuerſimode. Idem in eodem. Sunt autē certa loca ſuper quæ aquæ effuſæ uertuntur in lapides diuerſorum colorum, ſuntq; aquæ, quæ ſeorſum acceptæ non gelantur, quæ ſi prope alueum ſuum fundantur, congelantur et fiunt lapides. ſcimus ergo, quòd in terra illa eſt uis mineralis, quæ congelat aquas etc. Idem ibidem dicit, quòd ſunt quædam uegetabilia, & quædam animalia, quæ conuertuntur in lapides uirtute, quadam minerali lapidificatiua. & hæc tranſmutatio corporum animalium uegetabilium in lapides eſt æque propinqua, ſicut aquarum transmutatio, & quædam fiunt tardius, & quædam citius, ſecundum potentiam actiuorum, & reſiſtentiam paſſiuorum. Idem ibidem dicit, quod eſt

locus in Arabia, qui omnia corpora ibi existentia colorat co lore suo. Panis quoque Corasceni in lapidem mutatus est, re mansit tamen ei color suus, suntq; talia mira, quia raro fiunt uel accidunt, cæterum causæ eorum manifestæ sunt etc. Ista talia extranea facit natura, in paucis locis minerarum extraneis & sunt ualde miranda. Multa etiam in scripturis uidimus, & oretenus audiuimus de mineris diuersis in quibus quasi incredibilia fiunt omnino. Similiter in elemẽtis hoc idem patet. Ex concussione enim quorundam lapidum cum chalibe generamus subito ex aere ignem, & ex aquæ ebullitione aerem, & ex condensatione aeris aquam, & ex reseruatione aquæ terram, & connectuntur, & sunt eadem penitus cum naturalibus suis solis. Quæcunque tamen exemplaria hic adducta sunt de transmutationibus rerum, non ideo, ut omnino proportionalia sint adducta sunt, quoniam exempla ponimus, non ut semper uera sint, sed ut sentiat, qui adiscit, ut dicitur primo priorum. Sed hoc ideo ut sit satisfactio quibusdam in superficie speculantibus, & non in profundo, ostendendo opera miranda naturæ, & transmutationes extraneas, ut adhuc uelut longe distantes imaginentur hanc artem possibilem. Quibus autem mens, & discretio medullitus, & profunditus est euigilans, talia exempla, & poportionabilia puerilia sunt, neque omnino, ut in pluribus in eadem specie, cum sibi similibus collocata, in quibusdam autem forte sic. Et hæc probatio exemplariorũ æque prodest alchimistis, & sophistis, immo sophistis magis, quoniam diuersas materias. propter hæc subycere possunt. Huic quoque lapidi nihil omnino simile uidetur posse adduci, sed solum secundum partem. Et quod magis simile uidetur est de generatione atramentorum. Et similiter fumus resolutus ali-

gnis, cum comburũtur. hic enim fumus est tanquam spiritus, qui resoluitur ad aerem cum toto corpore suo, sed si inueniat corpus aliquod solidum cui appodictur, retinetur ibi à suo corpore occulto, super illud corpus aliud, & induratur & figitur & fit fuligo. Ita quòd spiritus, dum fugit ignem cõuertit corpus ad suam naturam & corpus cum permanet cõuertit spiritum ad suam naturã. Et hoc idem simile patet, de generatione tartari in uasis boni uini. hæc igitur exẽpla nõ in conuenienter apposita sunt. licet in hoc non potest aliquid omnino simile adduci, sed solum in parte, quia ipse lapis est quid proprium in se & orphanum & unicum ab omnibus separatum. Nota circa istam literam. Et similiter fumus resolutus &c. Nota quòd omniũ inanimatorum quæ generantur æqualiter est uapor siccus uel humidus uel uterq; ut patet primo meteororum, & quarto. Omnis autem uapor est de genere spirituum, id est, uolantium. Ex uaporibus autem siccis generantur res siccæ et ex humidis humidæ, sed ex eorum digestione, commixtione & proportione existente diuersa in habitudinibus & mensuris eorum, accidit diuersitas generatorum omnium secundum exigentiam naturæ cuiuslibet speciei. Et sicut ipsi uapores, tam sicci, quam humidi habent in actu semper naturã ascendendi et uolandi, sic habent in potentia naturam standi & permanendi. Ex prædictis ergo satis patet. quòd si alchimista præparauerit naturæ materiam suam & in organo proprio & ignem suũ & gradus suos & tempus congruum & inuenit naturam manibus & uigilanter inspiciat signa colorum omnium, ita quòd circunstantiæ omnes in suis horis absque aliquo defectu concurrant generabit, quod narrant philosophi, si Deus uoluerit, & natura coniunget quantitates componen

tium

tium determinatas diuino iudicio absque consideratione arti ficis aliqua, quoniam cognitio talium prodest, ad speculatio= nem solam, ad operationem uero minime & poterit cum hoc transmutare omne metallum ut dictum est ita, quòd à puris naturalibus in nullo declinare comperiat. Et si= gnum sensatum inducens nos credere debere hoc est, quia ut demus metalla imperfecta alterari per artem à quibusdam rebus suis generis, & extranei, quamuis non transmutantur, tutia enim alterat æs in colorem auri, auripigmentum au= tem seu arsenicum in albedinem argenti quamuis comburat, & fumus saturni congelat argentum uiuum. De extraneis autem dicimus, quòd cortex mali granati conuertit ferrum in chalibem, et fumus capillorum citrinat argentum. Quia ergo ad alterationem expectamus transmutationem, cum per hæc extranea non possit fieri. quia eorum alteratio non profundatur usque ad occulta corporis, tunc cum uideamus alterationem aliquantulũ profundari à suis similibus, absq; præparatione aliqua eorum, ut similentur auro & argen= to, non debet quisquam dubitari quin sit propinqua potentia in ijs uel alijs ita ut ars ducat in actum, & perfectionem ipsam scilicet potentiam. Cum ergo ex generatis ex utroque uapore conseruantibus naturam uaporum, & spirituum, scilicet ex argen.ui. & sulphure, natura generat corpora me tallorum omnium, propterea quòd in illis spiritibus sunt omnia corpora in potentia, potuit natura illam potentiam du cere ad actum, quia natura secundum ordinem præponit po tentias actibus; & sic ex potentia non fixi, facit fixum, & econuerso, & ex mundo facit mundum, & ex immundo immundum & ex immundo extrahit mundum, & ipsum retinet. Ars ergo post contemplationem omnium istorum se

quitur naturam, & recipit ſpiritus naturæ immundos & ipſos ſublimando ſubleuat & mundat, ſicut natura, et tunc uolendo fugere ab igne, ars miniſtrat naturæ, & natura conuertit, ea in corpora munda, fixa & de cætero natura corporum dominabitur naturæ ſpirituum in æternum per hoc ingenium mirabile. Sunt etiam mineralia, quæ generantur, & perficiuntur ſecundum ſubſtantiam in qua ſunt absq; reſolutione in fumum. Et ars ſimiliter perficit metalla in aurum. Propter quod generata, in quibus permanet actu, natura uolandi prima, ſemper uolant, ſecundum naturam ſuam, ut ar. ui. marchaſita, & camphora. In quibus autem occultata eſt natura uolandi, & manifeſtata natura ſtandi, & permanendi ſemper permanent, ſecundum naturam ſuam, ut aurum, antimomum, marmor, alumen, ſal, & tartarum. In quibus autem utraque natura permanet mixta, dominans uirtute dominatur alteri, ut patet in mixtione corporum, & ſpirituum, cum enim uices ſpirituum dominantur, trahunt ſecum corpora ad uolatum. Et cum uices corporum dominantur, retinent ſecum ſpiritus, & figuntur cum eis. In ſpiritibus enim ſunt corpora in potentia, & in corporibus ſunt ſpiritus in potentia. Et hæc eſt cauſa quare natura facit corpora ex ſpiritibus, & econuerſo, propter quod quæcunque reſoluuntur à corporibus metallorum in fumum apud ignem, non habet naturam corporum, quorum ſunt, ſed magis ſpirituum. Et quilibet ſpiritus, qui ingreditur corpora acquiſiuit ſimilem naturam corporibus, ideo in mineris metallorum reperiuutur ſui ſpiritus, ſed non econuerſo, quia in poſteriori includitur prius, ſed non econuerſo.

Sequitur determinatio generalis, ostendens etiam causas & modos difficultatis istius quæstionis. Et solutio quæstionis cum elucidatione.

IN hac admirabili, excellenti, et diuina, et occultissima arte quæstio quæ de ipsa fit. s. utrũ sit, omnino apparens, et existens, aut solum apparens, et non existens est ualde difficilis, cuius difficultatis causæ uidentur. Non etiã est facilis apud nos. Eã tamen, quia pro & contra disputauimus exquisite, elucidemus etiam ipsam, & enucleemus modo conuenienti, eiusque ueritatem determinando. Non modicum autem admirandum occurrit, quòd nulla ars nec scientia probat suum subiectum esse, nec probare potest, sed de ipso præsupponit, quia est & quid significat, ut dicitur primo posteriorum, & similiter 11. metaphy. a philosopho. Vnde philosophus 2. physicorum, ostendens quòd ea quæ nota sunt non debent probari, sed præsupponit, dicit, quòd ridiculum est probare naturam esse. Ideo dicimus, & in artibus quasi autem sola ista eget hoc. Et est subiectum eius. hoc scilicet transmutatio metallorum omnium in uerum aurum & argentum per ingenium artis. Considerat enim metalla & sibi similia, etiam non solum in se, & in relatione ad sua principia, & suas causas, & proprias passiones, & transmutationes eorum à natura in suis mineris in uerũ aurum & argentum, ut liber de mineralibus. sed etiam prout transmutantur à natura similiter extra mineras per artis ingenium, & ministrationem. Vnde ars hæc quærit propter difficultatem inquisitionis eius, & ignorantiam hominum coacta, de subiecto suo si est & quid est siue quid significat,

& hoc habito utrum sit uerum uel non, quia talis erit ipsa similiter. Ideo bene dicitur 2. posteriorum, scilicet, quòd quando medium est sensibile, & non sentimus quærimus. Nam impossibile est scire, quid est, ignorantes si est. Vt ibidem dicitur. Et quia diffinitio est forma diffiniti ut, dicitur 7. metaphysicæ. Ideo eius gratia expositorie, nos sic. Alchimiam diffinimus. Alchimia est scientia, qua metallorum, principia, causæ, proprietates, & passiones omnium radicitus cognoscuntur, & quæ imperfecta, & incompleta, mixta & corrupta sunt, in uerum aurum transmutentur. Ex qua diffinitione subtiliter colligi potest, quòd proportionatur, & subalternatur hæc scientia libro de mineralibus naturalis philosophiæ, sicut scientia medicinæ libro de sanitate, & de ægritudine naturalis philosophiæ. Nam sicut medicina contrahit genus, & subiectum commune illius ad corpus humanum tantum, tam theoricæ, quàm practicæ: Sic et hæc cõtrahit genus subiectum cõmune istius ad metalla tantum tam theoricæ quam practicæ. Ideo hæc scientia est operatiua, sicut & medicina, & forma naturalis in subiecto naturali introducta à natura per ministrationẽ artis, ut in illa, et agens naturale, scilicet ignis modo debito ministratus seu approximatus, quamuis agens artificiale, scilicet uoluntas, illud regat, modificet, & coaptet in suis proprijs organis cum sedulitate usque ad tempus prorsus stabilitum, & præfinitum. Veruntamen medicina diuersas partes habet scilicet theoricæ, quæ est speculationis omnium principiorum medicinæ: aliam practicæ, scilicet conseruatiuam sanitatis, et curationis ægritudinis. hæc autem non habet nisi curatiuã, id est completiuam. Et differt ualde hæc curatiua ab illa, quia illa manente eadem forma substantiali, sanitatem indu

cit ita quòd utitur ſolo motu alterationis & purgationi. hæc autem tranſmutat, & curat & ſanat, & formam nouam ſubſtantialem inducit, & non eguit hæc parte conſeruatiua ut illa, quia metalla non ſunt ſic diſpoſita ut uiuentia, nec ſic formata in forma una. Amplius difficultates huius quæſtionis in duobus comprehenduntur generibus. Primo ſpeculationis propter ſapientes diuerſa rationis intuitu oppinantes, et maxime, quia hæc quæſtio ab antiquo ſemper habuit rationes ad deſtruendum quàm plures, ad conſtruendum autem nullius quaſi dedit iuuamen, niſi forte auctoritatibus, et exemplis. Vidimus ergo magnos philoſophos ac ſapientes contraria de hac adinuicem oppinari, & ubi diſcordant ſapientes, neceſſario magna arguitur difficultas in illius rei cognitione, ſicut elicitur ex uerbis philoſophi, primo de anima, & ſicut dicit Galenus in commemto primi amphoriſmorum.

Secundo practicæ hæc quæſtio manet difficilis, ſcilicet in experientia & operatione. Nam cuiuſcunque artis ueritas & experientia ad oculum debet uideri. Vnde philoſophus tertio cœli & mundi, dicit quòd complementum artis, & complementum naturæ eſt per rem ſenſibilem cadentem ſub uiſu.

Tunc per ſenſum uiſus iudicamus in operibus artis & naturæ, quia ergo pura ueritas non uidetur in operibus huius artis, ſed ſophiſtica ſolum ſunt, quæ quotidie uidentur, et phantaſtica. Ideo arguunt ab effectu ipſam non eſſe ueram. Et quia uident alterationes magnas & fortes uerſus aurum & argentum non completas. Arguunt ex hoc alij eas non poſſe compleri, & per conſequens artem ueram eſſe non poſſe. Si enim nulla alteratio in eis fieri uideretur, tunc nulla eſſet quæſtio. Compellitur tamen neceſſario uterque pars confiteri alterationes prædictas fieri poſſe. Vnde quaſi dicere poſ

ſumus, quòd dicit philoſophus primo phyſicorum, ſcilicet quòd omnes antiqui abſque ratione principia naturæ contraria tanquam ab ipſa ueritate coacti poſuerunt, quamuis ignorarent principia ipſa, & quibus contrarietas ineſſet. Sic eodẽ modo cogũtur ambæ partes ponere has alterationes in metallis fieri poſſe, quamuis tranſmutationem alterationes ſequentem ultimas ignorent fere omnis. Non enim diceretur ars ſi ſophiſtica eſſet tantum, quoniam ars imitatur naturam, & ſicut natura non eſt ſophiſtica in operibus ſuis, ſic nec ars, cum igitur alchimia ponatur in numero artium, non uidebitur ſophiſtica. Et cũ artiſta ipſius non reperiatur aliquis, ergo nec ars erit, cum ſint ſicut relatiua, ideo diuerſi diuerſa ſentiunt. Non tamen eſt ſtandũ utrique iudicio aliquorũ contraria iudicantium, quia oportet alterum iudicium eſſe corruptum, ſcilicet ex parte ſenſus, uel intellectus, & illius iudicio non eſt acquieſcendum, ut dicit philoſophus 11. metaphyſicæ. Si ergo quæſtio iſtius artis eſt ita difficilis, quid dicemus de ipſius inuentione & inueſtigatione reperienda? poſito, quòd ſit uera.

DICO ergo quòd ars alchimiæ, eſt omnino apparens & exiſtens & naturam imitans, faciens penitus idem aurum & argentum ſicut eſt minerale, quod enim à minerali deficit in aliquo non eſt idem cum eo, & hæc in capitulis ſequentibus oſtendemus aperte ſecundum quod eſt poſſibile apud uolantes intelligere. Et rationes omnes tam Ariſtotelis quàm aliorum euidentiſſime deſtruemus, & oſtendemus eas ueritatem aliquam non continere, ſed apparentiã ſolam quanuis difficilem. Vnde dicitur 7. ethicorum. Si enim ſoluãtur difficilia, & aſſumantur probabilia oſtenſum utique erit ſufficienter. Et in eodem non ſolum oportet uerũ dicere ſed cau

ſam falſi aſſignare hoc enim confert ad fidē. Secūdo in ipſius operatione eſt inſudandum, ſed ſolum ab habente ingenium callidum, ſublime, & perſpicuum & ualde profundum. Et quia contra negantes ſua principia non poteſt quis diſputare, ut patet ex primo phyſicorum. Contra hoc autem confitentes principia, & propter ignorantiam concludentes falſa diſputari poteſt, ut patet ibidem. Et ſicut ex bonis ſeminibus oriuntur mali fructus, & ſic ex ueris principijs concluduntur falſa. Ideo contra confitentes principia & concludentes ex eis falſa, dirigimus noſtram diſputationem et quæſtionis ſolutionem.

Hic ponit modum ſuum procedendi in determinatione huius quæſtionis.

ERVNTAMEN ad iſtius quæſtionis ueritatis cognitionē. Primo ſequemur auctoritatē et uerba antiquorum philoſophorum in hac arte famoſorum, ut introitus fiat apertus ijs qui hoc ignorant & reliquis, oſtendendo ſemper quomodo intelligimus eos & dubia plura, mouendo quæ cum hac quæſtione inſurgunt, & recte ſoluendo. & rationes noſtras aſſignando ſemper, quæ ad quodcunque quod dicimus credere nos inducunt. Secundario autem, ſcilicet in ſolutione ultimæ rationis philoſophi roborabimus omnia, dicta prius rationibus, naturalibus tunc ueridicis penitus inhærentes. Amplius ut uerum fatear dico, quòd quicunque ueritatem alicuius artis uel ſcientiæ, aut alicuius difficultatis in illa radicitus uidere intendit, debet cognoſcere terminos in illa arte, & differentias proprias, & quid dicatur per nomen. Si enim hoc ignorauerit radicem

& ueritatem quam quærit, aut disputare intendit, nullomo do perpendet, sed arguet ex extraneis & ignotis & paralo gizabit seipsum, & in hac ignorantia stabit & quiescet. Sed impossibile est ex ignotis peruenire ad nota, ideo uidimus, quàm plures sapientes huius artis terminos ignorantes hanc quæstionem, inuestigare uolentes, arguentes ex extraneis hanc artem non esse ueram, tunc in fine concludunt & de terminant ignotum. Ex quibus uerbis patet, quòd qui igno rat terminos proprios huius artis, & differentias ignorat ip= sius disputationem & ueritatem & nihil arguit. Vnde dici tur primo elementorum, scilicet quòd imperiti uelut longe distantes speculantur. Cogitur ergo necessario hanc quæstio= nem disputare ad intellectum intendentes ut terminos, huius artis immisceat quæstioni, quibus ignotis ignoratur disputa tio eius & ueritas & procedit tanquam cæcus ad colores, et sicut carens potentia ad obiectum potentiæ. Vnde dicitur 2. posteriorum, impossibile est scire differentias ad unumquodq;, non cognoscentem unumquodq;, hoc autem in unaquaq; ar te & scientia singulariter inducendo est notum ad intellectũ, & planum ad sensum. Et quia terminis huius artis apud plu rimos ualde extranei sunt & ignoti, ideo post declarentur. Ideo etiam hæc quæstio necessario, multam requirit dilatatio nem sermonis. Quia igitur aliqualiter ex eius terminis no= uimus, & plures libros magnorum philosophorum antiquo rum uidimus, & studuimus. determinabimus ipsam, ut promisimus.

ALCHIMIA est scientia ut supra etc. ad expositio= nem & notitiam huius diffinitionis est notandum, quòd per hoc, quòd dicitur scientia, datur intelligi genus suum cui sub ijcitur, quia sicut medicina est scientia, sic & ista. Per hoc

autē ꝓ dicitur Metallorū datur intelligi, ꝓ non de omnibus mineralibus tractat, ſed ſolū de metallis primo et per ſe. Per hoc autem ꝓ dicit. Principia, cauſæ, proprietates et paſſiones. Per principia enim inteelligit cauſam efficientē & finalē quæ ſunt cauſæ extrinſecæ. Nam efficienti proprie debetur ratio principij, quia mouet rem in eſſe. ſimiliter fini debetur ratio principij, quia eſt cauſa cauſarum & imponit neceſſitatem ijs, quæ ſunt ad finem ut tenet 2. phyſicorum. Per cauſas autem intelligit materiam & formam, quia ſunt cauſæ intrinſecæ, & de ſubſtantia rei & elementa rei. Per proprietates autem intelligit proprias operationes metallorū in agendo, ſicut in auro confortare cor. et præſeruare à corruptione. Per paſſiones autē intelligit proprias operationes in patiēdo, ſicut in aur o pati ignem abſque aliqua ſui læſione & mutatione, & diminutione, & ſicut in ferro non liquefieri ad ignem. Et ſciendum, quia propriæ differentiæ rerum ſunt nobis ignotæ, loco differentiarum nos aſſignamus in diffinitionibus proprietates & paſſiones, & ſic facimus deſcriptiones & non diffinitiones. Per hoc autem quòd dicit, ut imperfecta, & incompleta etc. datur intelligi tota finalis intentio iſtius ſcientiæ per quod ſcitur quis eſt finis & quæ materia huius ſcientiæ. Ad cuius expoſitionem notandnm eſt ꝓ nullum agens naturale ab actione in materia ſua ceſſat. Nec ſeparatur niſi cum introductione formæ in illa materia, ergo donec agens eſt coniunctum materiæ, uel agit in materiā & res eſt imperfecta, quoniā perfectio rei non eſt niſi per introductionem formæ. Cum igitur in metallis omnibus argentum uiuum ſubjciatur loco materiæ, ſulphur uero loco agentis & introducentis formam in illa materia, ergo nullum metallum eſt completum & perfectum, niſi à quo ſe=

paratum est sulphur, & quia solum aurum est expoliatum omnino ab ipso, ideo solum aurum est perfectum & formamatum secundum primam, & ueram intentionem naturæ. Et quia alia metalla omnia habent admixtionem sulphuris in materia, ergo ipsa non sunt formata, ergo nec completa. Dicuntur ergo omnia alia metalla ab auro incompleta, seu imperfecta, quia nondum adepta sunt formam, qua perficiuntur, & dicuntur incompleta, quia nondum peruenerunt ad finem, in quo complentur. Et dicuntur incompleta mixta, quia agens adhuc est immixtum materiæ & non separatum. Et dicuntur corrupta, quia hoc agens, id est, sulphur est unam ex magnis causis corruptionis metallorum quia per ipsum inficiuntur, denigrantur, euaporant & comburuntur, et ob hoc solum aurum ab istis passionibus est immune tam in igne quàm extra ignem. Quicunque ergo nititur transformare reliqua metalla in aurum, oportet necessario quòd hoc faciat, cum ipsorum expoliatione ab illo sulphure & non aliter, si uult ueræ sequi naturam, tunc enim fiunt aurum penitus, & tunc sunt perfecta completa simplicia & non corrupta. Et fit hoc in instanti per solum lapidem philosophorum, qui generatur per ingenium artis ualde extraneũ & profundum (dixit transmutentur) quia non sufficit alteratio sola, sed oportet quòd alterationem sequatur transmutatio, ut generetur forma auri. Consueuerunt, autem alchimistæ aliter diffinire ut Morienus & Lilium. Alchimia est ars ministralis septem metallorum essentiam continens, qualiterq; formæ eorum à diminutione ad complementum deducantur, ostendens.
Item Lilium. Alchimia est substantia corporea ex uno & per unum composita, pretiosiora adinuicem per operationem, co

gnitionem & effectum coniungens, & eadem naturali com-
mixtione ingenui melioris naturaliter conuertens. Et sicut
hoc nomen medicina est equiuocum ad scientiam medicinæ et
ad instrumentum suum & sicut dupliciter diffinitur: sic et
hoc nomen alchimia. prima ergo istarum diffinitionum &
nostra est eius prout est scientia. Secunda autem prout est in
strumentum, scilicet ipsum elixir siue lapis philosophorũ com
plens & perficiens.

Postquam posuit duos modos difficultatis hu-
ius artis nunc ponit & ostendit omnes
modos difficultatis eius.

MPLIVS difficultates huius quæstionis &c.

A Circa istam literam, nota omnes modos & cau-
sas difficultatis huius artis. Dicimus ergo primo
quòd non est mirandum apud aliquem sapientum, qui ter-
minos philosophiæ huius artis nouit, si non appareat aliquis
hanc artem actu habens. Sed potius mirandum est, quomo-
modo quis possit peruenire ad ipsam. huius enim artis inquisi
tio & ueritas & experientia aliarum rerum omnium inqui
sitione, fortior difficilior & occultior & longioris temporis
esse uidetur.

Prima causa difficultatis.

QVIA non solum hæc operatio per uiam naturæ pro-
cedit immo uerissimæ asserendo, ars ipsa & eius inquisitio et
regimen operationis cum complemento supra naturam existit
per modum miraculi, quoniam diuinis operibus supra natu-
ram existentibus huius artis finis similatur omnino, sicut di-
xit Hermes. Vnde Barsenus in libro qui dicitur turba philo-

ſophorum in uerbis ſuis inſinuans difficultatem huius artis, innuit, quòd regimen eius eſt maius quòd ratione percipiatur niſi inſpiratione diuina &c. Eſt enim theſaurus Dei maximus & remuneratio. Et Roſinus. Nullomodo poſſunt ſtudentes ea quæ philoſophi ambigua poſuerunt, à uero ſequeſtrare niſi Deo inſpirante uel aliquo docente. Raſis in lumine luminum. Ex hoc ergo inquantum diuina uoluerit reuelare clementia perpendes. Et Hermes. Nullo modo ratio & intellectus aliud percipiunt, quàm rubiginis ſublimationem. Et ſenior, nil occultauerũt præter præparationem quia eſt difficilior rerum, unde ſi inuenerunt rem, non habuerunt præparationem, & res non perficitur niſi cum præparatione. Et Mundus, regendi nanque ignorantia non nulli erraverunt. Et Morienus. Quicunque hanc artem ſectatur, cæteras & præcipue dialecticam ſcire conuenit, quoniam philoſophi huius non niſi ſub inuolucro & figura locuti ſunt. Et Theophilus in turba philoſophorum. Nemo nouit quòd philoſophi in ſuis libris narrauerunt, abſque lectionum & tentationum frequentatione, ac ſapientum inquiſitione, quod enim poſuerunt ſublimius & obſcurius eſt, quàm quòd ſciri poteſt. Et Barſeus iterum in eodem. Qui curuat dorſum ſuum in libris noſtris legendis, eiſq; uacat, & non eſt uanis implicitus cogitationibus, Deumq; precatur, in regno regnabit indeficiente quouſque morietur. Et Roſinus. Qui autem in hac arte ingrediuntur intellectu carentes, & notitia eorum quæ philoſophi in ſuis libris deſcripſerunt multipliciter errant &c. Eius ergo modus eſſendi, tractandi, & intelligendi, & ſtudendi, & regendi arguit in hac arte ultimam difficultatem & obſcuritatem.

* Praef. Egidij

Dc. f. 35.

Dc. f. 38.

Secunda causa difficultatis.

SIMILITER ex diuersitate eorum qui circa ipsam hodie operantur, arguitur difficultas, quoniam uarijs & diuersis modis & circa res diuersas & extraneas, eos hodie operari uidemus, & utroque modo attribuitur error arti. Vnde Galenus in commento regiminis acutorum iuxta principium ait. Ex diuersitate quæ est inter illos quæ exercent aliquam artium quæcunque fuerit, dubitat homo necessario. Ita quòd fecit eam hæsitare, quod non est de ipsa scientia sed error, conuenientia autem eorum in ea est significatio magna super scientiam illam.

Tertia causa difficultatis.

SIMILITER ratione insuetudinis arguitur difficultas, quia rarissime reperitur aliquis actualiter per experientiam ipsam habens. Vnde philosophus sexto Topicorum. Omne quod insuetum est obscurum est &c.

Quarta causa difficultatis.

SIMILITER ratione uerborũ suorum quibus unusquisque sibi ipsi contradicere uidetur & alijs. Vt non perpendat quilibet legens id quod dicunt, ex hoc fortis arguitur difficultas. Vnde Rasis in lumine luminum. In alchimicorum libro perfectum insinuaui fermentum annotatione planum, in inquirendo facile, quod non esse fermentum in eodem asserui, sed qui discretione uiget, & sapientia floret si nostri sermonis interiora, perscrutari uoluerit, tam ipsius locum quàm exordium se inuenisse gaudebit. Idem ẽt in eodem. Quod si aliquid in libro duodecim aquarum transuerse acceperis, tu dum operatus fueris ab ordine non declines &c.

Quinta causa difficultatis.

SIMILITER ratione pretij arguitur difficultas in arte, quia quandoque dicunt hũc lapidem nullius pretij aut uilissimi, ut Geber, Morienus & Haly, & quòd in uia proiectum inuenitur, & in stercore. Et quandoque dicunt q̃ absque multis sumptibus non potest homo peruenire ad artis complementum, & quòd natura pretiosissima est et charissima. Vnde dicit Zeno in turba philosophorum. Lapis quem quæritis palam uilissimo uenditur pretio. Et Barseus in eodem, quod enim quæritis non est parui pretij. Et Zeno. Iterum in eodem philosophi etiam fecerunt in hac arte uulgus errare, cum dixerunt quòd natura uilis est quæ pauca re uenundatur. Et dixerunt naturam omnibus naturis esse pretiosiorem, quare insipientes in suis libris fefellerunt. Scitote ergo quòd ars duabus eget naturis, non enim fit pretiosum absque uili, nec uile absque pretioso &c. Et Daucus. Caue ne in hoc magisterio quicquam expendas & maxime in auri magisterio.

PATET ex dictis & dicendis, quòd omnia nomina huius lapidis sunt ficta, ad hoc ut indigne quærentes errent. Vnde Rosinus. scias quòd philosophi nunquam merum & uerum uerbum posuerunt quanquam plurima cum eo falsa ponerent, & simulatis nominibus illa transfigurarent, quare neminem inuenimus uerum merum posuisse à falso denudatum excepto Hermete cum inquit. Scitote, nulla tinctura uerax fit unquam nisi ex lapide rubeo. Quia ergo cum uero multa falsa & extranea commiscent, & regimen in operatione & terminum & reliqua uariant & multiplicãt, solus uir excellentis ingenij potentis intelligere figuras & analogias ueterum cum diuturna inquisitione & labore magno

& prolixo animæ & corporis, cum multiplici fallacia præcedente & admiratione deceptorum suorum operum & difficiente plurima poterit adipisci. Quomodo ergo libros ipsorũ superficialiter & secundum sonum literæ tãtum cõsiderantes & prima fronte accedentes ad operationem ipsius ueritatem & profunditatem attinget? Vnde Rasis insinuans dicit libro perfecti magisterij. Hi.n. septem spiritus super ignem non perseuerant, sed deficiunt paulatim & ab eo fugiunt & euolant nisi ad ipsum, quibusdam inenodabilibus uinculis & artificiosis ingenijs uel gummis indissolubiliter constringantur, quæ diuturna constantia, subtili meditatione indefessa simul instantia & operatione, quæ post multiplices laborũ fallacias, & operationum diuersa sophismata est philosophia perfectissimæ consecuta & eorum arcana suis reliquit filijs &c.

Sexta causa difficultatis.

SIMILITER ratione transumptionis eius & æquiuocationis & allegoriæ, & methaphoræ, maxima accidit difficultas. Ipsa enim sic tota tradita est, ut expresse patet in libris philosophorum. Et quòd in talibus traditionibus sit difficultas, ostendit philosophus sexto Topicorum qui dicit. Contingit enim in nominibus secundum translationem dictis ueritatem calumniari. Et in octauo eiusdem dicit, quòd propositio difficile probabilis est, quia utitur nominibus obscuris, siue simpliciter, seu multipliciter dicantur. Aut quia nõ fuerit notũ, si principaliter uel secũdũ translationẽ de diffinito dicãtur, &c. Immo q̃ difficilius & obscurius est ipsa tradita est secũdũ nomina inusitata, et hæc traditio adhuc est peior trãslatione ut tenet in sexto. Vnde dicitur ibidẽ quædam sunt quæ nõ dicuntur secũdũ translationem nec secundũ æquiuocationem & sunt peiora translatione, ut lex est mensura

uel imago eorum quæ naturaliter iusta sunt. Et ideo sunt peiora translatione quia translatio facit notum per similitudinẽ eius quod dicitur, nomina autem inusitata non. Ideo difficilis est eius inquisitio & per consequẽs operatio, immo ipsi etc. uolentes exponere exponunt ignotum per aliud ignotum, aut per ignotius, qui modus exponendi uel intelligendi est pessimus, ut ibi patet. Non est ergo mirandum si in hac scientia studentes & operantes errent ualde, quia non possunt determinate asserere certam & determinatam intentionẽ fuisse philosophorum hanc uel illam nisi cum actu habent, hanc artem uel sunt iuxta. Videtur ergo mihi eius adeptio, quasi impossibilis nisi aut per uocem uiuentem, aut per instirationem diuinam, quamuis interpretationem multarum figurarum quis bene & uere cognoscat.

Septima causa difficultatis.

SIMILITER ratione modi tractandi & tradendi hanc artem plurima accidit difficultas: quia omnis ars & scientia procedit, rhetoricæ præter ista, quia omnis alia docet, ordinate per capitula, principia sua & terminos cũ diffinitione & expositione nominum, & instrumenta, quibus peruenitur in cognitionem & notitiam, conclusionum ipsius & sui operis in quibus est finis, & nititur omnia omnibus modis docere & explanare quibuslibet iuxta posse. Sola autem ista facit contrarium, quia absque notitia principiorum suorum & terminorum & instrumentorum, aggreditur tradere esse suum & opus suum, intermiscendo, modo hæc, modo illa & diminute tradendo & superabundanter & siue ordine et præpostero ordine, quia incipiẽdo à fine suo absq; expositione finis, & nititur omnia obscure tradere et occultare quãtum pot. Vnde Anaxagoras in turba philosophorũ dicit.

Scitote

Scitote quòd inuidi in hoc opere perfectionem, priusquam initium narrauerunt. Et Rosinus. Scito quòd philosophi non posuerunt in suorum operum initio medietate uel fine, nisi arcanum occultum. Vnde nunquam celare destiterunt &c.

Octaua causa difficultatis.

SIMILITER ratione uasis decoctionis, uidetur nobis non modica difficultas, quia quamuis doceant, plura uasa facere, & diuersa propter diuersas operationes quas faciũt, tamen unum solum uas est in quo omnes operationes fiunt in una decoctione. quodquidem uas est unum tantum, tam ex parte materiæ, quàm figuræ, quàm numeri, sicut patet in uasis generationis animaliũ perfectorum. Ideo dicit Lilium. Scias quòd non nisi unicum uas huic nostræ operationi attribuunt. Similiter omnes hoc idem sentiunt. Omne autem uas cum cooperculo suo, aut cum cooperculis suis dicitur unũ uas ex suis partibus constitutum. Difficile tamen ualde est imaginari hanc figuram uasis & compositionem. cum tamen quis ueritati appropinquat, istius artis modus operandi aperit sibi hanc unitatem uasis inuariabilem. ante autem, quàm appropinquat ueritati est impossibile.

Nona causa difficultatis.

SIMILITER ratione pronosticationis super determinatum tempus, diem & horam crisis natiuitatis & generationis huius lapidis, ars ista difficillima comprobatur. Quoniam non est nisi unum tempus determinatum ortus ipsius, in cuius ortu obseruatur tota natura, & elementorum simplicium depuratorum coniunctio & radix totius operis, & pondera sapientum, quibus ignoratis totum magisterium ignoratur. Vnde Haly in suo libro secretorum. Qui hũc lapidem honoratum cum germinauerit, non inueniet, non

surget alius loco suo &c. Et qui nesciuerit & non certificabitur quando nascetur, iam parauit se morti & pecuniam suam perditioni &c. Vnde Thebit loquens ad Hamec interrogatiue sicut discipulus ad magistrum in proœmio stollicæ Platonis dicit. Scientia nanque tuæ philosophiæ est infinita & opus est determinatum & termino & tempore terminato. Et Rasis in libro 70. præceptorum libro primo, scilicet diuinitatis. Alia habēt ordinem, quorum quædam addunt super alia. Lapis uero philosophorum semper est secundum unum terminum & secundum quem nunquam transcendit & secundum unam habitudinem. Item secundum eundem in libro 70. præceptorum. Ad hoc ut quis sciat cōuertere argentum in aurum sunt pondera & termini, quæ præparator studeat scire, cum enim sciet pondera, sciet totum magisterium, & qui ignorauerit pondera, non laboret in ijs nostris libris. Philosophi enim nihil suarum rerum posuerunt nec secundum hoc, nec aliud occultauerunt nisi hoc &c. Et ideo philosophus quarto physicorum & secundo cœli & mundi, uult quòd determinatum sit tempus cuilibet actioni naturali in quo Minori, uel Maiori compleri non potest illa actio. Et Galenus secundo de diebus criticis dicit. Quòd motus & opera naturæ, adhærent semper uiæ uni & ordini uni. Hunc autem terminum temporis philosophi scientes, concorditer in eorum uerbis uariauerunt ad errorem idiotarum. Vnde quidam ponunt hunc terminū uno anno. Vt Rosinus & Plato in suis stollicis. Et scias quòd pauciores dies præparationis, est circuitus & reuolutio luminaris maioris. Rasis autem ponit, in nouem mensibus in libro trium uerborum. Alij in diebus septem. Alij in 40. Alij in octuaginta, quidam alijs modis infinitis.

Cũ tamen in rei ueritate non ſit niſi unus terminus propterea quia ſola una eſt decoctio à principio uſque ad finem, ſicut patet de generatione infantis & pulli. Sub tempore autem concluditur ſecretum ignis, quod eſt maximum in arte. Ad hanc autem diem criſis & partus & ortus lapidis quæ eſt terminus totius conſumationis operis, cognoſcendã, oportet diem præcognoſcere indicãtem, cum ipſa ſit ſicut ſignum, & indicata ſicut ſignatum, & habeant adinuicem quandã naturalem colligantiam determinatam & ordinatam. Sicut etiam patet in febribus putridis, in quibus oportet medicum ſcire dies indicationis & dies criticas indicatas ab illis, ut recte regat infirmum. Et ſicut in generatione fœtus, quia quando ſcimus tempus motus eius, ſcimus & tempus partus & non aliter. Sed hic multo fortius, prædictis enim non permiſcetur uoluntas, niſi uniuerſaliter per accidens. Huic autem uoluntas neceſſario permiſcetur, cum totius operis cõplementum fit à uoluntate regente naturam, quæ ſi tunc nõ affuit, annihilatur opus. Has autem dies indicatiuas & præſertim criticas, nunquam narrare præſumpſerunt per ſe & pure, immo ſemper miſtice, tanquam ab indignis celare cupientes. Ibi enim eſt operis perfectio & eius annihilatio, quoniam in ipſa die immo hora oriuntur elementa ſimplicia, depurata ab omnibus coinquinamentis, quæ egent ſtatim compoſitione, antequam euolent ab igne & conuertantur in terram, id eſt, fixionem & non prius nec poſterius. Cognitio autem huius compoſitionis reddit totam artis operationem uigilem & difficillimam cum ipſa ſit diuina & incredibilis, & quaſi impoſſibilis credatur & iudicetur.

Decima cauſa difficultatis.

SIMILITER ratione materiæ ex qua fit hic lapis,

ars uidetur difficilis. ipsi enim loquentes metaphorice ut duræ ceruicis seducant ignaros. nominant quaslibet res de mundo, docentes ex eis diuersis modis operationum, posse fieri lapidem philosophorum. Ita quòd quidam in arsenico, quidam in sulphure, quidam in argento uiuo, quidam in sanguine, quidam in ouo, quidam in capillis, quidem in stercore etc. & sic in alijs rebus infinitis intentionem & opus suum applicant. Et adhuc, in eadem re diuersi sunt adinuicem, diuersimode operantur & simpliciter & commixte.

Sed tamen in rei ueritate materia ex qua fit hic lapis est tantum unica, nec potest in aliqua alia re de mundo hic propinqua potentia inueniri, & est illud quod magis simile est auro, est autem illud ex quo generatum est, & est argentum uiuum solum purum, sine alicuius rei commixtione, sicut infra probabimus in suis locis expresse. Quia ergo materia huius lapidis est unica tantum, sed in arte, magisterioq; alchimiæ, est infinitis nominibus uariata, & modus operandi est solum unus, sed à philosophis multipliciter uariatus. Ideo non est mirandum, si ars est difficilis & operationes errent ualde. Quia ergo non nisi unica res reperitur, quæ sit origo & materia metallorum & de ipsorũ substantia, ut diximus, ideo sola una materia erit alchimiæ. Quia materia alchimiæ est solum illud quod est materia naturæ, aliter enim ars non poterit imitari naturam, & ipsa est materia metallorum. Eget tamen hæc materia cum sit perfecta mixtione cum eis per liquefactionem ut unum fiant omnino absque diuersitate sicut est substantia auri. Similiter cum forma substantialis cuiuscunque rei extrahatur de potentia suæ materiæ propinquæ, & non ex extranea, tunc cum sit tantum materia una propinqua auri, ex qua ipsum facit na

Mat. lapidis Arg. Viuus. Vide * fol. 31. prop. 8.

X

tura, ergo & ars illa, unicam materiam tantum recipiet necessario, si ueram formam auri generare debet.

SIMILITER *ratione materiæ &c.* Notandum est *secundum Aristotilem primo posteriorum, quando comparat demonstrationem uniuersalem ad particularem quæ sit potior, quòd quanto aliud magis diuiditur in partes, magis infinito propinquat, & ideo minus scibile, ergo quanto minus diuiditur in partes, magis finito propinquat. Et ideo magis scibile. Cum ergo de essentia uniuersalis sit esse unum in multis & de multis ut in eodem dicitur, De essentia autẽ particularis sit esse multa, ergo ꝙ uniuersale est, unũ est & magis scibile & econuerso. Quamobrem cum ars alchimiæ per omnem modum sit tantum una, absque pluralitate, ergo maxime est finita & uniuersalis, & maxime scibilis de se, ergo cognita hac unitate & uniuersalitate, cognoscetur omnis pluralitas certitudinaliter quæ ponitur sibi subiecta. Ars ergo alchimiæ de se esset facilis, immo facillima, si esset simpliciter sine allegoria tradita. Quia ergo sophistæ pluralitatem & diuersitatem materiæ, scilicet generis subiecti huic supponunt arti recedentes ab unitate & mixtiones uarias ex eis, & operationes in infinitum extendunt & multiplicant, quod est contra intentionem naturæ, ergo ab hac unitate & ab hoc uniuersali maxime recedunt, & per consequens de hac arte minime sciunt. Vnitas ergo est causa pluralitatis & scientiæ eius, non autem econuerso.*

Quomodo hæc ars sit tantum unica, non solum quo ad materiam, sed per omnem modum. Et consequenter uide de unitate lapidis philosophorum, tam quoad materiam, tam etiam quo ad modum operandi secũdum ultimatam eius dispositionem, & quòd nil extranei intrat, quod non sit de sua natura.

ST autem ars hæc unica, non solum quo ad materiam, sed secundum omnem modum. Ita quòd omnia quæ sunt in hac arte necessaria quocunque modo tradita sint, semper reducuntur ad unum, tanquam ad genus suum, non recipiens diuersitatem. Signum autẽ huius unitatis prædictæ est, quia omnes philosophi huius artis quocunque modo extraneo, & figuratiuo loquantur, mutuo se intelligunt, quasi una lingua & loque'a extranea ab omnibus alys. & nota solis'eis sibi inuicem loquerentur, quod nullo modo esse posset, si ars hæc esset multiplex & uaria & diuersa, siue ex parte materiæ siue modi agendi & operationis. Quomodo enim aliter in omnibus quæ dicunt se mutuo intelligere possent? Quemadmodum græci mutuo se intelligunt, & arabes se, & latini se per unitatem loquelæ ad rem eandem, non autem græci, arabes, nec econuerso propter uariationem ab unitate, sic & in proposito esse uidetur. Vnde Rasis in lumine luminum. Diuersi diuersas nominando protulere sententias, nusquam tamen aberrasse uidentur. Vnde dicit Senior. Sapientes non sunt diuersi in intellectu sed in nominibus & similitudinibus, & per omnia idem intelligunt. Item dicit Lilium. Vna uia, una re, una dispositione, uno actu totum magisterium termi=

may us
vna via
sit

natur. Et Alphidius. Non indiges nisi una re. s. aqua, & una actione scilicet coquere. Et non est nisi unum uas ad album & rubeum simul faciendum. Et Mahometh. Vnum uas in albo & rubeo, & unus ignis, & unum tempus determinatum in albo & rubeo. Ad idem Morienus. Licet sapientes sua nomina & dicta mutarent, tamen semper intelligere uoluerunt rem unam, dispositionem unam, & uiam unam. Idem in eodem. Sapientes hanc rem cognouerunt & eam rem esse unam sæpius probauerunt.

Et Geber in summa sua. In rerum multiplicitate ars nostra non perficitur, est enim lapis unus, medicina una in qua totum magisterium consistit, cui non addimus rem extraneã aliquã, nec minuimus, nisi quia in præparatione superflua remouemus. Et Rasis in lumine luminum. Album, item & rubeum, ex radice una nullo alterius generis interueniẽte, pullulat, nam seipsum dissoluit & copulat, & seipsum albescit & robore decorat, seipsum croceum facit & nigrũ. Præterea seipsum desponsat, & seipso concipit, quousque operis finem acceleret. Idem in libro trium uerborum. Huic lapidi nullus est similis in mundo qui seipsum impregnat, et de seipso concipit & seipsum parturit. Et Salomon filius Dauid. Nemo habet in sulphure nisi unum iter. Et Senior. Natura cognoscit naturam & natura congaudet naturæ, & tamen non est nisi unica natura & genus unum & substantia una & essentia una. Et Mundus in turba philosophorum. Natura natura lætatur, natura naturam superat, & natura naturam continet, & tamen non sunt diuersæ naturæ, nec plures, uerum una sola, habens in se suas res quibus cæteris rebus imminuit. Et Haly in suis secretis. Scias frater, quòd hoc officium est unus lapis, super quem

Vas Vnum ad Album & Rubeum

Lapis Vnus Medicina Vna

non intrat garip.i.aliquid aliud, & cum eo operantur sapientes & de eo exit quod quærunt, & non commiscetur cũ eo aliquid, nec in eius parte, nec in toto, & uocatur origo mundi & oritur sicut germinantia. Et Hercules Rex sapiens. Hoc autem magisterium ex una sola prima radice procedit & post modum in plures res expanditur & iterum in unum reuertitur. Vnde subtiliter inspiciendo philosophis semper dicunt unum, & circa ipsum uersantur, & illud unum idem repetunt sub diuersis uerbis. & talis diuersitas & multitudo facit errare ualde. Vnde philosophus quinto topicorum. Conturbat autem audientẽ quod frequẽter dicitur. Et Costes in turba philosophorum. Nimius sermo intellectus errorem augmentat.

Instantia contra dictam unitatem.

SED Videtur quòd plures uiæ sint ad hoc & non una sola. Nam dicit Geber capitulo de natura sulphuris. Qui etiam ipsum, scilicet sulphur in præparatione, commiscere & amicari corporibus nouit, sciet unum de secretis naturæ maximum & unam uiam perfectionis, cum multæ sint uiæ ad unum effectum, & unum intentum &c. Et dicit Rasis in libro perfecti magisterij, loquens de corporibus, & spiritibus & eorum purgatione & compositione diuersa & multiplici, quàm prius narrauit & diuersis uijs. Ego autem nouissime dico, quòd unumquodq; prædictorum corporum & spirituum si præparatione perfecta fuerit præparatum, album uel rubeum est elixir per se solum &c. ergo plures uiæ perfectionis & plures materiæ possunt esse in hac arte.

ET nos respondemus ut prius, q̃ sola una uia est & una materia de unitate materiæ, satis patuit et patebit infra. Ad id aũt quod dicit Rasis, dicimus, q̃ in subiecto realiter loquẽdo spiritus & corpora sunt idem, sed solum secundum rationem & differunt sicut infra patebit. Ideo siue corpus, siue spiritus sit, quod perfecte præparatur, est elixir per se solum. De pluralitate autem uiarum dicimus sicut prius. Nam sicut patet de nutrimento & nutribili, quòd una sola uia est & una ultima dispositio, ut nutribile nutriat, sed multæ dispositiones præcedentes hanc siue uiæ sunt ex diuersitate alterationum præcedentium, & quasi infinite ad illam, quæ tamen & si multæ & diuersæ sunt adinuicem, nunquam tamen secundum ordinem propter finem adinuicem uariantur. Et ideo una sola uia, & principio usque ad finem est per se. Sic eodem modo, hic est, quia intentio & finis, & modus est unus solus, & ideo una uia sola ad ipsum, sed quia multæ dispositiones sunt necessario præcedentes hanc ultimam, ideo dici possunt multæ uiæ, sed sunt habentes ordinem, & colligantiam naturalem ad illam unam finalem, & ideo nunquam uariantur, nec diuersificantur ab inuicem. Immo Geber hanc unitatem affirmans, dicit sic cap. de differentijs omnium medicinarum. Tertij autem ordinis medicinam appello, omnem præparationem, quæ quando corporibus aduenit, omnem corruptionem cum proiectione sua tollit, & cum omnis complementi differentia perficit. hæc autem est una sola, & ideo per illam excusamur à laboris inuentione decem medicinarum etc. Et dicit similiter de medicinis tertij ordinis. Est autem huius tertij ordinis medicina duplex lunaris, scilicet et solaris, est tamen in essentia una, & modo agẽdi similiter. Et ideo à nostris ueteribus medicina uni

Med. Vna tã ad Al. & Ru.

ca nuncupatur etc. Et Pytagoras in turba philosophorum. Aliam gubernationem ponamus, quæ non est alia radice uerum nomine. Et Florus in eodem. Natura enim una est, à qua si quis errat peritum tendit ac uitam amittit. Hanc ergo unam habeatis naturá, alienam uero dimittite. Idem in eodem huius artis fundamentum, propter quod multi parere, unum est. Et in eodem. Pluribus autem rebus non indigetis nisi una re, quæ scilicet habet patrem, & matrem, et eius pater & mater eam nutriunt atque pascunt, neque ipsa a patre, atque matre aliquo modo differre potest etc. Quia ergo res siue materia ista est tantum una, tam ad tinctura albam, quàm ad rubeam, & dispositio ultimata una, & uia una, & uas unũ, & terminus & finis unus, & modus operandi unus & omnia unum, & pluribus modis, & quasi infinitis tradita, tunc planum est quòd pluribus modis quasi infinitis ab unitate & ueritate & tramite directo artificem deuiare continget. Cum enim omnia hæc sint & reuertantur in unum in operatione, tamen in principijs huius artis & magisterij quæ sunt modi operationum, quibus artifex applicatur ad hoc magisterium, multipliciter loquuntur, & deceptorie. Ita ut nunc dicant rem debere solui, nunc sublimari, nunc descendi, nunc distillari, nunc coagulari, nunc cerari, nunc fixari, nunc calcinari, & sic siqui modi operationum sint alij, quas tamen operationes omnes faciunt simul & semel in uno uase. Deuiantes autem distinguunt, & separant opus ab opere, & uariant, & multiplicant & quod facile est fit difficile, & impossibile. Vnde Rasis in libro trium uerborum dicit. Scias quòd in solo igne sine aliqua separatione possunt fieri omnes distillationes & sublimationes & calcinationes, & dealuationes, & rubificationes, &

Sapis Vnu & parcles eius.

Vas Vnũ Regime Vnus.

Descendere Distillare sublimare &c. in Vno Vase

Vno igne omnes modi

mortes ipsius mercurij mortui, & fusiones cum omnibus resolutionibus & congellationibus sicut debent esse &c. Et Morienus. In una dispositione mutantur omnes colores, sed quanto ignis magis eius colores innonat, tantum plura uomina sibi imponunt. Vnde Pytagoras in turba philosophorum. Quicquid dixerunt philosophi in libris suis, decoque assa, funde, descende, reitera &c. non est nisi una operatio in igne. Item Barseus in eodem. Oportet uos opus coquere, assare, calefacere, dealbare, terere, rigare & tingere etc. hæc ergo plura nomina sunt quorum regimen unum est. Et Rasis libro 30. uerborũ uerbo 21. Regimen enim est unũ et operatrix una. operatio uero et transmutatio nõ sunt una. Possunt etiam ijs adaptari uerba philosophi 2. cœli, & mundi, qui dicit, ꝙ rectificationes rei unius fœliciores & lœuiores sunt rectificationibus rerum multarum. & rectificationes rei simul sunt faciliores & fœliciores rectificationibus eius multotiens, & quando res recipitur operatione una uel operationibus est facilior. quæ autem accipitur operationibus uehementior est, & difficilior. Similiter quòd bene fit uno modo fit, ut dicit philosophus 2. ethicorum.

Distinctio prima ostendens ꝙ hæc ars sit naturalis & diuina, & quòd per ipsam philosophi antiqui fuerũt uates de futuris miraculis diuinis.

a IMPLIVS ars hæc cogens nos tum propter difficultatem eius tum propter insuetudinẽ dilatare sermones. Dicimus, quòd ipsa partim est naturalis, & partim diuina siue supra naturam. Si enim consideretur

ex parte proiectionis lapidis super imperfecta metalla, quia perficit omnino ea in aurum, sicut facit natura, siue una pars super 100. siue super 1000. proijciatur, sic est naturalis. Si autē consideretur ex parte digestionis, & generationis, & germinationis et ortus lapidis, hoc est dupliciter, quia aut ex parte sublimationis in cuius fine germinatur anima candida mediante spiritu, et cum spiritu ipso simul euolans ad cœlum inde euolant. Et hic est lapis patens & manifestus & isto etiam modo est naturalis. Germinatio enim uel aliud est, quàm redictio rei ad id quod erat, tempore præfinito. & hoc est naturale, & hoc apudnos est satis mirabile quamuis non apud philosophos. Aut ex parte fixionis & permanentiæ animæ & spiritus in fine sublimationis, & hoc fit per adiectionem lapidis occulti, qui sensu non comprehenditur, sed intellectu solum per inspirationem, uel reuelationem diuinam, aut per doctrinam scientis. Vnde Plato in stollicis. Cognosce illud ad quod peruenisti, deinde considera per intellectum quæ acquisuisti. Et dixit Alexander. duo sunt in hac arte ordines, scilicet aspectus oculo, Intellectusque corde. & hic lapis occultus est qui proprie dicitur donum dei, et hic est lapis diuinus occultus, sine cuius commixtione lapidi annihilatur alchimia, cum ipse sit ipsa alchimia, & perditur opus eadem hora. Et hic lapis diuinus est cor & tinctura auri quæsita à philosophis. De quo dixit Hermes necesse est, ut in fine mundi cœlum & terra coniungantur, quod uerbum est propheticum. Et de hoc dixit Rasis in lumine luminū. Occulti lapidis natura, eiusq; dissolutio omnino agnoscenda est, ea nisi ad unguem cognita fuerit ab opere cessandum moneo. Pitagoras in turba philosophorum. hoc autem deus celauit. Apollo. ne mundus

deuasteretur. Et hoc modo alchimia est supra naturam, et est diuina, & in hoc lapide est tota difficultas istius artis. Neque potest assignari sufficiēs ratio naturalis, quare hoc ita esse possit, & sic cum intellectus non possit hoc comprehendere nec satis facere sibi ipsi, sed oportet ipsum credere sicut in miraculosis rebus diuinis. Ita ut fundamentū fidei Christianæ, quod supra naturam existit, à non credentibus primo existimetur uerum omnino, quoniam finis eius miraculose, & supra naturam completur. ideo tunc solus deus est operator quiescēte natura artifice. Et propterea antiqui philosophi eius artis in quibusdam futuris hanc artem diuinam scribendo quoquomodo prophetauerunt. Vnde dicit Rasis in quadam epistola. Cum hoc autem, scilicet lapide rubeo magnificauerunt se philosophi super omnes alios & uaticinati sunt futura. Specialiter autem & non solum generaliter prophetauerunt. Ita quòd cognouerunt diem iudicij & consumationis seculi debere uenire, & mortuorum resurrectionem in ipsa. In qua unaquæq; anima suo primo corpori coniungetur, & de cætero ab inuicem nō separabuntur in perpetuum. Et erit tunc, omne corpus glorificatū ad incorruptibilitatē translatū & ad luciditatem & subtilitatem ferè incredibilem, & penetrabit omne solidum quia eius natura tunc erit natura spiritus sicut & corporis. Reliqua autem damnanda resurgent ut illa, quo ad perpetuitatem & incorruptibilitatem. Passibilia tamen erunt & cum tenebris & obscuritatibus, & oppositione illis. Vnde Bonellus in turba philosophorum. Omnia uiuunt & moriuntur nutu dei, & est natura cui cum humiditas accidit, & cum ea permittitur per noctes, tunc similis uidetur mortuo, & tunc res illa igne indiget, quousque illius corporis spiritus extrahatur & per noctes dimitta-

tur ut homo in cumulo suo, et puluis fiat, ijs peractis, deus reddet ei animam suam & spiritum, ac infirmitate ablata, confortatur illa res, & post coruscationem emendatur, quem admodum homo post resurrectionē fortior fit & iunior, quā fuerat in hoc mundo. Et dicit Milnescindus. Creator animarum cum has mortificat creaturas, postquam sequestrat animas à corporibus reddet eis animas suas ut iudicet & remuneret similiter oportet nos ijs adulatione uti animabus etc. Et Hermes in primo. Porro nisi iudicij diem timerem, huius scientiæ nil patefacerem, nec ulli prophetarem etc. Quia igitur uiderunt diem nouissimam in hac arte, scilicet germinationē & natiuitatem huius lapidis miraculosam potius, quàm rationalē, quia fit cōiunctio animæ beatificandæ cum suo primo corpore mediāte spiritu et eorum perduratio in æternum gloriosa. Ideo ex hoc iudicauerunt diem iudicij domini, nouissimam huius seculi debere uenire, quæ erit supra naturam et miraculosa. Ideo Paytagoras in turba philosophorum dicit, intelligite omnes sapientes, quòd omne quod ex una essentia deus creauit, non moritur nisi in die iudicij. Similiter per hanc artem cognouerunt, & iudicauerunt antiqui philosophi huius artis uirginem debere concipere, et parere, quia apud eos hic lapis concipit, & impregnatur à seipso, & parit seipsum. Vnde est conceptio similis conceptioni uirginis, quæ absque uiro concepit, quod esse non potest, nisi miraculose, scilicet per diuinam gratiam. Et in partu huius lapidis fit partus similis partui uirginis, quia post partum permanet uirgo, ut prius ante conceptum, quod etiam esse non potest nisi diuino miraculo mediante. Quia igitur uiderūt conceptionem, impregnationem, & partum et nutricationē huius lapidis ita miraculosam, iudicauerunt mu

lierem uirginem debere concipere absque uiro & impregnari & parere miraculose & manere uirginem, ut prius. Vnde Alphidius. hic lapis in uijs proiectus est in nubibus exaltatus, in aere habitat, in flumine pascitur & in cacuminibus montium quiescit, cuius mater uirgo est, cuius pater fœminam nescit. Adhuc etiam nouerunt quòd deus fieri debebat homo, quia in die nouissima huius artis, in qua est operis complementum, generans, & generatum fiunt omnino unum: & senex, & puer, & pater & filius fiunt omnino unum. Ita quòd omnia uetera fiunt noua. Vnde quia hanc rem ita miraculose uiderunt, indicauerunt etiam creatorẽ cum creatura fieri debere unum. quia igitur creatori nulla creatura uniri potest, nisi homo solus, cum sit ad imaginem & similitudinem creatoris factus, ratione animæ intellectiuæ iudicauerũt deũ cum homine fieri debere unum, & hoc factum fuit in Christo Iesu, & uirgine matre eius. Vnde Balgus in turba philosophorum dicit. O quàm miræ naturæ quæ animam senis in iuuenile corpus transformauerunt ac pater filius factus est. Benedictus ergo sit deus creator optimus etc. Similiter Plato scribens in alchimicis. Scripsit euangelium, quod post eum per tempora longa ualde scripsit Sanctus Ioannes Euangelista, & compleuit. Scripsit enim Plato. In principio erat uerbum continuo usque ad locum illũ. Fuit homo missus à deo etc. Sicut recitat Sanctus Augustinus in octauo confessionũ. Et ostendit deus hoc exemplum miraculosum philosophis in hoc lapide. Vt ostenderet potentiam suam, ut ipsi scirent & cognoscerent eum, opera quæ supra naturam consistunt, quæ noster intellectus non potest comprehedere posse efficere, quando uult. Vnde Morienus. Scias, quòd hoc magisterium non est, nisi secretum se

cretorum dei altissimi, & magni, ipse enim hoc magisterium suis prophetis uel philosophis commendauit quorum animas in paradiso collocauit etc. Circa illam literam. Et hoc modo alchimia etc.

NOTANDVM quòd operationes naturales in quibus natura sola non uidetur sufficiens sicut in alijs, sed quasi modo quodam mirabili, & diuino fieri uidentur deberet reduci ad potentiam diuinam regẽtem eas supra naturam rei, cum naturalis ratio sufficiens ibi deficiat. Vnde Auicen. in 3. fen 21. cap. 2. scilicet de generatione embrionis dicit sic. Et quando separatur fœtus aperitur matrix aperitione tali, cuius similem efficere non ualet in suo simili. Et necessarium est ut separentur iuncturæ quædam & sustententur adiutorio dei excelsi, post illud redeunt in proximo ad continuationem naturalem, & est operatio illa de fortibus operationibus naturalibus. & formatiua quidem appropriata est cum re continuata à creatore, ut sit præparatiua non cessans comprehendere cum augmento fœtus quæ non comprehenditur, et hoc est de secretis dei. Sit ergo deus exaltatus, qui est rex uerax et benedictus etc. Ista sunt uerba Auicen. Dico ergo quòd natura non separat aliquas iuncturas corporis propter necessitatem aliquam, nisi hanc, scilicet femorum tempore partus, neque aliquas separatas restaurare potest, nisi hanc solam cum tempore, quod est mirabile ualde, sed sola chirurgia illas alias restaurat, ergo expresse uidetur, ꝙ diuina potentia immisceat se secrete huic tali operationi naturali, et regat naturam supra conditionem naturæ, quasi modo supra naturam, cum ultra naturam rei hic talis operatio fieri uideatur. natura enim rei de se hoc pati non posse uidetur, & ratio est quia si alio tempore fiat separatio illius iunctura

non

non potest reddi ad dispositionem naturalem nisi per opus chirurgiæ, sicut nec aliæ iuncturæ. Sic eodem modo dicimus in hoc opere diuino, quòd nec ex parte naturæ tantum, nec artis ministrantis, iuuantis naturam, uidetur hic talis compositio lapidis in fine operis fieri posse. Vt super ignem perpetuo perseueret, sed potius in diuina potentia reseruari uidetur hoc, mediante cognitione artificis. Ergo quàm difficile, quàm occultum, quàm mirabile, quàm arduum est extimandũ, hũc punctũ artificem attingere posse. De hoc autẽ mirabile uerbum dixit Socrates, scilicet quòd uirtus supra uirtutes existens, est res impossibiles redigere ad possibilem facilitatem præclare. Recte ergo dicendum hoc opus esse diuinum & secretum diuinum & supra naturam & sicut fortissima informat supra nostrum intellectum & ultra nostrã cognitionem quasi supra naturam, sic & in hoc opere accidere uidetur. Et tantum de prima distinctione.

Sequitur secunda distinctio. In qua ostendetur quomodo hæc ars inuenta sit, & quibus data & quibus non, & quare sic obscure scripserunt eam philosophi.

NVNC dicimus & uere firmamus quòd nullus antiquorum à primo homine usque ad ultimum potuisset, secretum istius artis diuinum adinuenire suo ingenio naturali secundum rationem naturalem solã nec secundum experientiam, cum ipsum supra rationem & experientiam consistat, ut quid diuinum occultum. Sed Deus gloriosus gratiarum largitor optimus, ipsum suis fidelibus sapientibus eum timentibus eum apparuit, & propala-

uit. Vnde Alfidius. Non ignores fili mi quòd filijs Adæ rationabilibus, Deus hunc scientiæ thesaurum aperuit, demum pauperibus propriam esse uoluit. Et Rasis in libro trium uerborum, hoc est donum Dei. Vnde Aristoteles in libro de secretis secretorum ad Alexandrum dicit, capitulo de medicina magna & secreta philosophorum. Dignum itaque est ut scias medicinam magnam quæ dicitur gloria inæstimabilis & thesaurus philosophorum. Ego uero siquidem nunquam percepi nec ueraciter noui quis eam inuenerit, quidam enim dicunt q̃ Adam fuit eius inuentor. Alij quòd Esculapius etc. Quidam autem affirmant, quòd Enoch nouit hoc secretum per uisionem. Volunt etiam dicere quòd iste Enoch fuit magnus Hermogenes, id est, Hermes quem græci multum laudant & commendant & ei attribuunt oẽm scientiam secretam & cœlestem &c. Ideo in eodem, in epistola quam scribit in principio, respondens Alexandro, dicit præterea quòd interrogasti & scire desideras, est arcanum tale quòd uix humana pectora poterunt tollerare, quomodo ergo immortalibus pellibus poterit depingi? Ad illud itaque quod te decet quærere mihi licitum est tractare, & me oportet & teneor ex debito, respondere sicut tu teneris ex debito tuæ discretionis, non exigere amplius ex hoc secreto quàm tibi tradam in hoc libro &c. Et quamuis dicunt aliqui hunc librum non fuisse Aristotelis, cum non redoleat eloquentiam eius, ut in naturalibus & metaphysicis, tamen quia fama testatur eius fuisse, & quia materia libri magis est narratoria quàm inquisitiua, ita quòd stilus facilis fuit utilior. Et quia inuenimus auctoritates eius huius libri allegatas, à Ioanne Mesue capitulo de ægritudinibus oculorum & ab Haly in libro suo de secretis secretorum, ideo credimus ipsum fuisse suum.

Item Hermes in principio libri septem tractatuum. Huius autem artis scientiam ab unius tantum Dei habeo inspiratione. Amplius sciendum quòd cum mos philosophorum sit, non inuidere, quoniam scientis est docere posse. Ideo hoc arcanum diuinum, à Deo primis philosophantibus reuelatũ posteris tradiderunt in scripturis, timore & præcepto Dei coacti & quia arcana, præsertim hoc non quibuslibet, sed solis sapientibus dignis à Deo dilectis sunt reuelanda. Ideo solis illis scripserunt. Si enim omnibus indifferenter hoc scripsissent arcanum, sicut in alijs scientijs omnibus plano sermone et ordine, omnem ipsius modum & circonstantias omnes quibus peruenitur ad ipsum absque figura & enigmate reuelassent. Ergo uolentes hoc solis aperire prædictis & ab insipientibus occultare tradiderũt sermonibus obscuris illis & obscurissimis istis. Neque potuissent philosophantes sequentes aliter ad eius notitiam peruenisse. Vnde Morienus. Si sapientes, qui post illos fuerunt, de qualitate uasis in quo conficitur, expõnes suas non inuenissent, nunquam ad eius notitiã peruenire potuissent. Vnde idem. Allegorizauerunt dicta sua super uulgus, non sunt tamen mentiti, sed locuti secundum quòd bonum uidebatur eis & secundum hoc quòd adinuicem se intelligerent ut alios lateret hoc &c. Vnde Geber in summa sua capitulo de negantibus artem à datis, dicit sic. Hæc enim ars occulto sermone non eget omnino neque penitus manifesto, trademus ergo ipsam sermone tali quòd prudentes latere non accidet, hic autem mediocribus profundissimus erit, fatuis autem per utrosque terminos miserabiliter concludet in hac una & eadem traditione nostra. Idem in eodem capitulo de administratione solaris medicinæ. Sed si quidem hanc scientiam Palliamus nõ miretur doctrinæ filius,

non enim illi Palliamus sed malis & improbis, & eam tali sermone tradidimus, quem latere insipientes necessario accidet, & eo ad illius inuentionis perquisitionem prudentes alliciet. Filij igitur doctrinæ perquirite & hoc excellentissimũ Dei donum, uobis solis seruatum inuenietis. Filij insipientis nequitiæ & maliuolæ prauitatis immensæ ab hac scientia fugite, quia uobis inimica est & aduersaria, & uos in miseriam paupertatis constituet, quoniam uobis penitus hoc Dei donum est occultum & à diuina prouidentia denegatum omnino. Idem in eodem capitulo ultimo. Nõ enim tradimus scientiam nostram sermonis continuatione, sed eam seminauimus in diuersis capitulis, & hoc ideo quoniam tam quidem probi, quàm improbi si continue tradita fuisset, eam usurpassent indigne &c. Idem in eodem. Solum ergo prudentes ad artem allicimus, per ingenia à nobis tradita uiam inuestigationis eisdem exposuimus. Non autem eam inuentam nisi solis nobis scripsimus, sed inuestigationis modum et modorum ingenia &c. Et Alexander. Scias quòd hunc meum librũ, nullis nisi philosophis posui. Et Rasis in libello ludorum. Non enim fecimus libros nostros, nisi nobis & filijs nostris & quisquis sit, qui peruenerit ad intelligendũ eos, erit ex nobis, & qui non peruenerit erit contrarius nobis. Idem in lumine luminum. Si enim omnia prout se habent, uellem enodare, nullus ultro prudentiæ esset locus, cũ insipiens sapienti æquaretur. Neque sub lunari circulo quisquam mortalium paupertate nouerca inediarum ulterius defleret angustias.
Vnde secundum Hermetem in principio. Scitote filij quòd philosophi non inuident morigerosis, neque legitimis nec sapientibus: ueruntamen ignaris & uitiosis à lege & benignitate priuatis, ne mali potentes fiant, quoniam penitus indigni

ſunt ſapientia. Vnde deprecor uos filios philoſophorum ut ne mini fatuo uel ignaro, uel cuiquam ad hoc inepto huius ſcien tiæ quicquam narretis. Et Alphidius. Philoſophi autem timentes Deum, non adeo illud pretioſum habuerunt, quin alijs philoſophis arcanũ lapidis patefacere uellent. Ideoq; pa= tens opus lapidis alijs in lucem non poſuerunt, timentes, ne luce manifeſta totus mundus uergeret in occaſum, metendi, ſeminandi, plantandi, & agriculturæ periret exercitium, quomodo propalare nolentes poſuerunt, in ſcripturis & figu ris & ænigmatibus uelata tenuerunt, maluerunt enim ſuam ſcientiam ſic abſcondere, quàm per eam patefactam mundi conditionem delere. Roſinus. Scito quòd non inuidiæ cau= ſa hanc artem philoſophi celauerunt, ne alij ditarentur, ue rum timuerunt ne quis deuaſtator, aut malefactor hoc ha= bito illicita ageret & abhominabilia, & eſſet ad ſuum de= trimentum. Idem in eodem. Dei nanque iudicium eſt, hanc rem ſcientibus modum inuenire, ne mali percipientes hoc, ad prophana agenda fiant promptiores, & de eorum peccatis reddituri ſint philoſophi rationes. Et Pythagoras hoc autẽ Deus celauit Apollo ne mundus deuaſtaretur, & ſic de alijs philoſophis. Patet ex ijs quòd nõ eſt ſcientia hæc, pro quo= libet, nec ſcripta pro quibuslibet. Plato prohibuit ne ſcien tia omni loco & omni demonſtretur diſcipulo in libro de pro portione & proportionalitate. Huius ſcienntiæ ſignificatio= nis hæc uerba protulit. Si quis ſcientiam demonſtrauerit in loco ubi cupiditas & timor uincunt inquirendi uolunta= tem, & extimauerit eam ab inquiſitoribus recipi, ſemetipſum deludet. Rationabiliter etiam philoſophi eam obſcure & difficulter ipſam ſcripſere, ut unuſquiſque ſapiens cum ſum= ma diligentia ſtudere nitatur, ut cum ipſam inuenerit magis

diligat & charam teneat & gratias innumerabiles agat altissimo largitori. Vnde Rosinus. Voluerunt enim philosophi ut suis in libris perscrutationes frequentissime inuestigent. Et Barseus in turba philosophorum. Iubeo ergo uos frequenter legere & super ijs quæ narrauimus meditari &c. Idem ibidem. Heu uobis qualiter uultis habere hanc nobilissimam oblationem lecto semel libro uel primo regimine experto. Et Rasis in libro septuaginta præceptorum. Liber librum aperit, & sermo sermonem explicat. Item in libro perfecti magisterij. Vnde cũ de huius rei experientia nemo possit per se prima fronte esse discretus, tibi suadendum prouidi, ut actione incepta ab ipsa non cesses, si prima uice non recte fueris operatus, secundo, tertio & etiã amplius si opus fuerit reiterando, quousque quod appetis perfectissime deprehendas. Neque te ab hac re labor manuum, rerum'ue impensa demoueat, quia cum instantia uinces & cum patiẽtia superabis, & ad id Deo duce deuenies, quod optasti, & de manuum labore mercedem & lucrum de rerum sumptibus rehabebis. Sic igitur propter dictas causas hanc artẽ taliter philosophi tradiderunt.

MODERNI ferè omnes alterationes solas absque transmutatione facere curãtes (propterea quia hebetãt) finem hunc ordinatum attingere nunquã possunt, aut pluribus alijs modis & rebus hoc idem posse perficere putãt, aut alterãt metalla pluribus modis, & pluribus rebus tã similibus quàm extraneis, ut uideantur aurum & argentum. Cumq; non appareat alicui nisi opus sophysticum, merito omnes tales sophystæ iudicabuntur. Non tamẽ ob hoc sophystica dicetur, nec error iste est ipsius artis, sed artificis deficientis à comprehensione ipsius ueritatis, quia sicut res se habet ad esse, ita

ad cognoſci, ut dicitur ſecundo metaphyſicæ, ergo cum eſſe rei ſit tantum unum, & cognitio erit tantum una, ergo et ueritas erit tantum una. Deuiantes ergo ab unitate & ueritate rei, pluribus modis & quaſi infinitis errare contingit: propter ſuam igitur ignorantiam & errores, credunt artem iſtam interimere.

Nota hic alchimiæ operationem & experientiam, quomodo eget continua operatione manuum, quaſi & intuitu uiſus in ſuis horis determinatis, ut ſcilicet artifex mundet elementa & ipſa mundata uideat & coniungat, etc.

CIRCA dicta notandum quòd in hac glorioſiſſima arte ualde eſt neceſſaria operatio manuum & intuitus uiſus. Operatio manuum propter auferenda ſuperflua quæ natura ſeperat & mundificat toto tempore digeſtionis & ſublimationis per ignem continuo, abſque interuallis magnis iuuando naturam, quia ipſa ſola & ſi ſuperflua ſeparet non tamen continuo, niſi iuuetur, nec illa ſuperflua etiam auferre poteſt, ſed ſolus artifex. Vnde dixit Socrates inquirite frigus lunæ & inuenietis calorem ſolis, & utantur manus ueſtræ operibus ut onera uobis alleuientur. Et Geber in ſua ſumma. Et qui non habuerit ſua completa organa non poterit ad huius operis complementum per ſe deuenire ut ſi cæcus fuerit uel in extremis truncatus &c. Sine manibus enim eſt impoſſibile quenquam per ſe deuenire ad hanc ſummã prudentiam. Intuitus etiam uiſus eſt ne-

cessarius omnino, præsertim tamen in fine decoctionis & sublimationis ut ablatis omnibus superfluis uideat artifex candorem mirabilem & terribilē & statim inueniat sibi requiem post hanc consummationem laboris. tunc enim infrigidando Lunam Sol occultatur in intimis eius, & oriens coniungitur occidenti & cœlum terræ secundum antiquos & spirituale cum corporali. Vnde dicitur in turba philosophorum. Scitote quòd uos non tingitis purpureum colorem nisi ferro. Et Hermes in secundo. Cuius enim natura fuerit calida si frigus ei euenerit, non ei nocebit. Et Auicenna. Scias quòd si euaporaueris totum tunc bene operatus es in cōpositione sed errasti in calce, infrigida ipsum &c. Tunc enim manifestatur occultum & occultatur manifestum infrigidādo. Et hæc infrigidatio fit cum requie, in qua requie nulla est operatio manuum, cum sit finis operis. De qua dicit Mo: ienus. Hæc est dispō illa quæ manibus perfici nō pōt etc. Et dicit Pythagoras in turba philosophorū. Scitote ꝙ res quā multipliciter narrauerunt philosophi, suum absque igne socium consequitur, prout lapis magnetis consequitur ferrum, & multos facit apparere colores etc. Quasi dicat, ꝙ nō egemus plus igne sed ferro componimus spiritus & corpora. Prima operatio quæ fit cum manibus, est primus gradus operis quæ fit per sublimationē & mundationem. Secunda uero operatio, quæ fit cū requie et absque labore aliquo est secūdus gradus operis, quæ fit per fixionē & permanentiā eius quod sublimatum, & mundatū est, quia tunc agens cum introducit formam, imponit finem operi, & quiescit & delectatur. Nam delectatio magis est in requie quam in motu. 7. ethicorum. Ex habitis igitur habere possumus, quòd nemo ad finem & complementum huius gloriosæ artis occulte, ac=

cedet, per solum studium & librorum copiam, sed oportet ipsum habere ingenium naturaliter profundissimum & excelsum ut discernere sciat figuras & analogias uerorum in suis significationibus, necessarijs uarijs et multiplicibus. Prima figura enim unius et eiusdē uerbi erit in uno loco unius significationis & in alio loco contrariæ, ut dicit Rasis in lumine luminum, ubi loquitur de elementis. Vnde Morienus. Sunt autem libri huius artis sub figura compositi omnes, quorum pars maior multum obscura uidetur neque uere nisi à suis cōpositoribus intelligi possunt, & qui per eius inquisitionem libros circuit, tarde ipsam reperiet. Vnde Geber cap. ultimo. summæ suæ ubi dicit. Non desperet igitur doctrinæ filius, quia si illam quæret, illam inueniet, non doctrinæ, sed proprij motus indagatione naturæ, quoniam qui per se, & suæ bonitatis industria scientiam quæret illam inueniet. qui uero per librorum insequutionem quæsierit tardissime perueniet ad hanc artem pretiosissimam, quoniam nobis solis artem per nos solos inuestigatā tradidimus & non alijs, uerissimam tamen & omnino certam, quia ars iuuatur ingenio & ingenium ab arte similiter. Et Lilium. hic fideli memoriæ commendaui potius, quàm scripturæ. Et ideo in ijs potius est uisio quàm scriptura quærenda. Et expositor in luminæ luminum in sequendo & cognoscendo naturam per te ipsum inuenies, quia à philosophis non perpendes determinatum modum solutionis corporum. Ideo dicit Auicen. Nobis itaque necessarium est ut operationem hanc per nos ipsos inueniamus. Idem in eodem. Istæ res fuerunt nobis notæ ante experimentum cum cogitatione subtili, uehementi, & longa. Vnde Geber in cap. de præparatione Saturni. conqueritur et lamentatur de difficultate quàm habuit in acquiren

do hanc artem dicens. Propter hoc igitur & nos similiter in stuporem adducti multi temporis spatio sub desperationis umbraculo delituimus. Redeuntes igitur in nos ipsos, nosmet torquentes immense cogitationum meditationis afflixionibus respeximus corpora etc. Ideo capitulo de modo administrationis solaris medicinæ. Et in hoc ordine completur archanum prætiosissimum, quod est super omne huius mundi scientiarum archanum archanorum & thesaurus incomparabilis, et tu quidem exerciteris ad illud cum laboris instantia maxima & cum diuturnitate meditationis in mense, cum illa enim inuenies & sine illa non. Postquam autem inquisitor inuestigauerit quantum potest, tunc subijciat se operationi inuestigato prius. Et cũ errauit cognoscat errores suos. tam magnum enim quid est, cognoscere errores suos in operatione, ꝙ aliter non potest aliquis attingere ueritatem, nec ipsam inuestigare, ergo cum errauerit redeat ad inuestigationem iterum & post operetur iterum, nunquam tamen renuendo ac uilipendendo inuestigationem, quia operando detegentur errores inuestigati prius et ueritati appropinquabit & non aliter & totiens operetur & inuestiget, quousque operis finem attingat deo uolente. Sicut enim dubitans potest inuestigare ueritatem dubitati & non aliquis alter, ita per inuestigationem operans & errans reinuestigando potest ueritatem inuenire. Vnde Rasis in libro 70. præceptorum libro ultimo. Vsus alleuiabit tibi hoc opus et ostendet tibi mirabilia suarum operationum, sed ille qui non habet usum, aggrauabitur in hoc opere. Et ita accidit omni homini qui ingreditur ad hoc magisterium donec utatur eo. Item idem libro perfecti magisterij. Meditatio enim sine experientia nihil ualet, sed experientia absque meditatione perficit, unde plus est ex=

perientia quam meditatio perquirenda. Quod si qua falsa & sophistica in hac arte occurrant, tractabitur, de eis in arte illa necessario, ut cognoscantur, & euitentur, quia contrariorum eadem est disciplina. Ita quòd discreta ueritate prosequatur ueritas, & falsitas refutetur, non enim potest quis uerum prosequi, nisi cognita falsitate, & aliter non potest fieri perfecta doctrina, quæ ergo hic dicuntur de pluralitatibus et diuersitatibus à philosophis uidetur quod sophisticũ & falsum est, cum hæc ars sit unica solum, ut hic ostensum est. Quæ uero nullam ueritatem habent, sed solum apparentiam & phantasiam sicut ars lapidum preciosorum artificialium, non dicentur omnino artes & scientiæ nisi abusiue, quia principia falsa sunt, ergo non naturalia: deficiunt enim ibi illa duo principia naturæ, scilicet materia determinata propinqua, & præcisus modus agendi qui ex intentione naturæ consistit in illa materia. unde non habitis naturæ principijs impossibile est artem sequi naturam, ergo sumũt alia principia deuia ab intentione principiorum naturæ, ergo faciunt alia opera diuersa ab intentione naturæ, & sophistica, quia quorum principia sunt diuersa & opera erunt diuersa. Sumunt enim in arte illa uitrum aut christallum quod ingeniose fundunt & ingeniose colorant ab extraneis rebus exterioribus. Naturales enim lapides preciosi non sunt facti fusibiles à natura, ab arte autem sic uiolando naturam, & reducendo eos ad substantiam & formam uitri, et tunc non sunt, quod prius erant, & similiter natura introducit colores & diuersitates colorum de potentia materiæ ab intrinseco, artifices autem ab extrinseco dant, neque sumit natura pro materia uitrũ sicut isti, sed materiam quãdam ex quatuor elementis commixtam quam ignoramus præcise. Quæ

ambo principia si sciremus adhuc deficeremus in generatione illorum lapidum, scilicet quia nullo modo possemus imitari naturam uere, et causa est, quia non sunt res liquabiles, prout sunt metalla. Item non possumus imitari naturam in ijs, quorum materiam propinquam habemus, & ignoramus modum agendi ut in generatione marchasitæ, tutiæ & antimonij quorum materia est argentum uiuum & sulphur, multum minus in ijs lapidibus, in quibus ignoramus utrũq; etc.

Nota quia Bonus fuit coetaneus Raymundi Lulli, ideo non uidit ipsum de compositione lapidum preciosorum.

Distinctio tertia ostendẽs, quòd hæc ars est certior alijs scientijs, & quòd est nobilis, breuis & leuis.

VRSVS dicimus hanc artem esse omnibus certiorem, quia philosophi ipsius omnes concordant in unum, tam in parte speculatiua, quam in practica, nec in aliquo sibi inuicem contradicunt. Nec uariant oppiniones secundum rei ueritatem nec uerba, sed solum secundum apparentiam propter causas dictas superius. Ita quòd totalis conuenientia omnium eorum ad unum & idẽ, ostendit eam esse omnibus certiorem & ueriorem. In omnibus enim alijs tam artibus quàm scientijs uariantur oppiniones plerunque quantum ad id de quo quærunt et diuersificantur & contrariantur quandoque tam in speculatiuis partibus, quàm in practicis. Similiter tota operatio huius artis uera, & certa, cum sit unica tantum potest doceri & addisci in die una, immo in hora una ab aliquo sciente, absque inuestigatione & scientia, quòd in nulla scientia nec arte contingit Non tamen diceremus ipsum talem alchimistam, cum igno=

raret principia & causas & intellectum figurarum & sermonum allegoricorũ. Sicut enim turpe esset, aliquem ignarũ docere hanc operationem perfectam, sic irrationabile esset, ipsum dicere alchimistam propter operationem solam quam sciret. Vnde philosophus 2. ethicorum. Non quicunque facit gramaticalia uel musicalia est grammaticus uel musicus. Scientia enim hæc extollit intellectum ad diuina et super naturam: & hoc in operatione uerificatur, ꝙ non fit in illo sic solum docto, & ideo certissima est & unica & occulta & cœlestis &c. Vnde Alexander. Demonstraui arcanum cœlesteq; patefeci, scientiarum difficile atque absconditum illuminaui, perfectamq; scientiam, & regendi modum certificaui. Alias tamen certitudines scientiarum ad inuicem, scilicet quæ fit certior & quæ non assignat philosophus primo posteriorum, quæ quamuis sint ueraces non tamen faciunt directe ad hoc propositum. Et hanc certitudinem ostendens Hermes in principio secretorũ suorũ dicit sic. Verum sine mendacio certum certissimũ uerissimum, ꝙ est superius est sicut ꝙ est inferius, et ꝙ est inferius, est sicut ꝙ est superius ad perpetrãdum miracula rei unius etc. Amplius animaduertendum est hanc scientiam omnibus tam speculatiuis, quam practicis, excepta lege in qua est salus animæ per diuinam reuelationẽ ostensa nobiliorem esse. Ferè enim omnis qui addiscunt tam in artibus quàm scientijs quibuscunque, faciunt propter aurum & argentum acquirendum, quia cum ijs omnia necessaria acquiruntur. Ita quòd non addiscunt scientias uel artes propter seipsas. s. propter inquisitionẽ ueritatis quæ est intrinseca rei, sed propter extrinsecum, quod tamen acquiritur cum labore animæ & corporis plurimo, & dolo, & seruitute & obedientia, & quandoque cum toto hoc, non

acquiritur. Hæc autem propter seipsam adiscitur, quia in ea est intrinsecum aurum et argentum & non extrinsecum, & ueritatis inquisitio & semper acquiritur. Et commiscetur hæc scientia omnibus & amicatur. hæc etiam per se separatur ab eis. Et quia est de nobili subiecto, & cui omnia obediunt, & quòd omnia suppeditat, ipsa est nobilis ualde. Et quia modus eius tradendi & inuestigandi est figuratiuus & diuinus totus, dicetur nobilis ualde. Et quia finis operationis eius est supra rationem, dicetur nobilior. Cum ergo omne quod est nobile & propter se, magis sit eligendum, et concupiscendum, quàm quòd est propter aliud, & per accidens. Ideo quo ad hoc, hæc scientia omnis alias superat. Vnde Hermes in 2.7.tractatuum. Scias fili quòd omnes sapientiæ, quæ in mundo sunt, huic necesse sapientiæ subditæ sunt hæc nanque in mirabilibus archanis, quæ in ijs sunt elementis, finita est & consecuta. Et idem in libro primo. Omnium bonorum clauem uobis philosophorum librum nuncupaui, & idem in suis secretis. Sic quæ habebis gloriam claritatis totius mundi. Idem in libro de 15. stellis, & 15. herbis, & 15. lapidibus, dicit. Quatuor sunt scientiarum scientiæ nobiles scilicet astrologia, physica, magica, & alchimia. Immo etiam alchimia propter nobilitatem suam non patitur applicari alicui nisi eius filius sit & hæres, sicut intellectus non patitur alicui applicari animæ nisi animæ humanæ. Vnde benedictus Rasis libro perfecti magisterij dicit. Si enim alius quàm eius filius, hoc attentare præsumpserit, ut indignus penitus repulsam patietur, et se opus & impensas amisisse merito deplorabit. Ideo Morienus. Hæc est scientia quæ inter alias maxime inquiri debet, cum per ipsam ad aliam magis admirabilem peruenire possumus. Et quia ista scientia sic al=

tissima & nobilissima est. Ideo apud unumquemque sapientum sagacissime inquiri debet quamuis rarissimi sint, qui ipsius finem & complementum attingant. Vnde philosophus 10 de animalibus. Magis concupiscimus scire modicum de rebus honorabilibus & altissimis etiam si topice illud sciamus, quàm scire multum per certitudinem de rebus minus nobilibus. Et idem insinuat primo de anima. Ipsa etiam ingeniũ nobilitat & sublimat, & à captiuitate naturæ animam & corpus liberat. Vnde Morienus laudans finem eius dicit. Vtilitas huius artis duplex est, nã et animã dũ ratione fit felici iocunditate decorat, et corpus à paupertate et seruitute liberat. Et Plato iuxta finem stollicarum dicit. Et qui cognouit propositum nostrum, & intentionem nostram iam est philosophus & ditatus est, & qui non cognouit dicta nostra est in laqueis naturæ. Hæc autem est lucerna sapientis in uita sua sicut lumen lucens. Filij autem naturæ in loco tenebroso uexantur, quibus non lucet lucerna, cum sint uacui ea. Et Morienus iterum. Vniuersi enim qui huius artis expertes sunt, quoquomodo miseriæ genere mendici sunt, ꝗ enim faciunt, faciunt ut habeant res abunde, quas tamen sine hac arte adipisci non possunt.

CVM autem hæc ars sit unica. Et philosophi unum tantummodo uolunt, & in illo omnis se mutuo intelligunt. Cuius unitatis gratia ipsa est certior alijs & ueraciter leuis & breuis.

SCRIPSERVNT enim philosophi hoc cum uersutijs parabolarum, unum dicentes & aliud intelligentes ut fatuos seducant & à uero sequestrent. Et ij non intelligentes operantur iuxta sonum scripturæ tantum, & in fine nil ueritatis inueniunt, & mirantur & post credentes bene agere

has receptiones mutant, & in infinitum multiplicant & extendunt, philosophi tamen unum tantummodo uolunt & in illo omnes mutuo se intelligunt. Cum hæc ars sit unica solum ut prius ostensum est, & etiam certior alijs ut hic dicetur. Et uere dico sicut opinor, quòd si totam hanc artem &c.

ET uere dico sicut opinor, quòd si totam hanc artem cum omnibus necessarijs practicæ tradere uellent, relinquendo omnes figuras, quòd in octo uel duodecim lineis scribere ipsam possent. Et quare nõ fecerũt supra lucide satis enituit. Vnde uersus.

Hæc ars est cara, breuis, atque leuis, quoque rara:
Ars unam poscit rem, quam quiuis bene noscit.
Hanc aptant plura rem, res hæc est tamen una,
Illi nec similis est, & precio quoque uilis,
Nec contemnenda, nam perficit illa stupenda.
Hanc tu fixare debes & in igne domare
Sic, quòd conscendat, & rursus ad infima tendat.
Dissipa rem captam prius hanc per rem satis aptam
Leuiter extractam, sic massam contere factam
Aspera re, lenis quia uasis fit in amenis.
Omnia coniungit si funditur, omnia fundit.
Et cum sit fixum non suscipit hæc nisi fixum,
Regnare pressos facit atque recumbere fessos.
Hæc res aptatur si desiccata rigatur.
Hæc res siccatur si cum rebus associatur. Aliter sic.
Hæc res siccatur si cum rebis associatur
Quid enim sit rebis, uide in practica huius artis.

Quarta

Quarta distinctio ostendens errorem desiderantium recte operari, qui est in fine operis, scilicet in compositione elementorum. Et quid principium operis & quid finis eius, & quòd hæc ars non est pro omnibus sapientibus.

CVM naturalia & eorum causæ sint difficilia ad inuestigandum, & sciendum, ergo quæ sunt supra naturã erũt difficillima, cum in eis cãs penitus ignoremus. Omnis enim res dicitur difficilis ad sciendum propter paucitatem cognitionis causarum ipsius, aut quia non habet causas, & tunc non debet inquirere eas. ut dicitur 10. de animalibus. Ex parte ergo qua ars ista ẽ naturalis et similiter dubitatiua est difficilis, ergo ex parte qua est diuina, est difficillima. Propter, quod non est mirandum de difficultate inuentionis ueritatis eius, apud desiderantes ipsam, et operantes in ipsa, quia non sufficit ratio ad ipsius inuestigationem, sed oportet credere finem eius sic esse posse & fidem penitus adhibere. Neque in hoc prodest fortuna, sed gratia Dei rationi coniuncta, aut gratia diuinæ reuelationis sola, non enim est res secundum fortunam aut casum procedens et eueniens seu adueniens.

PROPTER hoc igitur quàm plures antiqui sapientes, solummodo naturaliter operantes p rimam partem operationis compleuerunt directe, sed secundam partem cum sit supra naturam, ignorantes & non credentes, sine qua prima permanere non potest, prætermiserunt & uacui à proposito remanserunt. Non enim permanet prima pars nisi alligetur secundæ in eadem hora, quia hæc secunda est clauis totius operis. Vnde dicit Balgus in turba philosophorum. Vi

di enim tempore nostro quendam qui elementa sciebat quē=
admodum & ego. Deinde medens hanc erexit dispositionem
ad cuius lætitiam non peruenit propter tristitiam suam in re
gendo, & impatientiam nimiamq; festinationem ad proposi
tum &c. Et dicit Gregorius in eodem. Vidi enim tē=
pore meo quendam qui hoc incepit opus & ueritatis naturas
est operatus, rubore autem aliquantulum morante. Puta=
uit, se errasse & sic dimisit opus &c. Isti duo qui sic erra
runt sciebant elementa simplicia artis & depurata & ipsorū
adinuicem mixtionem & signa apparitionis ipsorum, & o=
mnia necessaria huic arti, neque deficiebat eis aliud, nisi co=
gnitio certa determinatæ diei, immo horæ ortus & partus la=
pidis in qua fieri debet coniunctio elementorum simplicium
& finis totius operis. propterea igitur quia non fuerunt at=
tenti in uisione hora illa, euanuit totum opus de manibus eo
rum. Lapis enim tunc ortus est candidus et uolans ab igne,
propter perseuerantiam ignis & euanescit in fumum simul
cum lapide fixo, cum summa uolatilis tunc superet summā
fixi. Sed si per ingenium artis, tunc summa fixi superet
summam uolatilis, quod fit per compositionem elemento=
rum simplicium adinuicem, retinebit lapis fixus uolatilem &
permanebunt inuicem in æternum & non aliter. & hæc est
tota fortitudo alchimiæ & ipsa alchimia quæ Deo glorioso et
non naturæ soli nec arti pertinere uidetur. Vnde Geber in
summa sua. Ars nostra in potentia Dei reseruatur, qui cui
uult eam largitur & subtrahit, qui est gloriosus & subli=
mis in omni iustitia & bonitate repletus &c. Et iterum idē
ibidem. Miserrimus enim & infelicissimus est quem Deus
post operis sui atque laboris finem in ueritatem denegat con=
spicere & uitæ suæ spatium semper in mœrorem concludit

& terminat &c. Vnde Alexander in epistola sua. Mundus maior creatus est ex naturis quatuor, diuersis & contrarijs, scilicet appetitiua, digestiua, retentiua, & expulsiua siue mundificatiua, est quoque uis altera, scilicet ab eis, uita, quæ uires has coniungit quatuor, quas tibi narraui atque descripsi, & est sicut clauis ad arcam quam si ab eis perimas, tota dissoluitur cum sit nexus eius lateráq; eius continens &c. Et Lucas in turba philosophorum. Ego notifico uobis, omnia quæ Deus creauit ex quatuor esse naturis, id est, quatuor elementis, & quæ ex eis creata sunt, ad eas reuertuntur in quibus naturæ generantur & moriuntur, prout Deus prædestinauit. Quæ testimonia confirmat sic Alphidius. Scias fili quòd ex uitio suæ creationis omnia corrumpuntur. unde tam homo quàm omnis creatura ex accidenti ad corruptionem tendit. Ideo idem ibidem, omnis enim creatura potest augeri quousque perficiatur, cum autem ad finem perfectionis deuenerit in detrimentum diminutionis tendit uel descendit per eiusmodi uiam, iter suum dirigunt quæ in mundo sunt uniuersa. Eget igitur lapis iste in ortu suo auxilio artificis, ut sit tunc uigilans & occulta fide uideat, quòd igitur nuntiauit, & cum uoluntate sociata naturæ perficiat ipsum retinendo & non ultra eat. Vnde dixit Morienus. Vide ne hanc radicem prætereas, nec aliquam eius quæras mutationem, quoniam neque proficuũ neque bonum tibi quæsitum inuenire poteris. Sicut uerbi gratia. Fœtus à principio conceptionis in utero, perficitur continuo usque ad tempus partus & tempore natiuitatis perfectus est de se, & si tunc non egreditur, suffocatur & moritur, quia tunc eget auxilio expulsiuæ uirtutis, & cum ortus est tunc eget ultimo perfici, quia motus ambulationis

deficit ei cognitio & loquela & fortitudo, ut dicit Milueſcin dus. Eodēmō quādo hic lapis oritur eſt perfectus per ſe ſed deficit ei tinctura & fixio ſtans et coniunctio matrimonialis. Ideo eget auxilio artificis extrahentis tunc ſtatim ipſum complentis eum ut dictum eſt. Hoc idem eſt in auibus quando in ouo generatæ ſunt, perfectæ enim ſunt de ſe, quòd ſi tunc non egrediantur ſoffocantur & moriuntur, & ſi egrediantur perficiuntur ultimæ & non aliter. Ideo hic lapis ita occultus eſt, quòd à nemine inueniri poteſt, niſi Deo uolente, à cognoſcentibus ipſum tempore ſuo. Et hoc eſt quod dixit Hermes in quarto, ſcilicet intelligite filij ſapientum quòd hic lapis pretioſiſſimus eſt, & clamat protege me & ego protegā te. Largiri mihi ius meum, ut te adiuuem, ſol enim meus & radij mei intimi ſunt in me &c. Et in primo eiuſdem dicit. Scito quòd uultur ſupra montem exiſtens in cacumine clamat, uoce magna inquiens. Ego ſum albus citrinus & rubeus &c. Vnde Parmenides bene conſulit nobis in turba philoſophorum dicens. Notis omnibus conditionibus lapidis & naturis in hoc opere manus ueſtras imponite, ſi uero ueritatis naturas ignoretis, nolite huic appropinquari, quia totum noxium eſt & infortunium & triſtitia. Et Raſis in lumine luminum. Occulti lapidis natura eiusq; diſſolutio omnino cognoſcenda eſt, ea enim niſi ad unguem cognita fuerit, ab opere ceſſandum moneo. Idem in libro triginta præceptorum. Nihil enim eſt huius noſtræ ſcientiæ radix, niſi cognitio & cautelæ erroris bonitas. Idem in lumine luminū. Cauendum etiam ſummopere moneo, ne unquam id aggredi præſumas elementorum admixtione incognita. Et hæc pars operis eſt, quæ eſt ſupra naturā, quæ terrena cum cœleſtibus coniungit, quam dicunt diuinam, cœleſtem, ſpecioſam,

mirabilem, pulcherrimam, difficillimam, cum eius inuentio in diuina potentia reseruetur. Vnde dixit Hermes in principio libri septem tractatuum. Huius autem artis scientiam ab unius tantum Dei habeo inspiratione.

PROPTER hoc igitur quàm plures &c. Notandum quòd philosophi antiqui appellauerunt primam partem operis, principium operis. Principium autem operis appellauerunt lapidis natiuitatem & germinationem, & hoc fit in die complementi decoctionis, & digestionis, & sublimationis perfectæ, non autem appellauerunt principium operis ut quidam in superficie principium digestionis usque ad complementum digestionis, sed ipsam digestionem iam perfectam & ipsum digestum iam perfectum, ut patet subtiliter enucleanti uerba eorum. Finem autem & complementum totius operis, appellauerunt, retentionem lapidis iam digesti. Si igitur principium fuerit inuariabile & impermutabile, quicquid fuerit de essentia principij & pertinebit substantialiter ad principium, erit inuariabile & impermutabile. Si autem principium recipit uariationem & permutationem quicquid erit de essentia principij & pertinebit substantialiter ad principium uariabitur & permutabitur. Vnde philosophus 11. & 18. de animalibus ostendens quòd testiculi sunt una particula principalis nostri corporis, dicit q̃ principio modicum permutato multa simul permutari consueuerunt eorum quæ sunt circa illud principium. Et primo cœli & mundi, quòd paruus error in principio maximus est in fine. Et primo physicorum dicit. Vno inconuenienti dato plura sequentur. Quapropter si principium alchimiæ fuerit inuariabile & steterit impermutabile quæcunque pertinebunt ad illud principium erunt necessario inuariabilia & im

permutabilia. Si autem permutetur & illa necessario permutabuntur. Et si in illo principio fiet error in fine & toto opere necessario erit. Et isto inconuenienti facto, quicquid fiet post erit inconueniens, ideo penitus cauendum est & præcauendum à permutatione aliqua huius principij, & sic nec error nec incõueniẽs aliquod adesse poterit. Cum igitur principium recipiat perfectionem & complementum propter attingere finem suum, & amplectetur & econuerso, ergo oportet quòd illud principium includatur in suo fine. Finis autem est fixio principij immediate & absque mora. Vnde dicit Morienus. Oportet quòd finis restituatur super suum principium, & principium super suum finem, & hoc est compositum quòd sic perpetuabitur, nutu Dei, & non aliter. Est autem totius operis initium dealbatio, rubor autem perfectio, ut dicitur in turba philosophorum. Et est rubedo in albedine, quemadmodum minium in cerussa, ita quòd finis & principium sunt simul eadem hora. De hoc autem tali principio, dixit Rasis in lumine luminum. Nunquam igitur spiritui in corpora patebit ingressus, quousque eadem munda & purgata subiaceant, hæc autem præcipua & dignior & bene attendenda istius negocij radix & principium &c. Et dicit Lilium. Dealbatio semper expectanda est quæ huius operis dicitur initium & firmamentum.

Sequitur distinctio quinta ostendens hunc lapidem similari omnibus rebus mundi. Et quòd diuersis nominibus nominatur. Et quòd philosophi huius scientiæ tetigerunt, eam cum omnibus alijs scientijs &c.

ANTIQVISSIMI philosophorum uiderunt hunc lapidem in ortu & sublimatione sua & coniunctione elementorum eius, omnibus rebus mundi tam realibus quàm intellectualibus & earum accidentibus, posse in similitudinibus conuenire. unde quæcunque dici aut tractari possunt, tam de cœlestibus superioribus quàm de terrestribus & inferioribus, tam de corporalibus quàm incorporalibus, de corruptibilibus & incorruptibilibus, de uisibilibus & inuisibilibus, de spiritu, anima & corpore & ipsorum unione & seiunctione, item de mundi creatione & eius principio & fine & de elementis omnibus & eorum qualitatibus, tam primis quàm secundis, & de eorum confusione in materia prima & eorum distinctione, & eorum proprietatibus & passionibus omnibus, tam de elementatis omnibus tam animalibus quàm uegetabilibus & mineralibus, de generatione & corruptione, de uita & morte, de uirtutibus & uitijs, de unitate & multitudine, de actu & potentia de conceptione & partu, de masculo & femina, de puero & sene, de forti & debili, de uictore & uicto, de pace & bello, de albis & rubeis, & quibuslibet coloribus, de paradiso & eius celsitudine & claritate, pulchritudine & gloria, de inferno & abysso. Et breuiter de ijs quæ sunt & de ijs quæ non sunt, & de quibus loqui licet et de quibus loqui non licet, omnia dici de hoc lapide uenerando.

QVOD si fidem nostram christianam non offenderet, neque legem auderem dicere, quosdam antiquorum prophetarum hanc habuisse (si fas esset) artem. Vt Moysen, Dauid, Salomonem, & quosdam alios & similiter Ioannē euāgelistam & eam dictis domini intermiscuerunt & occultauerunt sicut perpenderunt sapientes. Vnde Rosinus. Deus tribuit recte Moysi &c. Item de hoc quòd hæc in libro Malachiæ prophetæ dicit Alphidius. Huius autem rei purgādæ per prophetam bene prædictum esse legimus. Tota die sedebit constans & purgabit argentum & purgabit filios Leui, qua purgatione peracta erit cœlum nouum & terra noua & uidebit omnis caro salutare suum cum se coonouerit ab omni corruptione mundatam & ad pristinam sanitatem in qua cōdita fuit redire &c. Ideo in libris philosophorum plures prophetarum uidimus allegatos &c. Qui in suo principali proposito hanc artem intermiscuerunt. Item legimus in libro Auicennæ de circulo animæ, Ioannem euangelistā de numero philosophorum huius artis. Ista enim scientia est diuina & supra naturam, & cum alia diuina & reliquis patitur mistice implicari. Non autem fuerunt antiqui prophetæ hanc artem prosecuti propter aurum & argentum habendum, nec propter bonum utile & delectabile, sed propter honestum quia dilexerunt rem propter seipsam. Et ideo quia uiderunt inquisitionem eius & inuentionem per suos terminos miraculosam & supra naturam, ideo diuinam & misticam, quo circa terminos eius cum suis diuinis intermiscere potuerunt & uoluerunt principali proposito & indice manente, cum ipsorum termini sint diuini & mistici. Rationi hoc principali proposito derogare uidetur, nec remouere intellectum ipsorum ab inquisitione ipsorum, unde philosophi huius

scientiæ seu artis, tetigerunt scientiam huius lapidis in omnibus suis scientijs & operibus mistice loquendo. Ita quòd scientia ista nihil dimisit quin ad se traheret, & sibi componeret. Neque est hoc incongruum, quoniam omnia quæ sunt, & quæ non sunt ars ista diuina sibi pro terminis assumit. & loquitur de omnibus secundum analogiam, in suis libris Et omnes aliæ de ipsa. Hoc idem patet tam in philosophia, quàm in physica seu medicina, quam etiam astrologia, & quàm geomantia &c. Vt dicit Balgus in turba philosophorum, & Morienus. Et hoc confirmat Albumasar in suo troductorio iudiciorum. Loquens de imaginibus cœli, secundum antiquos etc.

CIRCA hanc distinctionem nota quòd sicut prius est esse rerum & ueritas secundum naturam, quàm earum similitudo & allegoria sic scientiæ & artes prius tractare debent esse & ueritates rerum. secundario autem similitudines & allegorias quoniam ueritas nil aliud est quàm adæquatio intellectus ad rẽ. Similitudo autem et allegoria sunt sicut figmẽtum in accidentibus rerum siue sint, siue non sint facta ab intellectu solo. Maxime ergo fefellerunt antiqui philosophi ante Aristotelem, quia uolentes tradere cognitionem ueritatis rerum & alijs cõmunicare semper sub allegoria & similitudine loquebantur. Cunctis cognitio non inquirat proprias causas rerum prout requirunt res. Solus autem Aristote.uidetur incepisse à tradictione proprie ueritatis rerũ quẽ Alexander, philosophus Auerrois, & Auicennas & plures alij secuti sunt, philosophus tamen docet loqui metaphoricæ similitudinarie, seu allegorice in 3. rethoricæ, sed hoc requirebat ars illa & modus eius & hoc non est reprehensibile. Sic & hic.

ITEM sicut res se habent ad esse, ita se habent ad intelligi, & cognosci, & per consequens ad significari. Ex hoc triplex modus in rebus repertus est, scilicet modus essendi, modus intelligendi, & modus significandi. Et quia ueritas nihil aliud est, quàm adæquatio intellectus ad res ipsas. Disputantes autem non sunt ferentes res ad disputandum, Sed nominibus utuntur pro rebus spetialiter notis. Sed ignorantes uirtutes uerborum paralogizant, ut dicitur primo elenchorum. Distinguere ergo nomina multiplicia est utile ad manifestandum propositum, & syllogizare ad rem, & non ad nomen ut dicitur primo topicorum, & deberet interrogans & respondens ferre intellectum ad idem, ut ibidem dicitur adhærendum est. ergo rebus per se, & nõ nominibus.

EX dictis ergo uere patere potest, ꝙ istius lapidis infinita nomina consurgere necesse est quæ omnia sunt uera apud philosophos alchimiæ quamuis ficta sint id est similitudines. Vnde Rasis in lumine luminum. Hæc enim quæ dicimus ad imagines referuntur. Et idem primo 70. præceptorum. Hæc omnia quæ dicimus sunt typica quæ subtiles in hac arte intelligere debẽt. Pythagoras in turba philosophorum. Sitote quòd res quam multipliciter narrauerunt philosophi, suum absque igne socium consequitur prout magnes consequitur ferrum, quam ubique inueniunt, quæ est lapis & non lapis, uilis & preciosa, obscura, celata, et à quolibet nota, unius nominis & multorum nominum. Alphidius. in eo enim omnis similitudo & omnis descriptio inuenta est omniũ animaliũ genera & lapidum sunt in ipso, naturis coloribus omnibus & odoribus, operibus est similis, cui nil est simile in actione in descriptione, in transitu, in dominatione etc. Et Milueſcindus. Si spirituale nuncupes probabile quid agis, si corporale uerum dicis, si cœ

leste non mentiris, si terrenũ certum refertur etc. Morienus. Ego ueritatem uobis dico. quòd nihil aliud huius artis operatores in errorem detrusit nisi uarietas & nominum multitudo &c. Dicit Lilium. Nostri lapidis tot sunt nomina, quot sunt res uel rerum uocabula. Et Alphidius. In hoc opere est parabolarum diuersitas & nominum, & actionum ut ab imperitis celent & intelligentiæ capitibus aperiant & demonstrent. Et Morienus. Sapientes huius artis dispositiones alia de causa non multiplicauerunt nisi ut sapientes in hoc magisterio instruerent, & insipientes penitus excæcarent

AMPLIVS notandum, ꝙ quãuis nomina huius lapidis infinita ficta sunt, non est mirandum quoniam hic lapis orphanus proprio nomine caret, nec proprium nomen aliquod habere potest, nisi lapis philosophorum, quibus notus solum modo existit. Ergo cum hoc nomen in ipsius cognitione non sit sufficiens, attribuerunt ei nomina aliarum rerum omniũ, ut per tales similitudines sapientes deuenire possint in cognitionẽ ipsius. Propterea ergo omnia eius nomina uera sunt apud philosophos & nota solum eis, quia intelligunt, quid significãt. Quamuis enim materia ex qua fit lapis sit tantum una, et ipse lapis tantũ unus, tamen secundũ diuersos colores & uarietates quæ in decoctione apparẽt et ortu eius et coniunctione in magisterio diuersa nomina imponunt ad beneplacitum. Similiter uulgus hoc idem facit, quia imponit nomina diuersa uni rei per diuersas formas accidentales. Nam ex auro et argento fit anulus, ciphus, armilla, nummus, corona, & tamen omnia sunt aurum & argentũ. Similiter & in alijs metallis & in cera & ligno argilla & uitro quæ tamen omnia secundum materiam, & formam naturalem sunt idem

& unius nominis, & ratione accidentium multorum nominum sic & lapis plura habet nomina. propter sua accidentia quæ tamen omnia sunt nota philosophis solis, cum sit res ipsorum & non aliorum. Et cum uulgus procedat prouerbialiter, & figuratiue in sermonibus suis, sciticet unum dicens, & aliud occulte intelligens, ut sapiens uulgus ab insipienti discernat, quod occultum est, quanto magis hæc ars diuina hoc facere debet præsertim, cum ipsa sit secretum secretorum dei altissimi, & magni; ut dicunt philosophi huius artis, quemadmodum Aristoteles figuratiue tradidit hoc secretum Alexandro loquens secum exemplis, enigmatibus et signis, timens ne hoc arcanum diuinum deueniret ad potestatem infidelium & arrogantium quos deus indignos iudicat, & ne ipse Aristoteles esset transgressor diuinæ gratiæ, & fraudator cœlestis secreti & occultæ reuelationis. hac de causa figuratiue locutus fuit ad Alexandrum in epistola libri secretorum.

Præmissis distinctionibus & declarationibus multis quæ non modicum ualent ad propositæ quæstionis elucidationem maiorem restat, nunc soluere rationes, ad contrariã partẽ quæstionis adductas. Cum quæstionibus quibusdam intercidentibus & notabilibus congruis.

VONIAM quidem dispositiones præcedunt, habitus et habilitant ad formas tam
q intelligibiles, quàm reales, ideo præmisimus dispositiones quam plures, per quas potest sapiens amator horum, bene credere,

& disponere sensum & intellectum suum ad habitus, & formas excipiendas quas diximus. Quapropter de cætero modum habituandi, & informandi cum quibusdam alijs dispositionibus. Iuxta sapientum doctrinam, & nostram narremus. Incipiendo prius à solutionibus rationum dictarũ à principio scilicet ignorantium hanc scientiam gloriosam & uolantium eam interimere.

Solutio rationum V.

AD argumenta ergo quinque prima, patet ex dictis & dicendis solutio. Quoniam quamuis per artem alchimiæ uelimus sequi naturam, hoc est in opere, scilicet faciendo ex similibus principijs metallorum, idem aurum, quod ipsa facit, sed non in modo operationis seu operis, quia ratione modi operis ars, facit ex illis principijs lapidem suum, cum quo omnia metalla conuertit in aurum. Sed si metalla uellet generare de nouo, tunc ars coacta esset sequi naturam in modo operis, etiam & in quantitate elementorum, & proportione & mixtione & calore & tempore & loco, tunc ars esset impossibilis & cognitio talium non potest haberi certitudinaliter, sed solum secundum coniecturam, quæ cognitio confert speculanti, operanti uero minime. Veruntamen ars prius inuestigat. omnẽ operationem naturæ, et omnem modum operationis, & materiam determinatam & reliqua sine quorum inuestigatione ars nunquã posset naturam sequi. Et quia natura in suis mineris transformat omnia imperfecta metalla in aurum paulatim digerendo & expoliando ipsa in fine à sulphure corrumpente, quod ipsa decoxit & in tali expoliatione obseruat natura quantitates & proportiones in mensuris elementorum determinatas ad generationem auri, quæ quantitates et proportiones mixtionis sunt notæ soli

naturæ. Ideo ars hæc subtilissime inuestigans expoliat ipsa similiter ut natura, sed cum alio calore, scilicet liquefacientе & in breui tempore ualde, scilicet in momento, & alio loco & tempore quia quocunque tempore, quocunque loco, & quocunque calore expoliantur in perfecta metalla omnia à sulphure corrumpente statim perficiuntur in aurum. & in hac expoliatione natura æquat quantitates elementorum & eorum proportiones in mixtione & mixto uolunntate diuina, quamuis hæc ignoremus, quia nec necesse est nos hoc scire nec possumus scire. Et sic ars sequitur naturam in principijs, quia sic operatur ars, penitus ministrando naturæ sicut sola natura tam in generando physicum lapidem, quàm in perficiendo metalla, quia solus lapis philosophorum cum sic sit expoliatus & habeat naturam perficientis & informantis poterit ipsa expoliare & perficere & informare in liquefactione. Quod totum adhuc lucidius explanabitur infra in capitulis de generationibus metallorũ. Ad illud autẽ quod ipsi dicũt de abbreuiatione temporis in decoctione per excessum caloris exasperantem, quia dissipabitur, humiditas metallica & destruetur florma specifica metalli. Dicimus quòd eorum intentio & imaginatio à tramite ueritatis omnino declinat, quoniam nolumus ponere metalla imperfecta in igne ignitionis aut liquefactionis, & sic seruare quousque digerantur, & perficiantur in aurum, quia fatuum est hoc dicere & imaginari & est impossibile sicut probant. Sed ipsis liquefactis ad ignem immediate ponimus lapidem, secundũ iusta pondera ipsa perficientẽ, cum ipse sit forma ipsorum informans ipsa, & in momento perfecta sunt in aurum cum conseruatione popriæ humiditatis & sic perpetuantur in igne. neque etiam ipsa naturæ principia uolumus con

uertere in aurum, nec in metallum aliud per talem ignem cum sit impossibile, sed in igne sufficienti ad liquefactionē, conseruamus ea in sua humitate auferendo superflua, quousque generetur lapis quem quærimus uolatilis, cui iungimus lapidem fixum rubeum, & hoc est possibile.

QVONIAM quidem etc. Notandum est ꝙ accidit quibusdam sapientibus in sillogizando: ut faciant syllogismos sophisticos fortes & sibi ipsis & alijs, & quandoq; contra istud quod opinantur ita quòd ipsi nescientes soluere stant in dubio ligati, de quibus dicit philosophus 7. ethico. sic ad literam. Sophisticus sermo est mentiens dubitatio. propter inopinabilia enim uelle arguere, ut sapientes sint, cum non attingant factus syllogismus dubitatio fit, ligata enim est mens etc. Quia ergo cum plures nesciunt soluere argumenta iam dicta & eis similia cum sint magnæ apparentiæ, propter sophisticationes latentes, eo quòd habent terminos & sermones huic arti pertinentes. Ideo nescientes soluere, eorum mens manet ligata, etiam si credant oppositum. Posuimus ergo in antedictis sermones notos & ueros, & similiter in sequentibus, ut possint soluere omnia dicta contra quæstionem propositam, secundum solutionem possibilem. Et si qua similiter alia arguerentur, ita ut eorum mens nunquam de cætero sit ligata. Soluimus autem omnia ordinate ut patebit in sequentibus. Adhuc similiter decipiuntur quia uniuersaliter solum considerant et arguunt, non descendendo ad particularia. Vnde Philosophus primo politicorum. Considerantes particulariter magis ueritatem discernunt, uniuersaliter enim dicentes seipsos decipiunt. Et in 6. ethicorum. Neque enim prudentia est uniuersalium solum, sed oportet etiam singularia cognoscere. Si enim sciat quis quoniam leues carnes be=

ne digeſtibiles & ſanæ. quales autem leues ignorat, non fa=
ciet ſanitatem, ſed ſciens, quoniam quæ uolatilium leues &
ſanæ, faciet magis etc. Et in primo poſteriorum. Conſide=
rantes uniuerſale multotiens neſciunt quædam ſingularium
propter id quod non intendunt. Et in ſecundo eiuſdem æqui=
uocationes magis latent in uniuerſalibus, quàm in ſingulari
bus 2.ethicorum. In ijs enim quæ circa operationes ſermones
uniuerſales quidem communiores: ſunt particulares autem
ueriores.

Solutio rationis VI.

AD ſextum argumentum dicimus, quòd in opere hu=
ius artis eſt conſiderare duo, ſcilicet naturam agentem & ar
tem miniſtrantem. Si conſideremus ex parte naturæ agen=
tis dicimus, quòd totum opus eſt naturale, quia natura eſt
illa quæ digerendo ſeu decoquendo appetit, retinet, digerit,
& expellit, & permiſcet & corrumpit, & generat & in=
format præcepto dei benedicti & glorioſi ſuo tempore lapi=
dem antedictum, & cum hoc lapide natura informat me=
talla per ipſarum commixtionem. Si autem conſideremus ex
parte miniſtrationis, tunc opus hoc eſt artificiale, non quia
ars generet & corrumpat, & informet, ſed quia miniſtrat
naturæ operanti totũ hoc. Natura enim ſola non poteſt in ta
libus per ſe, niſi ars miniſtret ſibi. propterea eo modo quo ars
miniſtrat naturæ, eo modo operatur natura, quia ſi bene
bene, ſi autem male male. Tota igitur operatio ratione ge=
rationis, & mixtionis eſt naturalis. Ratione autem miniſtra
tionis eſt artificialis, ſicut patet in decoctione ciborum.

Solutio rationis VII.

AD rationem ſeptimam. Dicimus, quòd illorum ra=
tio non cõcludit, quia forma quæ eſt perfectio rei eſt duplex
ſcilicet

ſcilicet una ipſius mixti inquantũ mixtum. Alia ipſius mixti non inquantum mixtum ſed inquantum animatum ſiue ſit anima introducta de potentia materiæ ab occultis naturæ, ſiue ſit data ab extrinſeco, ſcilicet ab eſſentia quinta uel à primo motore ſicut ueteres diuerſimode ſunt opinati. Diuerſificauit enim Deus rerum perfectiones multipliciter quoniam in quibus compoſitio quæ ſecundum naturam fuit debilis in illis maiorem, & nobiliorem perfectionem ponit, ſcilicet, quæ eſt ſecundum animam: in inanimatis autem econuerſo. Et ideo nos ignoramus formare leonem, capram, & hominem non ratione mixtionis cum ſit debilis in eis ſed magis ratione formæ nobilis, quæ ſubiacere non poteſt actibus noſtris. Similiter quamuis quorundam mineralium, uegetabilium et animatorum ſiue ſint fortis mixtionis ſiue debilis, generationem facere ſciamus, tamen eorum formas ſpecificas ignoramus omnino, ſed ad generationem auri cognoſcimus ſuam formam ſpecificam ſeparatam à materia perfectibili, & modum perfectionis, & unionis omnino ſequendo naturam. Similiter quia non fit recta comparatio mixtionis fortis ad nobilem, ſed fortis ad debilem & nobilis ad ignobilem, quia recta comparatio eſt in uniuocis, ut dicitur 7. phyſicorum. Similiter quia inanimatorum ad animata in hoc non eſt proportio. Similiter quia non eſt proportio eius cuius materia propinqua determinata inuenitur, ad illud cuius materia non inuenitur ſiue ſit eiuſdem propinqui generis ſiue non. Similiter quia non reperitur in illis, nec in aliquibus de mundo aliquid quod egeat perfici, ſicut in ijs ſolis, quare ratio non concludit.

Solutio ratonis VIII.

AD octauam rationem, dixerunt quidam quòd non con

cludit, quia metalla non differunt ad inuicem specie, sed accidente solum, quos reprobauimus supra in argumentis philosophi. Dixerunt alij quòd ratio simpliciter est falsa, quia generatio & corruptio est indiuiduorum diuersarum specierum: poterunt enim ad inuicem transmutari. Sed quamuis isti sufficienter dicere uideantur, non tamen sic est, quia quidam modus est in metallis diuersus mutationis speciei in speciem. Propterea istius rationis solutio sufficiens cum solutione ultimæ rationis philosophi infra patebit.

Solutio rationis IX.

AD nonam rationem dicitur, quòd uerum est, quòd per motum & lucem corporum super cœlestium, & per eorum determinatos situs & aspectus introducuntur formæ in inferioribus, sed non est necesse nos ea scire, nec possumus scire nisi in genere quodam confuso, scilicet ex parte solis in quibusdam qui est causa quatuor temporum anni, quia certis temporibus fiunt seminationes, et messes, & plantationes, & in quibusdam animalibus, ut equis, & asinis, & accipitribus, & falconibus, periodis certis solaribus fiunt coniunctiones ad coitum, & generationem, in quibusdam autem omni tempore fiunt hæc indifferenter, ut in homine et columbis, & gallinis. Vnde si uolumus generare uermem ex carnibus putridis non consideramus situm quēquam stellarum, sed solum dispositiones aeris circunscribentis, & alias putrefactionis causas. Similiter si oua sub fimo aut simili loco ad pullorum generationem ponamus, quocunque tempore dabitur forma suo loco & tempore præfinito à cœlestibus absque consideratione nostra in hoc. Eadem in generatione calcis, & uitrioli, & salis, & uzifur, & cerussæ, & minij, & zimar. Similiter in compositione theriacæ, et aliarum confe-

ctionum & quocunque tempore et quacunque hora possunt fieri, hæc uirtus enim cœlestis est ualde communis ad omnia & recipit determinationem & per uirtutes & dispositiones eorum, quæ sunt subiectum eius in rebus elemẽtatis et elementis, quia sic operantur uirtutes cœlestes in tota natura generabilium & corruptibilium, continuo secundum materiam sibi dispositam, aut proprie, aut communiter. Vnde dixit Lilium. Opus hoc non causatur à motu superiorum, quia omni tempore fieri potest. Et Rasis in 70. in libro reprehensionis. Tempus non operatur in hoc aliquid, quia si tempus operaretur in eo esset uile apud gentes etc. Si igitur in hoc magisterio, omnia contingentia suo tempore recte concurrant, introducetur forma sua sub debito situ, & aspectu stellarum tempore præfinito in materia, absque consideratione in hoc aliqua. Vnde dixit Plato, quòd secundum meritum materiæ infunduntur uirtutes cœlestes, quæ res naturæ operantur &c. Sed in rebus in quibus infunditur forma accidentalis noua, & occulta à cœlestibus, ut est in arte imaginum oportet necessario, ut sciamus, & custodiamus determinatos situs & aspectus corporum cœlestium. tempore proprio, quia à solis illis imprimitur forma talis & tali tempore & non alio, sicut patet in libris astrologiæ, de electionibus horarum imaginum & bellorum & edificiorum & itinere etc. quia igitur alchimiæ ars non est talis, ergo non requiritur talis cognitio.

Solutio rationis X.

AD rationem decimam dicimus, quia formarum aliæ sunt naturales, aliæ artificiales. Et naturalium quædam sunt substantiales & introducuntur in instanti omnes à natura, præcedentibus dispositionibus, habilitantibus ad eas, siue

concurrat ibi administratio artis aliqua ad disponendum si=
ue non, & istæ sunt formæ substantiales quæ sunt principiũ
operandi in omni re, & istas dicit dialecticus formas speci=
ficas siue differentias constituentes speciem & per ipsas quæli
bet res habet esse. Quædam autem sunt formæ accidentales
quæ si immediate manant & fluunt à formis substantialibus
introducuntur in instanti cum formis specialibus à natura
cum sint sicut propriæ passiones subiectorum & istæ sunt for
mæ, cum quibus quælibet res proprie operatur. Si autem
non immediate manant & fluunt, tunc introducuntur suc
cessiue in tempore ut est color, odor, & sapor, & figura
talis determinata sequens suam formam substantialem, qua
rum quædam sunt proprie, ex tota specie sua, ut color pauo
nis & figura elephantis, quædam communes ut color equi,
& gallinæ, & odor uiolæ. Artificiales autem formæ omnes
sunt accidentales & non sunt aliud quàm figuræ rerum in=
troductæ per artem siue sint iuxta uoluntatem artificis, ut
figura domus & nauis & nummi siue sint à casu aliquo, ut
patet in figuris fragmentorum lapidum quorum quædam
remanent in facto esse, ut forma domus, quædam non, sed
sunt in solo fieri, ut patet in arte saltandi, & cantandi, &
omnes istæ introducuntur successiue in tempore, ut patet ex
septimo metaphysicæ, propter quod dixit philosophus ibidem
quòd artificialia ratione materiæ ponũtur in genere substan
tiæ, ratione formæ ponuntur in genere accidentis.
Cum igitur generatio lapidis philosophorũ sit à natura me=
diante agente naturali scilicet igne cum colore suo naturali,
& odore & figura naturali quæ sunt formæ accidentales se
quentes suam formam substantialem determinatam, sed ta=
men cum administratione artis, quæ ministrauit sibi mate=

teriam debitam naturalem in organis artificialibus, ergo necessario forma eius erit naturalis & substantialis, quæ substantialis forma, cognoscitur per suas formas naturales accidentales proprias, sicut & omnis alia de mundo. Et quamuis ministratio & modus ministrationis materiæ, sit uoluntarius, tamen forma quæ in instanti generatur est naturalis. Non igitur poterit dici forma illius lapidis artificialis, ut quidam fatue imaginantur. Eodem modo intelligendum de auro per istum lapidem generato, cuius forma introducitur in instanti, ut patuit, & non successiue, sed dispositiones præcedentes bene inducuntur successiue. Nota unũ notabile, quare formæ dicuntur naturales, in duplici differentia &c.

CIRCA decimam rationem & eius solutionem eluci=dandam, est præterea notandum, quòd formæ naturales dicuntur. Aut ad quarum introductionem natura sola præparat sibi materiam & introducit formam ut in homine, palma marmore etc. Aut quia ars præparat materiam naturæ, non ultima præparatione & ipsi porrigit, & natura præparat, & disponit sibi ipsi usque ad ultimum cum auxilio artis, & post introducit formam ut patet in generatione uzifur, cerussæ & theriacarum ac omnium compositorum. Formæ enim istorum sunt naturales ministrante arte, quia in talibus natura non potest sibi præparare materiam, nec componere, sed ars præparat naturæ materiam & natura disponit & introducit formam, quod enim præparat alteri materiam ad formam non dat formam, quod autem sibi præparat, & disponit sic quia idem agens disponit ad formã et dat formã. Sunt autem quædam formæ naturales accidentales quæ introducuntur à natura sola præter artẽ, et à

natura per administrationem artis, ut sanitas, quoniam omnium harum principium agens est intrinsecum quod est natura. Formæ autem artificiales absolute dicuntur accidentales, ad quarum introductionem natura præparat materiam remote secundũ magis et minus. Nunquã autẽ posset natura introducere formam cum deficiat principium extrinsecum in hac operatione. Ars autem potens recipit à natura hanc materiam & eam præparat, & disponit dispositione propinqua, & introducit successiue formam sicut est forma domus, nauis, & anuli. Satis enim posset ars porrigere naturæ ligna, lapides, cementum & clauos, quòd tamen nunquam sciret domum construere nec nauim, sed ars hæc recipit à natura, & sibi ipsi disponit, & formam artificialem facit ex ijs successiue. Propterea formæ naturales rerum substantiales non uariantur in sua specie, quamuis quædam accidentales sic, ratione regionum. Artificiales autem omnes, quàm pluribus modis uariantur, secundũ uoluntatẽ artificis uariando figuras. Similiter ars in artificialibus absolute semper seruat eandem materiam & formam eandem naturalẽ & uariat formas artificiales ad libitum. In naturalibus autem tam quibus ars ministrat, quàm in quibus non, non seruatur eadem materia, sed uariatur materia continuo, ut ad formam diuersam disponatur iuxta uariam dispositionẽ materiæ. Cum igitur lapis philosophorum generetur à natura ministrante arte, & diuina potentia uolente manifestare, dicetur ipse & sua forma & aurum alchimiæ, non artificiale, sed naturale penitus. Ars etiam est cum natura annexa, quia principium artis est natura, ut patet ex 2. physicorum, scilicet secundum quòd exit ex suo principio cœlesti cuius principium est intellectus practicus. Principium autem

naturæ est intelligentiæ, quia opus naturæ est opus intelligentiæ, & ipsa natura est opus & instrumentum eius. patet ergo quomodo ars hæc est naturalis, & similiter opera sua, & forma sua & quo non & forma sua.

Solutio rationis XI.

AD rationem undecimam quando dicunt quòd facilius est res destruere quã construere. Respondet Geber Ispanus in summa sua sic, ꝙ non concludunt de necessitate qua coarcte mur ad non posse construi credere. Nam quod difficulter construitur, & difficulter destruitur. non autem est impossibile ipsum posse construi. Huius autem causam assignamus quia fortem habuit compositionem. Ideo difficiliorem resolutionem habet, ideoque difficulter destruitur. Et hoc est quod facit eos opinari impossibile esse eius constructionem. Et quia ignorant eius compositionem naturalem, ideo illius constructionem et destructionem artificialem ex cursu naturæ ignorant. Acceptauerunt tamen forte quòd sit fortis compositionis, sed quantæ fortitudinis compositionis sit non attentauerunt, hæc est responsio Gebri Ispani, hactenus philosophi præcipui & astrologi & Magici, & alchimici. Nos autem cum modici simus intellectus & ingenij nihil contradicimus tanto philosopho, nec contradicere præsumimus, nec audemus cum ipse sciuerit actu & opere hanc mirabilem scientiam. Nos autem quamuis propinqua potentia credamus, eadem semita ipsum deberemus sequi, propter magnam dilectionem & delectationem, quoniam delectatio perficit operationem ut dicitur 10. ethicorum. Et iterum in eodem. Coauget enim propriam operationem delectatio, & magis singula iudicant, & certius exquirunt cum delectatione operan-

tes etc. Sed tamen argumentum in sua efficacia permanere uidetur. Ideo dicimus quòd constructio siue factio rei dupliciter cõsiderari potest. Vnomodo quãdo res construitur ex suis primis principijs generationis, ut sanguis existens in uenis matricis gallinæ ad generationem pulli, ita quòd est in hoc principio motus. Alio modo quando res construitur & præcesserunt ferè omnes dispositiones habilitantes ad formam, et est iuxta finem motus, ut ouum ex sanguine illo generatum, sub gallina per dies septem fotum siue digestum ad generationem. Potest etiam tertius addi modus, quasi medius harum existens, scilicet ouum quod gallina peperit. Si primo modo accipiatur uel 3. uerum dicunt. Facilius enim est rem destruere, quando facta est, quàm ipsam construere incipiendo à primis principijs generationis uel medijs. Et hoc modo non intelligitur hic. Si uero ultimo modo falsum dicunt. Vnaquæq; enim res naturalis quando fit, cum ipsa fuerit in ultima dispositione, post quam immediate sequitur forma, facilius est ipsam construere, quàm destruere quando facta est, quoniam ipsius constructio fit in instanti, sed eius destructio quãdo facta est non potest fieri, nisi præcedant dispositiones omnes & alterationes disponentes ad corruptionem & sic accipimus hic. Et ideo quia ars alchimiæ inuenit (hac ultima dispositione disposita) omnia metalla, perficit ipsa in instanti absque aliquibus alterationibus preæcedentibus sola liquefactione præmissa, neque potest ea ita facile destruere quando facta sunt aurum sicut construxit.

AD rationem duodecimam & tertiamdecimam patet ex prius dictis Solutio.

Solutio rationis XIIII.

AD rationem decimam quartam, quando dicunt quòd

impossibile est alicuius unius rei, duas contrarias operationes per se esse, dicimus quòd uerum est respectu eiusdem sed respectu diuersorum est possibile, & hæc diuersitas proprie nõ est ex parte dantis, sed ex parte recipientis, quia omne quod recipitur in aliquo recipitur per modum rei recipientis & non per modum rei receptæ, ut dicitur septimo metaphysicæ quia agens non disponit materiã nisi prout est habilis ad dispositionem hanc uel illam, & post informat eam iuxta meritũ dispositionis, ideo uidemus de nutrimento & nutribili quòd in humano corpore diuersa cibaria ualde in unum sanguinẽ & in unum nutrimentum conuertũtur ab uno agente propter talem ipsorum dispositionem in materia & forma, ita ut cibaria dura mollificet & mollia induret, & ad medium reducat. Vnde Galenus tertio de complexionibus. Et omnes cibi calidi dum in digestione perseuerant, calefaciunt corpus: frigidi autem infrigidant, sed cum nutriunt, augent calorem naturalem inquanto secundum similitudinẽ unam &c. Et hoc ideo est quia quamuis nutrientia sint inter se ita diuersa in materia & in forma à principio, tamen in comparatione ad nutribile ab uno agente possunt informari una forma in fine. Propter quod dixit philosophus secundo de anima quòd nutribile nutritur à contrario & à simili, à contrario in principio, & à simili in fine. Et causa est, quia in fine expoliantur ab omnibus qualitatibus diuersis quibus differebant & contrariabantur & fiunt unum & idem in forma membri naturæ, tamen fit unum per se & aliud per accidens, nec sunt proprie & per se ordinata ad talem finem. Cum igitur metalla imperfecta dum subiacent digestioni naturæ, aut sunt de mineris effossa, sunt proprie & per se ordinata à natura ad unum finem, quamuis inter se sint

altera & diuersa, & induritiæ & mollitiæ, & accidentibus alijs. Poterunt tamen ab uno agente multo melius informari secundum similitudinem unam in forma una quàm nutrientia diuersa, ita ut dura mollificentur & mollia indurentur, ut in medio perficiantur, sed non est illud quòd mollificatur, possit indurari, nec ecõuerso. Et iõ quod est molle nimis non eget mollificatione sed induratione, & quod est durum nimis econuerso. quòd totum per expoliationem solam fit in ijs diuersis subiectis, tali diuersitate ad eundem finem ordinatis, nec tamen fit una mutatio per se & alia per accidens, sed ambæ per se cum operatio lapidis de se sit unica tantum: in dissimilibus autem à se nil operatur de ijs, ideo ratio non ualet. Vnde Geber in capitulo de duplici medicina, scilicet alba & rubea, dicit quòd quatuor corpora imperfecta egent duplici medicina, scilicet alba & rubea, quorum duo egent eis indurantibus, scilicet Iupiter & Saturnus, alia uero duo mollificantibus, scilicet Mars & Venus, & argentum uiuum eget similiter duplici medicina coagulante & inspissante ipsum, scilicet una alba & alia rubea. Et ideo medicinæ corporum imperfectorum et argenti uiui sunt decem medicinæ & hoc intelligendum est in minori opere, quia in maiori opere non est nisi unica perficiens omnia ad album & ad rubeum. Et ideo subdit in eodem capitulo sic. uerũ utiq; cum diuturnitatis laboris instantia, & magnæ indagationis industria excusari uolumus, ab inuentionis labore harum decem medicinarum per unius medicinæ beneficium, & inuenimus inquisitione longa, necnon & laboriosa maxime & experientia certa medicinam unam, qua quidem durum mollescit, & molle induratur corpus, & fugitiuum figitur & illustratur fœdum splẽdore inenarrabili etiam eo qui

supra naturam consistit &c. Nec apud quenquam sapientum hæsitandum existimo, si hic lapis unus existēs habeat has operationes oppositas, quoniam si recte consideraverit, causas duriciei metallorum, & molliciei & causas fusionis & impedimentum fusionis, & causas citæ fusionis & tardæ, & causas fusionis cum ignitione, & sine ignitione. Et causas fixionis, id est, perseuerantiæ ad pugnam ignis, & uolatilitatis in fumum ab igne. Et causas perfectionis metallorum & corruptionis, & causas diminutionis & superfluitatis in ipsis, cognoscet statim quòd possibile est quod dictum est. Et ex qua re quibus rebus efficitur lapis ipsa. Postea particulariter tractabitur, hoc autem scire oportet & hic præsupponitur.

Solutio rationis. XV.

AD decimamquintam rationem. Ex nunc dictis & post dicendis patet solutio.

Solutio rationis. XVI.

AD decimumsextum argumentum quando dicunt. Metalla omnia perfecta esse in sua specie per suam formam substantialem, propterea quia sic permanent in natura &c. Dicimus quòd res quæ permanent in natura sic se habent sicut dicunt. Sed aduertendum quòd quædam sunt res quæ permanent in natura in sua specie quæ perficiuntur, quoquo modo per suam formam substantialem, ad quam est quidam terminus motus, sed quædam ordinantur ad aliam substantialem formam ultimam, omnino complentem & perficientem post illam, ideo dicentur esse imperfecta, donec sub illa forma prima permanent in relatione ad ultimam. Si autem non referantur ad hanc ultimam formam, sed solum in se considerentur, ipsa sunt perfecta in illa specie per illā suā

formam ſubſtantialem, ſecundum quod exigit illa ſpecies, ideo uidemus in generatione ouorum eſſe quendam terminũ motus in acquiſitionem ſuæ formæ ſubſtantialis, qua ſic permanent, ſed quia ſunt ordinata à natura non ſic permanere ſub illa forma, ſed ad generationem Auis proprie, ubi fit acquiſitio ſubſtãtialis formæ ultimæ, iõ dicentur eſſe imperfecta ſub forma ouis quãuis permanent: perfecta aũt, cum fuerit perfecta generatio Auis, perfecta, cum ibi ſit finis ultimus. Similiter & de ſeminibus plantarum hoc idem patet, unde philoſophus in libro de morte & uita dicit, quòd accidit imperfectis mors & corruptio, ſicut ouis & ſeminibus plantarum ſed aſſimilatim quidem & aliomodo quàm animalibus, ita quod dicit hæc imperfecta reſpectu finis, ad quem ultimo ordinantur. Omnia enim principia & elementa, ex quibus fit aliquod, & omnia inter media ſiue ſimplicia ſiue mixta, in quibus eſt aliquis terminus motus, habent formã ſuam ſubſtantialẽ perficientem in ſpecie in qua ſunt, ſcilicet in relatione ad ultimam formam ad quam ordinãtur, habet eas imperfectas, in quibus autem non eſt terminus ſtans ſed continuus, manet forma ſubſtantialis prima, quouſque forma ſubſtantialis ultima introducatur, quamuis formæ accidentales plures ſuperueniant, & uarientur. Ex quibus uerbis patet, quomodo ſtagnum, plumbum, æs & ferrum ſunt perfecta in ſua ſpecie, & quomodo non & quomodo nobilia & ignobilia. Eodẽmõ in artificialibus inducendo hoc idem eſſe patet. Hanc autem multiplicitatem metallorũ fecit natura propter finem non à caſu ſed ad commoditatem humanæ naturæ, diuerſa enim opera facit ars ex aliquo illorum & ipſorum mixtione, quæ ex auro uel argento facere non poſſet. Sed aliæ res quæ non ordinantur à natura ad formam aliam

substantialem sicut triticum, marchasita & equus, dicuntur habere substantialem formam completiuam, absolute, non referendo ad aliud nobile, aut etiam ignobile ad aliud referendo & de istis solis arguebat ratio.

Solutio rationis. XVII.

AD rationem decimamseptimam, quando dicunt, Quæcunque multiplicantur à natura in sua specie, per continuam generationem &c. Patet solutio ex nunc dictis.

Solutio rationis. XVIII. Et XIX.

AD rationem decimamoctauam, & decimamnonam, fiet solutio in capitulis de generatione metallorum cum solutione ultimæ rationis philosophi suo loco, quia solutio harum & illius haberi non potest nisi quibusdam præcognitis.

Solutio rationis. XX.

AD uigesimam, Quando arguitur de entibus à fortuna non potest esse scientia &c. Dicimus quòd ad hoc, quòd aliquid sit à fortuna non sufficit quòd raro accidat sed quòd accidat à proposito, id est præter intentionem, ut secundo physicorum, ideo cum alchimia non accidat: nec accidere sic, siue inuestigando eam per sua principia, siue practicæ operando in ea non erit à fortuna, tamen possunt accidere errores in ipsa præter intentionem, sed non ueritas uel perfectio, sua enim ueritas & perfectio est semper & necessaria & perpetua & immutabilis & una tam secundum partem speculatiuam, quàm secundum practicam, omnino ut superius est ostensum, & de talibus sunt artes & scientiæ, ut patet primo posteriorum quàmuis artes sint de ijs quæ aliquando contingunt aliter se habere, ut dicitur sexto ethicorum. Quòd si accidat interdum artifici à proposito error & fallacia, hoc non erit ex parte actis uel operis, sed ratione admiculantium

& deficientium, aut accidentium tempore operis, ut ex fractura uasorum uel casu, uel à somno tempore non suo &c.

Sequuntur nunc solutiones ad quinque rationes Aristotelis.

D rationes autem philosophi nos nunc respondere oportet.

AD primam iam ex ante habitis patet solutio, quia alchimia transmutat metalla omnia transmutatione naturali ad substantiam & formam auri ut ostensum est & non solum alterat. Inquisiuit enim sagacissime alterationes metallorum & principiorum suorum proprias & ueras cũ transmutatione ipsorum uerissima, & alterationes sophysticas absque transmutatione etiam inquisiuit cum contrariorũ eadem sit disciplina, & illam ueram consecuta, & adepta est & illam quæ est sophystica dereliquit.

AD secundam rationem philosophi, iam patuit solutio cum prædicta & etiam infra patebit statim.

AD tertiam patuit solutio supra. Vbi ostẽdimus transmutationem metallorum esse omnino ueram ex parte nostri iudicij & nostræ cognitionis. Quia non est necesse ut cognoscamus eorum formam specificam nec præexistentem, nec introductam sicut nec in rebus alijs. Sed sufficit quòd cognoscamus eorum accadentia & proprietates & passiones quæ sequuntur formas, ita quòd in quocunque metallo transmutato reperientur omnes proprietates & passiones auri mineralis absque superabundantia & defectu, iudicabimus necessario ipsum habere formam auri mineralis. Nunquam enim Aristoteles uel aliquis antiquorum fuit, qui posset habere co-

gnitionem rerum per formas suas, nec unquam erit aliquis, quia non subiacent sensibus nostris, & hanc sententiam ostẽdit philosophus quarto meteororum dicens. Quod enim facit operationes oculi est oculus, quòd uero non, non est oculus, ideo oculus lapideus uel cæreus, quia non facit operationes oculi non dicitur oculus sed imago oculi, & serra lignea non dicitur serra, sed imago serræ & similitudo &c. Dico tamen quòd inter cætera mixta, forma solius auri & lapidis philosophorum uidetur proprie nota propter perfectam notitiam, seu cognitionem materiæ propinquæ quæ subiacere potest accidentibus & oculis nostris, quæ si subiacere non posset ignota esset, & inoperabilis, sicut in alijs mixtis. Aliorum autem metallorum non est necesse, ut formas cognoscamus sed sufficit quòd ea cognoscamus esse in semita perfectionis ad aurum per proprietates & accidentia in materia propinqua prima & posse formari forma auri. Qui ignorat formam in sua materia, ignorat possibilitatem transmutationis eius, ergo & iudicium, quamuis iudicium sumatur, ab accidentibus & proprietatibus post ipsorum cognitionem. Cum ergo omnes proprietates & eædem sint penitus tam in auro minerali, quàm alchimico, quod cognoscitur per uisum ad omnem examinationem & probationem continuam tam in igne quàm extra ignem, ergo necessario iudicabimus utrunque aurum esse idem & eadem forma esse formatum.

AD quartam rationem philosophi responsum est similiter supra de proportione mixtionis & miscibilium in mixto in solutione primarum rationum.

Ad quintam rationem Aristotelis. Prætermittenda sunt aliqua & aliarum non solutarum, & ui debitur de actu & potentia, de perfecto & imperfecto.

RATIONI autem philosophi quintæ siue ultimæ nunc, nos respondere oportet. Compellit enim philosophus per eam necessario alchimistas confiteri metalla omnia adinuicem differre specie & non solum accidente sicut quidam longe à uero imaginantur, quia oportet in eis fieri per generationem formam substantialem nouam complentem esse ipsorum, quæ est forma auri cum sint propinqua potentia ordinaria ad hoc. Aduertendum est quòd potentia habet se ad actum sicut non esse adesse, & sicut imperfectum ad perfectum, & sicut materia ad formam. Quia ex ente in potentia fit ens in actu, & ex non ente fit ens & ex imperfecto fit perfectum, & ex materia fit forma tam in naturalibus quàm in artificialibus, non autem econuerso. Vnde non dicimus quòd sperma sit in potentia sanguis, nec sanguis in potentia cibus, nec cibus in potentia quatuor elementa. Similiter nec quòd domus sit in potentia ligna, lapides, & cementum, neque quòd uestis sit in potentia lana uel linum, sed potius econuerso. Quia loquimur in uia & semita generationis rerum & perfectione ipsarum, & fit per motum secundum ordines graduales ad esse & perfectionem et actum seu finem. Finis autem motus perficit & complet eas, propterea denominatur res à termino motus .s. ad quem & non à principio motus.s. quo, quamuis in artificialibus sit potius econuerso. Cum materia & forma naturalis seruetur

eadem,

eadem, & forma artificialis sola, siue figura uariatur. Ideo denominatur ab eo ex quo sunt, et ex eo proprie diffiniuntur. Quapropter non omne illud ex quo fit aliquid, dicetur materia illius, & hoc in naturalibus, ut ex uiuo mortuum, & ex uino acetum, ut dicitur octauo metaphysicæ. Eodem ergo modo dicimus in generatione metallorum, quòd omnia se habent ad aurum, sicut potentia ad actũ, & sicut imperfectum ad perfectum, & sicut materia ad formam, & sicut non eẽ ad esse, Et hoc patet ex operibus naturæ in suis mineris, quia omnia digerendo paulatim conuertit in aurum ut infra ostẽdemus, aurum autem non conuertit in aliquod illorum. Cũ ergo natura in fine denudat ea à forma illa transitoria sub qua erant, ergo reducit ea in materiam primam, & perficit in aurum, ergo & ars sic necessario coacta facere, faciet, si debet sequi naturam & sic facit.

AMPLIVS potentiam duplicem omne dicemus, quædam est quæ est sicut dispositio ad formam, quæ tenet se ex parte priuationis, ut ex ignorante fit sciens. Et quædam est ipsius formæ iam adeptæ, ut sciens cum iam considerat. Prima potentia est triplex, scilicet propinqua, remota & remotissima. Propinqua dicitur quæ approximata agenti una uel modica mutatione facta recipit actum siue formã, ut dicitur nono metaphysicæ & secundo cœli & mundi. ut nutrimentum cum fuerit iuxta ultimam dispositionem ad nutribile. Remota autem dicitur, quæ pluribus eget mutationibus. Remotissima uero, in qua ulla quasi conuenientia inuenitur, rei quæ transmutatur, ad rem ad quam transmutatur, ut elementa & germinatio granorum nutribilium, ad nutrimentum nostri corporis. Et de hac remota potentia & remotissima, dicit philosophus nono metaphysicæ quòd terra antequã

transmutetur in æs, non dicitur esse in potentia ad formam statuæ æreæ, nec arbores antequam sint incisæ & dolatæ ad formam domus. Potentia autē formæ adeptæ dicitur actus, ut patet ex secundo de anima, & est duplex, scilicet prius ut habere scientiam & secundus ut considerare, & impossibile est deuenire in actum secundum, nisi præexistente primo. Est ergo secundum seriem primo potentia remotissima. Secūdo remota. Tertio propinqua. Quarto actus primus qui est forma. Quinto actus secundus qui est habitus procedens à forma. De qua forma dicitur secundo de anima quòd actus sunt priores potentys. Et similiter nono metaphysicæ & etiā dixit Aristoteles secundo cœli & mundi. Bonum completum est unum, quod non indiget operatione sua qua fiat bonum, & perfectio omnis rerum ut suscipiat complementum & ultimum & melior res est, quæ est propinquo complemento bono, & quæ facilius illam recipit bonitate &c. Verba hæc possunt huic capitulo pulcherrime coaptari sic. Inter metalla enim omnia est solum unum quod est bonum & completum, scilicet aurum & ideo non indiget operatione aliqua ut fiat bonum & completum. Et quia perfectio omnis rei est ut suscipiat complementum & ultimum, ideo cum cætera metalla sint, imperfecta & incompleta & non ultima, sed ad aurū, sicut ad ultimū ordinata necessario egent operatione ut fiant bona perfecta completa & ultima, ergo fient aurum. Et quia res quæ est propinquior bono completo, & quæ facilius illam recipit bonitatem est melior, ideo argentū in primo gradu est melius alijs, æs secundo, & tertio stānum, quarto plumbum, ultimo ferrum: ut ex dictis in superioribus & inferioribus est, declaratum.

CVM ergo secundum hanc semitam considauerimus

arcana naturæ in generatione metallorum. Ponemus aurum solum habere actum primum & secundum, ergo formatum & ens & perfectum & completum & ultimum. Reliqua autē metalla ponemus esse in propinqua potentia, ad ipsum, ergo non formata nec entia actu, nec perfecta, nec completa, nec ultima, Potentiam tamen remotam & remotissimā iam transierunt. Si igitur sunt in propinqua potentia tali, non egent nisi modica mutatione & erunt in termino motus ad quem, siue in actu primo, & formata erunt forma auri siue hoc fiat operæ naturæ in suis mineris per tempus, siue opere artis in momento. Natura ergo denudando ea ab illa forma reducit ea in materiam primā & perficit in forma auri et sic forma facit ars quia denudando materiā datur forma.

RVRSVS dicimus perfectum & imperfectum, tripliciter in rebus dici uno modo in habentibus eādem formam. Alio modo in habentibus diuersas formas, tertio modo in ordinatis ad eandem formam. De primo modo dicimus, quòd cum perfectio rei sit per formam & nō per materiam, tunc quæcunque peruenerunt ad eandem formam, peruenerunt ad eandem perfectionem cū sint in eodem termino motus sed ratione earum quæ consequuntur ad formam et deseruiunt formæ possunt dici perfecta uel imperfecta, ut homo habens organa completa potest dici perfectus, habens autem ea imperfecta & male disposita dicetur imperfectus & de tali perfectione uel imperfectione non est sermo in metallis.

De Secūdo modo dicimus quòd in habentibus diuersas formas per se distinctas & non adinuicem ordinatas, res habentes nobiliores formas alijs habent eis perfectiores, ut homo dicitur perfectior equo & equus asino, & de hac perfectione & imperfectione similiter non loquimur in metallis,

quamuis hunc modum quodammodo metallis adaptare posse mus. De tertio modo dicimus quòd omne quod est in motu ad formam, ad quàm ultimo ordinatur, debet dici imperfectum, cum autem fuerit in fine motus debet dici per fectum, & de hac perfectione & imperfectione est loquen= dum in metallis. Cum igitur solum aurum iam peruene= rit ad finem motus & sit formatum secundum primam & ueram intentionem naturæ, ipsum solum dicetur perfectum, & cum reliqua metalla sint in motu ad formam auri, dicen= tur imperfecta, quamuis habeant formas adinuicem diuer= sas, per quas permanent & terminantur, & sint perfecta quodammodo in sua specie. Attamen nó sunt in ultimo ter mino motus in quo est ultima perfectio. per quod patet quo= modo sit dare gradus in formis secundum antiquos & quo= modo non, & patet quòd non est dare in metallis nisi unam formam proprie, scilicet auri, quia sub forma illa transito= ria non perficiuntur. Natura ergo in ultimo termino mo tus, denudat ea ab illa forma, & reducit in materiam pri= mam & perficit in aurum & ibi est status. Eodem modo ars informando ea liquefacta, cum lapide suo necessario reducit ea in materiam primam & in momento perficiuntur.
Generationem autem metallorum imperfectorum à natura, non dicimus esse à casu superueniente naturæ, & à proposito propter causas impedientes, sicut quibusdam antiquis & mo= dernis uisum est, et sicut nobis (propter iam dicta) uisum fuit. Sed generata sunt ex propria intentione naturæ, cum sint in uia & semita ad generationem auri. Ita quòd quidam iam extimauerunt, quòd natura non generat aurum nisi prout fit transitus per dispositiones & naturas & formas, metallorum imperfectorum. Et quia res casuales à propo=

ſito accidentes, non permanent, nec in ſpecie multiplicantur, neque ſpeciem cõſtituũt. Oportet ergo neceſſario dicere, quòd imperfecta metalla fiant ex intentione naturæ, & non à caſu, propter cauſas impedientes & corrumpentes. Propter complementum enim uniuerſi natura ſapiens præuidit, de generatione ipſorum arti, & conſtituit ea, ſicut medium ad tranſitum auri, quoniam diuerſa opera facit ars ex aliquo ex metallorum imperfectorum, uel ipſorum commixtione, quæ non poſſet facere ex auro, propter quod quædam eorum debili calore coagulauit, & fecit ea ſemidigeſta, ut Saturnum & Iouem, & quædam ſuperfluo calore adurente coagulauit, ut Martem & Venerem quædam calore ſatis temperato coagulauit, ut Lunam, quædam non coagulauit propter penuriam caloris & carentiam & ſeparationem agẽtis ſtudioſe, ut argentum uiuum ſiue mercurium, quædam coagulauit cum omni temperamento, ut ſolem: unde dicere quaſi poſſumus, ꝙ ſicut ſecundũ rõnem naturalem, tota terra deberet eſſe cooperta aquis ſed natura operans, reſpiciens ad complementum uniuerſi & commoditatem humanæ naturæ & cæterorum animantium & uegetabilium, coacta fuit dimittere quaſdam partes diſcoopertas. Sic cum omne metallũ ex parte naturæ intendentis, deberet eſſe aurum, natura operans, coacta propter humanã commoditatem alia generauit metalla, natura enim nil fecit fruſtra, nec ſuperfluum, ut dicitur ſecundo phyſicorum. Et ſimiliter dicimus quòd ſicut natura generat teſticulos in animalibus, non propter neceſſitatem, ſed propter melius, ut dicitur decimoquinto de animalibus: Sic dicere poſſumus quòd natura generat metalla, imperfecta non propter neceſſitatem ſed propter melius cum omne quod facit natura, facit propter alterum iſtorum, ut

ibidem dicitur.

AB experientia autem in mineris acquisita expresse patet transmutationem metallorum imperfectorum continuo à natura fieri uersus aurum, & propterea sæpe reperiuntur mineræ. mixtæ minerarum enim fossores in quibusdam mineris stagni & plumbi reperiunt substantiam argenti puram in examinatione & purificatione, & in quibusdam mineris æris et ferri substantiam auri puram quamuis forte in mineris ferri hoc raro reperiatur propter sui magnum inquinamentum & elongationem ab auro, & in quibusdam mineris argenti reperiunt substantiam auri purissimam, ut in regno Seruiæ, id est, Rassiæ, quod est in Sclauonia & sunt sic simul à natura unita ut aurum non appareat sensu, immo uidetur totum argentum, sed per examen quod cum sulphure fit in igne seperant hoc ab illo. Ex quibus patet omnia metalla in transitu & uia esse ad aurum, & ideo iam pluris repertum est in partibus Alemaniæ et etiã alibi in minera, argentum imperfectum copiose quod est passum scatesim, id est, indigestionem ex indigentia caloris, & dicunt tunc & consulunt, qui de mineris sciunt, quòd sic dimittatur usque ad trigesimum aut plus, sic cognoscunt experti ut fiat optesis, id est completa digestio à calore mineræ & erit argẽtum uerũ. Propter quod dixit Geber in capitulo de natura solis, quòd à mineris æris manãt squamæ æris per fluxũ aquarum cum arenis & cessante fluxu aquarum squamæ illæ in arena coquuntur, & digeruntur per trigesimum ex solis calore & siccitate arenæ inter quas inuentum est aurum purissimum. Patet igitur experientia ueridica naturam continuo mutare alia metalla ad aurum, quia quamuis sint in quodam termino motus, tamen non sunt in ultimo, unde

quasi sicut in generatione embrionis fit comparatio animæ uegetabilis ad sensibilem & sensibilis ad rationalem, quia illæ sunt sicut dispositiones ad rationalem & non sicut formæ, sic similiter imperfecta metalla ad aurum se habere uidentur, quamuis hic non sint permanentes gradus ut in metallis.
Generatio quippe metallorum in mineris diuersimode à fossoribus reperitur quamuis generatum semper sit unum, quandoque enim reperitur aurum generatum in lapide & cum lapide corporatum quasi sit marchasita aurea, quandoque autem non corporatum cum lapide, sed quasi esset uena transiens per lapidem & separata à substantia lapidis, quandoq; autem in arenis fluuiorum in similitudinem arenarum, non quòd ibi sit generatum ut quidam existimant cum ibi nõ reperiatur minera sulphuris & argenti uiui, sed aqua discurrẽs per mineras aureas occultas & profundas, inde dissoluit eas & secum adducit. Aut etiam forte per mineras æreas, quas in fluxu natura perficit in aurum lauando, depurando, & digerendo, propter quod reperimus in mineris aquas profundas discurrentes & alibi fontes & fluuios quorum aquæ habent sapores ferri, aut æris quod ostẽdit aquas habuisse discursum per illas mineras. Inuenitur etiam simile aurum in partibus Indiæ in arenis aridis absque aquarum fluxu sicut dicitur. Argentum autem neque aliud metallum unquam in fluuijs & arenis sic dicitur repertum esse, nisi forte æs. Inuenitur autem in mineris suis quandoque incorporatum cum lapide ut uideatur marchasita argentea & quandoque sicut uena in lapide, & quandoque sicut uena per terram transiens & est purius prædictis, & quandoque sicut pultes uiscosæ & illud est purissimum. Plumbum autem & stannum quandoq; cum lapidibus, quandoque cum terra incorporata inueniun

tur, & quandoque reperitur argẽtum uiuum currens cum eis, ut dicunt quidam. Inuenitur etiam æs sic cum lapidibus incorporatum, quasi sit marchasita ærea. Et similiter ferrum. quæ omnia conterũtur cum fortissimis molis & calcinantur post purgantur per ignem & purificantur, & inuenerunt fossores sæpius ex eadem minera argento prius extracto aurum in ultimo. Et ibi est principium originis mineræ & deficit ibi uena argenti sicut in suo principio. Est autem quãdoque hoc aurum in lapide & est lapis habẽs foramen apertum spirantem ad lapidem superiorem in quo consecutiue erat argentum. Et ergo quasi ex eodem loco euaporauit materia eadem, sed natura puriorem partem saluat in origine & per euaporationem & sublimationem pars impurior ascendit, et diuersitas digestionis & depurationis operata est diuersam metalli speciem. Ex quibus omnibus iam dictis patet quæ & qualis & quanta sit differentia metallorum adinuicem tã in forma quàm in materia & accidente, & tam actu quàm potentia. Cum enim in materia tam propinqua quàm remota & mixtione & modo mixtionis, non nisi modicum distent tunc ipsorum differentia quamuis sit in forma ipsa, non proprie erit differentia specie sicut differẽtia hominis & equi. Sed eorum differentiæ magis proprie sumentur penes materiam et partes eius, scilicet secundum digestiuum & indigestum completum & incompletum cum illa sint eiusdem propinquæ materiæ penitus, sed indigesta & incompleta ad aurum ordinata. Et sicut non est necesse, quòd indigestum existens in semita & uia digestionis, continuo reuertatur ad principium digestionis. Ita neq; in materiam suam primam, id est proximam. Cum igitur imperfecta metalla sint in semita & uia digestionis continua, & cum indigesta sint

non erit necesse quòd reducantur ad principium digestionis, nec in materiam suam primam sed solũ digestio continuetur, quousque fiant aurum. Sed in ijs quæ non habent hunc ordinem gradualem et potẽtiã naturalẽ, necessarium est ut in suam primam materiam reducantur. ut si ex boue uel tritico fieri debet homo necesse est ut corrumpantur, digerãtur, & fiant materia prima hominis quæ est sperma, ex quo fit homo, Ideo ars non inquisiuit conuertere animalia nec uegetabilia, nec eorum partes, nec mineralia extranea in aurum, sicut neque natura, cum sit impossibile tam apud naturam, quam apud artem nisi in primam materiam, id est in propinquam materiam siue proximam reducantur prius. Ars igitur sequitur naturam in eo quod uult facere ut natura, & extollit naturam mirifice, non uiolando naturam sed ipsam iuuando. Distinctionibus igitur, & generationibus metallorum iam dictis et consideratis patet solutio quintæ rationis philosophi, quia natura denudando materiam metallorum imperfectorũ à forma illa transitoria sub qua erat in mineris cum eodem instanti transformauit eam ad formã ad quam ordinata erat, scilicet auri & sic reducit metalla in materiam primam, id est nudam ab omni alia forma & sic transformat ea in aurum. Eodem modo ars facit, quãuis enim per liquefactionem non reducãtur in materiam primam, tamen per appositionem, & ingressum & mixtionẽ lapidis philosophorum, qui est forma auri, fit expoliatio et denudatio materiæ à forma illa sub qua erant et ab omni alia & transformatio ad formam ad quam ordinata erant in eodem momento, scilicet auri, quia sine liquefactione metallorum non potest esse ingressus nec mixtio, neque transmutatio medicinæ transmutantis, & hoc modo reducuntur in

materiam primam: & transmutantur de specie in speciem, secundum ordinem naturæ per generationem et corruptionē. quandocunque enim forma submergitur, & materiæ immiscetur necessario fit nuda materia, & generatio & transformatio ad formam ordinatam finalem, quia non potest generari forma noua in re disposita, nisi per corruptionem præexistentis, non ergo erunt simul duæ formæ substantiales in eadem materia sed solum introducta nunc, nec ipsa est accidentalis, sed substantialis. Similiter si uelimus de Ioue, uel de Saturno facere uitrū, oportet quod reducamus in materiā primam, non tamen ut perficiantur. Alia ergo reductio est in materiam primam perficiendo, quia retinent nomen generis primum et acceperunt nomen nouæ speciei ad quam ordinata erant. s. auri, & alia faciendo ex eis: scilicet uitrum etc. tunc perdunt nomen generis & nomen speciei similiter ad quam ordinata erant, & in qua prius erant reducuntur ergo in materiam primam per artem secundum ordinem naturalem successiuum sicut facit natura, & non sicut imaginantur.

ALIIS autem rationibus accipientibus materiam primam, id est propinquam in quatuor elementa sic respondemus & dicimus, ꝓ transmutatio unius rei in aliam potest summi dupliciter. Vnomodo prout res quæ trāsmutari debet, est in primo principio termini à quo incipit motus, & hoc est materia prima quæ est chaos & principium & elementum quatuor elementorum. Alio modo prout iam per alterationes multas, seu plurimas remota est à termino à quo & facta est in propinqua potentia ualde ad speciē ad quam transmutatur, ita ut modica mutatione facta generetur forma & illa magis dicitur materia propinqua, quæ secundum or

dinem sequitur materiam primam, sicut dicimus quòd elementa sunt materia prima hominis : Sed cibus ex elemẽtis est propinquior seu propinqua. Sanguis aũt ex cibis propinquior: sperma uerò ex sanguine propinquius, frustũ autẽ carnis ex spermate illo generatum est propinquissima materia . Si ergo ratio accipit pro materia prima quatuor elementa sic nil arguit contra nos , quia si ex elementis debet fieri homo, oportet necessario quòd per dispositiones transeat ordinatas quas diximus . Sed si ex spermate debet fieri homo nõ est necesse ut in primam materiam redigatur seu reducatur quæ est quatuor elementa nec in sanguinem, nec cibum , quia esset retrocedere à forma disposita . Sed oportet ut continuetur digestio quousque materia recipiat formam hominis . Sic si ex elementis debet fieri aurum , oportet necessario ut per dispositiones transeant medias ordinatas, scilicet ut ex eis fiat aqua uiscosa grauis cum terra tenuissima sulphurea, quæ sit argentum uiuum . post hoc autem mediante & actione sulphuris in eo fit aurum uel metallum aliud , quod post fiat aurum, Si igitur hæc metalla imperfecta uolumus perficere in aurũ, non est necesse ut in materiam primam reducantur . Similiter quia natura non operatur per illum modum in suis mineris, ergo & ars cum sit sequela naturæ tenebit modum naturæ . Si autem ratio accipit pro materia prima materiam propinquam, sic ratio magis oppositum arguit , quia qualis est ordo & proportio elementorum ad sanguinem & sperma ut fiat homo , talis etiam est ordo & proportio elementorum ad argentum uiuum & sulphur. Sicut ergo non est necesse ut illa conuertantur in materiam primam quæ est quatuor elementa naturæ nec in ipsorũ intermedia, ut fiat homo. Sic & in proposito , quia sicut natura in suis operibus non

intendit retrocedere, sed continuo appropinquare ad terminũ sic & ars et per sperma antedictum intelligo menstruum cum à spermate ad materiam spermatis conuertatur, ut sit materia embrionis. Considerando igitur materiam propinquam & remotam & remotissimam & potentias ad inuicem ordinatas, magis ista ratio arguit rem esse possibilem quam impossibilem. Metalla enim imperfecta, sunt sicut medium inter aurum & argentum ex parte una, & sulphur & argentum uiuum ex parte alia, cum aurum sit sicut finis & ista sint principia. Et quia medium est propinquius fini quã principium ideo imperfecta metalla sunt propinquiora auro, quam sua principia quæ sunt materia prima. Quocunque tamen modo materia prima accipiatur, oportet quòd in ipsam materiam primam, id est nudam metalla omnia si debeant transmutari in aurum, reducantur. Sola enim liquefactio metallorum, non reducit eam in materiam primam, id est nudum ut arguit ratio & bene. Sed ostendit aperte materiam ex qua sunt, quia omne metallum cum liquatum est ostendit naturam & accidentia argenti uiui. Vnde dicit philosophus quarto meteororum. Plumbum cum liquatur procul dubio est argentum uiuum. Dixit autem de plumbo potius, quàm de alijs, quia plumbum minus remotum est à materia argenti uiui quàm aliquod aliorum.

NOTANDVM quòd quamuis imperfecta metalla dicuntur sicut medium & transitus ad aurum, argentum uiuum autem sicut principium à quo incipit talis motus, hoc intelligendum est, quo ad naturam, quia quantum ad naturam alia dispositio & aliud tempus transitus est, scilicet ipsius argenti uiui ad aurum, & aliud tempus uniuscu-

iusque metallorum imperfectorum ut per finem digestio, & complementum fiant aurum. Sed quantum ad artem sunt eiusdem dispositionis & eiusdem temporis. Cum enim solum argentum uiuum imperfectorum perficiatur ab elixir in aurum per prius expoliationem à sulphure corrumpente, et argentum uiuum uulgi non indigeat expoliatione aliqua, ergo oportet quòd per talem expoliationem istud redeat ad naturam istius. Ipsius nempe coagulatio non impedit identitatem suæ naturæ cum natura istius, quare eadem dispositio, & idem tempus erit perfectionis ipsorum, quoniam potentia & uirtus elixir multiplicata exuberans se per utrunque extendit & perfundit seu diffundit in momento & perficit æqualiter communicando utrique digestionem per suam digestionem exuberantem & excedentem quam habet ita quòd in utrisque fiat digestio, et sic est finis huius quæstionis cum elucidatione debita. Deo gratias.

HANC quæstionem prolixam sic solemniter & exquisite inuestigatã, uentilatam, disputatã, determinatam, roboratã, cõposuit et ordinauit Magister Petrus Bonus Ferrariensis physicus egregius sub anno à natiuitate domini nostri Iesu Christi M. CCCXXXVIII. qui tunc erat in ciuitate Polæ stipendiatus in prouincia Histriæ. In qua inseruit, de cognitione speculatiua practica et operatione ipsius. Ita quòd quisque intelligat defendendo artem et antiquorũ auctoritatibus & rationibus inhærens et proprias sibi rationes adiungens. Rogo autem unumquemque intelligentem ad cuius manus peruenerit hæc præciosa margarita, ut communicet uiris intelligentibus ad hanc quæstionem uel artem esurientibus & naturalibus principijs eruditis: ab insipientibus autem pueris ipsam occultent, cum sint indigni.

Visa autem ueritate istius artis, Nunc uidendum est sub qua parte philosophiæ contineatur, & in quo differant, quoue conueniant, ars & natura.

g GENERALITER quidem aliqua nunc prælibáda sunt. Sciendũ primo, q̃ Exercitia realia sunt in triplici gradu secundum philosophum 6. metaphysicæ, iquia aut sunt coniuncta motui & materiæ, & de istis est scientia naturalis, aut coniuncta materiæ & separata à motu & de istis est mathematica, aut separata à motu & materia, & de istis est metaphysica, id est diuina. Sed de separatis à materia & coniunctis motui, non est scientia, cum tale ens reale sit omnino impossibile esse. Cum igitur scientia alchimiæ sit de ente reali, necessario erit sub aliqua illarum partium philosophiæ, sed non sub mathematica, quia scientia alchimiæ est de ente reali coniuncto motui & materiæ, neque sub metaphysica, id est diuina, quia non est de ente reali separato. A motu & materia, sicut sunt intelligentiæ etc. Oportet ergo necessario, q̃ sub naturali philosophia ponatur, cum ipsa sit de ente reali coniuncto motui & materiæ. Similiter entia naturalia concernunt sibi materiã determinatam, ut similitas nasum, uisus oculum. & ideo sine sua materia siue subiecto non possunt intelligi. Entia autem mathematica non cernũt sibi materiam determinatã, ut linea, triangulus, & numerus, quia talia entia possunt esse in qualibet materia, propter quod possunt intelligi circunscripta qualibet materia. Entia autem metaphysica, id est

diuina cum careant materia nullam cernunt sibi materiam, quare sic spiritualiter intelliguntur.

AMPLIVS quòd omnes artes exordium, & originem contrahunt à scientijs & manant ab eis siue immediate, siue mediate. Scientiarum enim principium est intellectus, scilicet aut speculatiuus aut practicus. Artium quæ sunt de ente rationis principium est intellectus speculatiuus. Et sicut principium naturæ est intelligentia. propter quod natura semper est uerax & principia eius, & opera eius, cum ipsa oriantur ab intelligentia, & intelligentia ab esse diuino. In quo ueritas omnis relucet, & à quo ueritas omnis manat cum ipsum sit ipsa ueritas. Cum ergo naturam non possimus dicere falsam, nec sophisticam, ergo nec artem quæ est eius sequela, ergo alchimiam dicemus omnino ueram. Et sicut principium naturæ est intelligentia. Ita principium rationis est intellectus, quia omnis ars & scientia est cum ratione. igitur principium artis & scientiæ est intellectus. Et quia intellectus semper est uerorum. igitur omnis ars et scientia est uerorum. Si ergo ponimus alchimiam de genere artium uel scientiarum, necessario ponemus ipsam esse uerorũ

ITEM. ipsa enim subalternatur li. meteo. aut li. de mine. proprie et per se, et liber de mine. lib. meteo. et proprie 4. Si igitur scientia mineraliũ est uera, ergo & scientia alchimiæ est uera omnino & eius partes sequentes eam, et sic de omnibus artibus et scientijs. Omnes enim artes & scientiæ subalternatæ quãtuncũq; descendẽtes et infimæ sunt ueræ quia oriuntur ex principijs ueris, ergo & ars alchimiæ ob hoc est necessario uera. Et si scientia subalternans est uera necessario et subalternatã dicemus ueram, principia enim et priora semper sunt causæ ueritatis, aut falsitatis posteriorũ et ortorũ à prin

cipijs & non econuerso, nam principia attestantur ortis, & econuerso. Item quorum principia et præmisse et priora uera sunt, necessario & quæ secundum ordinē consequūtur, & quorum falsa, falsa etc. Principium autem huius artis, scilicet alchimiæ, uidetur esse intellectus uterque, scilicet speculatiuus primo, & practicus secundo. Pars enim quæ docet modum inuestigandi est speculatiua, sed pars quæ docet quod sit ministrandum naturæ, dicetur practica, seu operatiua, sicut patet ueraciter in scientia medicinæ. ratione autem formæ dicitur naturalis, quia sequitur naturam omnino, tam in forma substantiali quàm accidentali, uel in accidentalibus & secundū hoc dicetur ars ministrans naturæ, ergo naturalis & non mechanica, quia non est factiua. nec est de ente rationis, quia non est de ente intellectuali, sed reali sicut ars medicinæ, et uerius scientia secnndum Auicen.

CVM igitur ars alchimiæ, sit sub parte naturalis philosophiæ, cum libro de mineralibus subalternetur, oportet necessario, quòd cernat sibi materiam determinatam. Et quia intentio artis alchimiæ, est sequi naturam omnino, et per omnia, ut faciat idem aurum quòd ipsa, quæ & qualis erit materia apud naturam, erit & necessario apud artem, cum de potentia materiæ determinate extrahatur forma sua, & non de materia aliena, si autem fuerit materia non eadem, sed quodammodo similis secundum genus, ergo & generata non eadem sed similia secundum genus, & non secundum speciem & formam omnino. Cum ergo materia sit una & determinata omnino apud naturam, & non multiplex, ergo necessario illa una determinata materia & eadem erit similiter apud artem alchimiæ & non multiplex. Hæc autem materia est argentum uiuum, seccundum

omnes

omnes philosophos tam naturales, quàm alchimistas, ergo & apud artem alchimiæ materia erit similiter argentum uiuum. Et quia materia non producit se ipsam in esse ad generationem, & formam, sed ab agente proprio dirigitur, & informatur tunc necessario oportet, quòd illud argen. ui. quòd est materia dirigatur, digeratur & informetur à suo agente proprio ad terminũ intentum naturæ, quæ est generatio metallorum & auri, & aliorum quorundam quæ nunc relinquimus. Hoc autem agens est sulphur sibi in proprijs mineris coniunctũ, habens illud argentum uiuum à propria uirtute coagulare & digerere per calorem naturalẽ mineralem secundum philosophos naturales. Ita ut in fine digestionis necessario aliquod metallorum ex eo generetur, & ultimo aurum. Videtur ergo necessario, quòd illud idẽ agens esse debeat apud artem coniunctum arg. ui. ut dirigat, digerat & informet illud argentum uiuum, ita ut in fine digestionis & complemento generet idem aurum omnino, sicut facit natura ex eo, necessario ergo oportet, ꝙ idem ar. ui. et idem sulphur, quod subijcitur operationi naturæ, subijciatur ẽt omnino operationi artis et non aliud, quantũcunq; simile uideatur secundum genus & apparentiam, nisi. n. essent subiecta actibus nostris, impossibilis esset hæc ars omnino. Veruntamen modus agendi & digerendi & informandi artis est diuersus à naturali, & similiter organum siue locus & tempus, sed æquipollent ad eundem ultimum finẽ. Propterea quòd sicut natura generat aurum ex illa materia, sic ars formam auri eliciendo ex illa materia generat, cum qua forma oẽ metallum, cum sit sibi materia per conflationem conuertitur in purissimum compositum, scilicet aurum, omnis enim forma adueniens materiæ suæ dispositæ, informat

eam necessario, cum actus actiuorum sint in patiente dispo-
sito. Qui ergo laborant in mineralibus extraneis, absque intentione naturæ, & in uegetabilibus & partibus suis, & animalibus & partibus suis, & superfluitatibus, in uanum laborant: quia alterant alterationibus uanis & extraneis non disponentibus ad formã, quare non transformant, cũ in tali bus materiebus & agentibus nulla sit habitudo, nec proportio, nec dispositio per esse informans metalla imperfecta forma auri, nisi forte in primam materiam, id est, proximam redigantur. Dicere ergo plures materias posse subyci naturæ, & arti huic, esset quasi entia naturalia dicere, mathematica esse uel econuerso. quod est omnino inconueniens.

Sic ergo patet quòd ars ista est naturalis, & quare & quomodo & in principijs naturalibus et efficacibus est imitatrix naturæ, & eius sequela, & ex parte eiusdem materiæ, & eiusdem formæ omnino tam substantialis, quàm accidentalis cuiuscunque modi: propter quòd in examinationibus nullum iudicium ignis pertimescit, qualecunque sit illud, sed quiescit in eo & gaudet in ipso sine sui diminutione & mutatione aliqua sicut minerale purissimũ & purificatum, quod in experientia uere patet, si enim deficeret in examine aliquo non esset idem cum minerali, propter quòd sicut in forma quæ est res diuina non est inuenta Hypocrisis, neque falsitas, neque malitia, sed pura ueritas in iudicio ignis, absque ulla iniquitate, sic in suo composito, cum compositum contrahat suum esse tale à forma sua tali. quare patet, quòd sit uera & naturalis & cui subalternetur.

Restat nunc determinare de principijs metallorum. Tam in generali quàm in particulari & de eorum generatione & transmutatione ad metalla omnia secundum naturam & de

monstrare quomodo & in quibus ars possit sequi naturam. Nam si quis in legendis libris deses extiterit in præparandis rebus, promptus esse non poterit: liber nanque librum aperit, & sermo sermonem explicat, quia quod in uno est diminutum in alio est completum, non enim poterit in practicam leuiter assuescere, cuius mens in theorica renuit insudare, ignoratis enim principijs contingit & sinē necessario ignorare.

DE PRINCIPIIS METALLORVM IN generali & de eorum generatione & transmutatione adinuicem secundum naturam, & ostendetur quomodo & quibus modis ars potest sequi naturam.

c VM omnis generatio sit ex conuenienti uniuoco, sicut dicit uenerabilis Aristoteles septimo metaphysicæ, & uideamus omnia metalla deducta ad speciem per coagulationem & per unum modum mixtionis & esse liquabilia & coagulabilia & simul miscibilia, & retinentia similiter nomen & speciem siue coagulata siue liquata: ideo eorum materiam oportet nos ponere unam solam, scilicet humidum aqueum, quia non potest unum ex eisdem, & eodem modo commixtum pluribus secundum speciem differentibus esse conueniens. Tale autem humidum semper quærit terminū alienum non quiescens in termino proprio, quia terminari termino alieno essentialiter & primo inest humido aqueo, id est, elemento aquæ, taliter autem terminari omnibus inest metallis dum liquata sunt ergo &c. Similiter quæcunque à frigido congelantur abundant in sua materia prima

humido aqueo, ut dicitur quarto meteororum, talia autem sunt metalla, & eis similia. Et quia humidum aqueum facile euaporat ab igne, metalla autem suas conseruant humiditates etiam in magnis ignibus, ideo humiditates metallorum non simpliciter aqua, sed ut est passa cum alijs elementis. Vt autem natura aquæ in metallis permaneat cum durabilitate, ideo oportet ut sit uiscosa & unctuosa ut possit permanere, ut patet in humido nutritiuo animali. Et quia humidum uiscosum uidemus in pluribus inflammabile facile & ab igne non separari donec finiatur, tale autem humidũ non reperitur in metallis, ergo non uidetur solum humidũ uiscosum & unctuosum metallorum esse materiam. Sed ut est passum à terreis partibus.

VNDE notandum quòd in generatione metallorũ est duplex humiditas, una uiscosa extrinseca, quæ non uenit ad unionem totalem cum terrestribus partibus rei, & hæc inflammabilis & sulphurea, & alia est humiditas uiscosa intrinseca, & hæc una & similis est per totum cum partibus terreis & hæc non est inflammabilis sed incombustibilis, quia in suis partibus terreis tenuissimis adæquata & commixta est mixtione forti taliter, ut minimum unius sit idem factum cum minimo alterius, & unius plurimum cum plurimo alterius, & facta sunt à propria digestione argentum uiuum. Ideo pars humida non derelinquit partem siccam in igne nec econuerso. Sed aut cum tota sui substantia recedit ab igne, aut cum tota permanet, & hoc facit quòd pars humida nõ adhæret tangenti, quia partes terreæ ipsam ligant & temperant æqualiter, pars etiam sicca non terminatur termino proprio, quia partes aqueæ ipsam soluunt & æqualiter contemperant, ideo humidum & siccum æquantur in ipso.

EST ergo materia metallorum omnium prima, humidum uiscosum, incombustibile, subtile, incorporatum terrestri subtili, æqualiter & fortiter commixto per minima, in cauernis terræ mineralibus. Materia autem proxima eorum est argentum uiuum generatum ex illorum forti commixtione.

Sed cum materia non producit se ipsam in esse. Ideo sagax & sapientissima natura adiunxit sibi agens proprium, scilicet sulphur, ut ipsam digerendo & coquendo in metalli formam conuertat. Est enim sulphur quædam pinguedo terræ in mineris proprijs generata per temperatam decoctionem & inspissata & indurata, & habet sulphur se ad argẽtum uiuum sicut masculus ad fœminam & sicut proprium agens ad propriam materiam. Et quoddam sulphur est liquabile de sui natura, & quoddam non ideo quæcunque natura facere uoluit liquabilia, adiunxit eis sulphur liquabile, ut de potentia materiæ extrahat similem liquefactionem. Et hoc fuit causa liquefactionis metallorum in igne & coagulationis extra ignem quamuis argentum uiuum de sui natura semper sit liquidum. Quæcunque autem uoluit natura, non liquabilia fieri, adiunxit sulphur non liquabile, tamen coagulatum, ut in marchasita, magnesia, & antimonio, & sulphur in marchasita est non fixum & combustibile, in antimonio autem fixum, & incombustibile. Est ergo materia prima propinqua & proxima & uniuoca metallorum omnium argentum uiuum non in natura sua, sed ut est ab agente proprio, scilicet sulphure liquabili in cauernis terræ mineralibus coagulatum, & cum ipso sulphure commixtum. Ergo materia hæc, aut omnino sibi consimilis, erit materia argenti, si generatio debeat fieri ex conuenienti & proximo. Oportet ergo necessario dicere illa duo simul cõmi-

xta esse principia tam artis quàm naturæ. Quia igitur sic conueniunt in materia proxima & agente & modo mixtionis, ideo habent inter cætera mixta circularem generationem adinuicem, ut dixit Hermes, Rasis & alij philosophi. Sicut enim elementa parum distant à materia sua prima ex qua sunt, & ideo adinuicem circulariter generantur, sic & metalla, sed aliter. Quia generatio metallorum est omnino reciproca & conuersiua propter æqualem quasi suam perfectionem & paruam distantiam à materia sua prima, nec hoc magis ordinatur ad istud quàm econuerso. In metallis autem secus est, quia omnia de se sunt imperfecta præter solum aurum, scilicet in aliquo gradu imperfectionis: & ordinantur omnia ad aurum solum, sicut ad finem ultimum, ideo non reuertuntur postquam facta sunt aurum. Signum autem transmutationis eorum à natura in aurum est mixtio eorum in una minera & successiua mutatio. Si enim essent perfecta & completa ad naturam unam & completionem unam determinatam, scilicet ad illam in qua sunt, tunc proculdubio non essent conuertibilia ad aliam, nisi prius reducerentur in non metallum. Cum igitur primo & ultimo retineant nomen metalli, non egent nisi forma, qua nominentur nomine alterius metalli, scilicet auri, & hanc formam nouam & ultimam dat natura in mineris absque liquefactione, & ars extra mineras cum liquefactione.

Ex dictis nunc, & prius patet, quòd natura duplicem modum assumit in generatione auri, unum per se & primo, scilicet quia generat aurum in mineris proprijs & ex suis principijs. Alium per se, sed non primo, scilicet quia primo generat aliquod metallorum imperfectorum ex eisdem principijs in sua minera, & conuertit ultimo ipsum in aurum.

Sequitur ergo ars naturam in generatione auri secundo modo, scilicet quia generat ex imperfectis metallis aurum sicut facit natura. Primo autem modo impossibile est artem sequi naturam &c.

NOTANDVM circa illam literam, ex dictis ergo nunc &c. Quòd secundum philosophum nono metaphysicæ, quòd plures possunt esse materiæ eiusdem, scilicet mediata & immediata. Et sic duobus modis fit aliquid ex aliquo, scilicet mediate & immediate, ueruntamen oportet quòd materia mediata ueniat ultimo ad immediatam. Vnde dicit ibi quòd ad identitatem rerum producendarum requiritur identitas agentis & materiæ, quia si materiæ sint diuersæ inter se necessario res quæ producuntur erunt diuersæ. Ideo ad habendum perfectam notitiam cuiuscunque rei, oportet assignare causas eius omnes proximas, & cognoscere. Cum igitur in arte alchimiæ sit eadem materia tã mediata quàm immediata, sicut apud naturam & reducat mediatam, ad immediatam, sicut facit natura, & sit idem, scilicet secundum eandem intentionem agens, quæ est expoliatio argenti uiui totalis, post decoctionem completam, à sulphure corrũpente, quod ipsum decoxit sicut facit natura, & sit eadem forma, scilicet sulphur intrinsecum argenti uiui, introductũ de potentia materiæ, sicut facit natura, quòd sit idem finis, scilicet unio istius formæ cum materia ut fiat aurum, sicut facit natura, cum forma & finis sint idem, tunc necessario idem aurum, erit hoc & istud, quia quorum causæ sunt omnino eædem omnes, oportet necessario ipsa esse eadem.
Si quis callidus artifex sciret transmutare materias qualescunque extraneas & mediatas, siue sint de numero mineralium aliorum, aut uegetabilium, & plantarum, aut animaliũ,

partium, aut superfluitatum, reducere ad materias proximas & immediatas auri, proculdubio posset facere uerum aurũ. Sed quia hoc est impossibile, ideo talium operatio est inanis, quia non potest fieri generatio nisi ex conuenientibus & proximis & immediatis, ut dictum est. Hoc autem nullo modo potest ars efficere ex illis, etiam si uita eorum perpetuaretur. Et hoc insinuat Geber in fine capituli de medicinis primi ordinis, scilicet ꝙ omnis medicina alterans, aut est ex argento uiuo, aut sulphure, aut amborum commixtione, aut ex aliquibus habentibus naturam eorum. Quidam uero plures adinuenerunt medicinas. Sed unam ex duobus necessario euenire contingit, quia aut ex eisdem, aut eandem naturam habentibus, illos medicinam creare necesse est: aut medicinam componunt, quæ ei quod non est æquipollet cum alteratione sua, & quæ nec mundo prodest, nec mundi partibus, donec motor in sublimi naturæ mobili quieuerit incorruptus. Et capitulo de procreatione magnesiæ, tutiæ, & marchasitæ, ostendens, quòd sint composita ex sulphure & argento uiuo, propter alterationem in colore auri uel argenti quam faciunt in corporibus dicit. Quæcunque enim alterantur, uel per argenti uiui uirtutem uel sulphuris, aut horũ similium necesse est alterari, quoniam hæc sola communicãt ad ipsa corpora in natura &c. Et quanta differentia est ultimæ dispositionis metallorum imperfectorum quando fiunt à natura in mineris aurum per se, sed non primo modo, ad dispositionem ultimam auri, quando fit à natura primo, tanta similiter est differẽtia ultimæ dispositionis naturæ utriusque modi auri secundum artem. Sed est eadem penitus cũ naturali quæ est per se non primo. Vltima enim dispositio secundum naturam utriusque modi nihil aliud est, quam ex-

poliatio argenti uiui per digestionem completam omnino à sulphure corrumpente, quod ipsum decoxit & in eodem instãti informat illud argentum uiuum forma auri. Et quia ars eodem modo operatur in expoliatione ista, tam in generando lapidem philosophicum, quàm in perficiendo metallo & complendo cum ipso. Ideo ultima dispositio cum informatione secundum naturam utriusque modi, quàm secundum artem, est penitus eadem. Modus autem expoliandi quamuis diuersus sit, tamen non diuersificat rem in forma, quia modus rei non est idem quòd ipsa res. Quia si natura non transmutaret ipsa metalla imperfecta in aurum, forte quòd ars non posset peruenire ad illud & sic ars uana esset uel noua. Talis est generatio sanguinis in corpore humano quia generatur per se & primo, & generatur etiã ex phlegmate per se sed non primo, cũ phlegma sit sanguis indigestus & uia media ad sanguinem.

Hic ponitur solutio rationis 18 & 19.

A MPLIVS dicimus quòd sicut impossibile est ꝙ natura sequatur artem in generatione lapidis alchimici quia cum ipsum in argenti uiui similitudinem generasset perficere non potuisset cum elementa coniungere nesciuisset. Ita econuerso est, impossibile enim est ut ars sequatur naturam in generatione auri, aliquo illorum modorum penitus. Et hoc dico quantum ad dispositiones præcedentes & habilitantes ad ultimam dispositionem, quamuis ultima sit eadem penitus. Et sic eandem ultimam dispositionem uel consimilem dat ars & natura, sed aliter dispositiones præcedentes hãc ultimam, sunt enim diuersæ in arte & in na

tura. Et sic patet solutio 18. rationis, & nisi natura haberet hunc modum generãdi aurum ut dictum est, ratio hæc quasi esset insolubilis propter generationem formarum. Et quia ars faceret, quòd natura non posset, nec uere posset solui nisi cum exemplis atramentorum. Similiter patet solutio rationis 19. quia generatio cuiuslibet auri secundum naturam, & huius auri secundum artem est eadem omnino, quæ generatio est in expoliatione sulphuris agentis & dirigentis & inquinantis omne metallum, generatio enim fit in fine actionis nouæ formæ, scilicet auri, secũdum dispositionem & legem datam à natura. Dispositiones autem præcedentes hanc ultimam quamuis sint diuersæ in arte & in natura, nõ impediunt generationem eandem & formam, ita quòd quãuis sit generatio quodammodo æquiuoca quantum ad dispositiones præcedentes & habilitantes, tamen uniuoca est in fine. Et per hunc modum omnis generatio æquiuoca reducitur ad uniuocam si generet eandem formam, ut patet in nono metaphysicæ. Similiter & de corruptione dicendum est.
Et ideo si aliquis per aliam medicinam, siue per aliud elixir sciret sic metalla expoliare, generaret uerum aurum.

SED impossibile est quòd hoc fieri possit, nisi per hunc lapidem ut tota alchimia clamat, unde philosophus secundo physicorum dicit, non fiunt autem omnia ex unoquoque semine sed ex tali, & undecimo de animalibus dicit, Non erit autem ex quolibet semine quodlibet, sed istud erit ex semine isto & hoc ex hoc. In uanum ergo laborant in alio quam in argento uiuo cum sulphure, sicut natura docuit.

VBI notandum quòd sulphur occultum in argento uiuo est dans formam auri, sed per uirtutem caloris auri minera lis & sulphuris extrinseci, ergo quodcunque aliud metallorũ

colore aureo, cum tutia, aut sulphure extrinseco, aut croco ferri, aut chalcãtho, aut quibuscunque alijs, siue simpliciter, siue commixte, sophistice colorant, & non dant formam auri.

ET nota ibi. Sed impossibile est &c. Alia enim nõ sunt de intẽtione naturæ in generatione auri. propterea in mineris auri & metallorum nil eorum reperitur, & ideo quia tale aurum est sophysticum semper inficitur ab aere & igne ignitionis & pulueribus corrosiuis quibus fit cementum, aut si sustineat omnia hæc & cementum sicut istud quõ fecit iam quidam ut audiuimus, de argento reducto ad pondus auri, dicimus quòd non habet molliciem ad malleum & flexionem, nec ignitionem auri, nec fusionem, nec sonum mutum auri, sed erit ut argenti. Nec bibit argentum uiuum facile ut aurum. Nec possunt cum eo deaurari metalla ut audiuimus ab illis. Ex quibus patet quòd cementum non est ultimum examen auri, sicut cõmuniter aliqui existimant. Nõ omne ergo istud quod alterat metalla imperfecta in simili colore, simili colori auri est potens facere aurum. Sed quod post ultimas operationes transmutat, unde Geber in capitulo de ponẽtibus artem in aluminibus & salibus & corporibus & gemmis, dicit. Possibile tamen est in ijs omnibus alterationem aliquam inueniri. Sed remota est ualde & maxime laboriosa. Et in eodem capitulo de ijs qui ponunt artem in uegetabilibus, dicit. Qui autem in uegetabilibus eam ponunt, sed nõ in eis, quoniã potius deficient à labore quàm laboratum perfici sit possibile. Cum igitur lapis philosophorum post habitas alterationes transmutet, ipse solus faciet aurum, & hoc est rationabile, unde philosophus decimoquarto dicit. Omnia irrationabilia repugnant sibi ipsis & rationabilibus. Et 10.

ethicorum dicit, omnia uera uero consonant, falsum autem uero dissonat, uerum autem & ens, & unum, & bonum & pulchrum cõuertuntur. Vnde quarto metaphysicæ per locũ à contrarijs, falsum, & multiplex, & non ens, & malum, & turpe, adinuicem conuertuntur.

De principijs metallorum inspeciali, & de eorum generatione secundum intentionem naturæ. Et de signis generationis, ostendens quomodo ars debet eodem modo sequi naturam in similibus signis, & similibus principijs in generatione lapidis philosophorum.

IN quo toto naturæ secretum inseritur.

DICEMVS denuo, quòd quandocunque in aliquo uno inueniuntur duo composita ad constitutionem illius, & unum illorum componentium inuenitur sine alio, necesse est et reliquum componens sine reliquo inueniri. Sicut probat philosophus octauo physicorum, quæ mouentur & mouent, in quibus quia motum inuenitur sine mouente, oportuit etiam quòd mouens absque moto reperiretur. Ex quo patet quòd si à tali composito, unum componentium separaretur, necessarium est, quòd reliquum de reliquo si separetur, separetur seorsum. Quia igitur, natura ad generationem metallorum omnium, pro principijs recipit argentum uiuum cum sulphure mixtum, & generata simul in mineris eorum, cum bona digestione & liquefactione metallica, suaui, absque strepitu & stridore sint collecta, fide credimus & experti fuimus. Et non recipit argentum ui

uum uulgi nec sulphur eius sicut ostendit Geber capitulo de principijs naturalibus huius magisterij. Et ipsa simul suauissime sublimando & conuoluendo & lauando decoquit & digerit, & in fine actionis elicit & seperat per se argentum uiuum. ergo & sulphur remanebit separatum per se, & sicut tunc natura in instanti perficit & informat istud argentum uiuum forma auri in quo argento uiuo tota naturæ intentio per se fuit. Sic & sulphur seorsum sine aliquo regimine derelinquit. Et ideo natura post cõpletam actionem absq; sulphure ipsum fixerat & perficit, ex cuius remanentia ante completam decoctionem ab auri substantia & forma degenerat, & fit aliud metallum, aut istud ex eis commixtum ut supra diximus. Patet ergo quæ sit materia metallorũ apud naturam, & quid agens & quis finis in agendo. Quia igitur ars hæc in mineris metallorum non reperit aliquid, quod sit in natura argenti uiui, nec aliquid quod sit in natura sulphuris. Sed aliquid ex ijs generatum aut commixtum & in naturam terræ redactum. Et inuenit illorum mineras simplices separatas abinuicem & à metallis. Ideo ars sequens naturam recipit eandem materiam, ut natura commixtam de minera propria siue omnino similem in mineris proprijs existentem, & est ex eisdem principijs composita penitus sicut materia mineræ metallicæ cũ liquefactione suaui, absque strepitu & stridore, quam natura de se ulterius non transmutat, nec ad generationem metalli nec alterius rei, unde dixit Auicenna. inueni tantæ adhærentiæ liquefactionem & deinde similitudinẽ mineritatis, et in hac materia nullã natura reliquit artem sibi hæredem. Sicut ergo natura in fine suæ actionis separat argentum uiuum per se, & ipsum informat in instanti forma auri & operi suo finem imponit, sicut

cætera agentia naturalia & sulphur remanet relictum seor=
sum postquam peregit totum opus naturæ. Sic & ars in
sua operatione omnino habere debebit. Cum igitur artifex
in magisterio decoctionis uiderit argentum uiuum de cõmix
to separatum, ergo sulphur, quod decoxit est etiam sulphur
separatum. Hoc enim est completæ & finalis decoctionis sicut
natura nos docuit. ergo necessario cogitur artifex, ut infor
met illud argentum uiuum forma lapidis philosophorum &
operi finem imponat sicut facit natura, omnis enim materia
recipit formam suo tempore prout est capax formæ & non
prius, nec posterius.

Nota quia hic totum naturæ & artis secretum inseritur.

NOTA circa illam literã præcedentem. Sicut ergo
natura in fine etc. Notandum q̃ oẽ, quod termi
natur, aut terminatur termino proprio, ut est cor
pus terrestre siccum, lapis, lignum &c. Quia seruant figuras
suas stando in terminis proprijs, aut terminantur termino
alieno, ut corpora aquea humida sicut aqua & oleum, quia
non seruant figuras suas sed recipiunt alienas ratione diuersi
corporis continentis, ut probatur 4. meteororum. Propterea
omne liquabile, cũ liquatur terminatur termino alieno, quia
partes aquosæ tunc uincunt, cum autem coagulantur, termi
nantur termino proprio, propter partes terrestres uincentes
tunc, quia fit conuersio elementorum de contrario ad con=
trarium.

Nota de argento uiuo &c.

CVM ergo argentum uiuum oritur in magisterio, tunc
terminatur termino alieno propter partes aquosas tunc uin=

centes. & si uelimus ipsum retinere, oportet necessario ut faciamus ipsum terminari termino proprio, ergo oportet nos coagulare ipsum cum suis partibus terrestribus nõ cum alienis, ut sint uincentes aquosas.

Nota de conuersione elementorum.

ET tunc fit conuersio elementorum de contrario ad contrariũ, ex aqua enim tunc fit terra ex aere ignis, suæ enim partes terrestres nihil aliud sunt, quam aurum occultum philosophorum, siue corpus, siue fermentum, aut uenenum. Similiter cum digestio fuerit completa, patet illud per digestum completum. quia omne sulphur superfluum & corrũpens est separatũ, tũc debet imponi finis operi necessario.

Nota de sulphure superfluo etc.

SVLPHVR enim superfluum erat duplex in principio digestionis scilicet subtilissimũ, igneum & comburens & per euaporationem in sublimatione est diuisum & separatũ. Aliud uero grossum terreum & feculentum, separatum in fundo uasis, super quam fecem stat substantia munda, æqualis & temperata uolare uolens. Nam sicut in digestione musti & sanguinis separatur superfluitas una subtilis et ignea, & alia terrestris, & quod remanet in medio est mundum æquale & temperatum: sic in hoc opere, & omnis superfluitas est contraria ei cuius est superfluitas, quare eget diuisione & separatione. hoc autem facit digestio siue decoctio, mensurata per artem, tunc enim debet retineri uolans, & termino proprio terminari, quòd tunc terminabatur termino alieno. Quod si hoc signum artifex non perpendat, uacuus à proposito & in desperatione sicut si non decoquatur complete, quousque fiat separatio argenti uiui à sulphure, opus remanet imperfectum & diminutum. Sicut rema-

nent imperfecta metalla in comparatione ad aurum. Et hoc est argentum uiuum philosophorum, quod habetur solum de corporibus liquefactis & de sulphure & arsenico &c. Hoc est quod recipit coniunctionem cum uitro, id est, corpore suo, siue fermento, siue ueneno uel sale. hoc est, quod bibit uitrum sicut sitiens aquam frigidam ualde, hoc est, quod coniungitur Soli & Lunæ, hoc est, electrum naturæ. Et hoc est spirieus qui dicitur seruus fugitiuus, de quo dicit in lumine luminum expositor, beatus qui hunc seruum humilem coaptat, quia eius natura ad omnia se inclinat, cum totius naturæ sit ultimum, hoc est, lac uirginis. Non illud quod dicunt, de litargirio & alumine nisi analogice. hoc est, illud separatum à suo corpore, & coniunctum est suo corpori, de quo omnia mirabilia philosophis & poetæ & reliqui concinerunt. Et hoc credimus esse absconditum & miraculũ totius artis. Ex quibus liquide innotescit, quòd sit expoliatio argenti uiui à sulphure, de qua dicit Geber, capitulo de coagulatione argenti uiui, seu Mercurij. Cum igitur sulphuris proprietas sit cum argento uiuo, rubeum uel citrinum secundum mensuram suæ quantitatis creare colorem, eius ablationis proprietas erit argẽto uiuo albedinem dare per ignem. Ex quo patet quòd color qui apparet in fine completæ decoctionis est albedo, quia cum tunc oriatur, argentum uiuum purissimum cum suo sulphure decoctum & ab ipso omnino expoliatum, ergo oportet quòd color sit candidus, unde dixit Rasis in lumine luminum huius nouissima signa candor & christallina serenitas monstrat. Et Milnescindus. Nota quòd omnibus attente peractis & perceptis si albationem tamen ignoras, speratam amittis lætitiam, & Lilium. spiritus & anima, non uniuntur uero modo nisi in albo colore

lore. Idem.totius operis initium & fundamentum est albedo. Item in turba philosophorum. Sciatis firmissime, quòd si parum auri in confectione ponatur, exiet tinctura patens candida. Et Rasis in lumine luminum. Rubescere nanque candorem signat. Rosinus.recta huius operis emendatio est albedo.

CIRCA istam literam. Ex quibus liquide &c. Notandum quòd albedinis propriùm est ab omnibus alijs coloribus facile immutari & uinci per eorum compositionem. Sed tamen magis & minus, ita ut parua quantitas cuiuscunque coloris magnam partem immutet albi & nõ econuerso, cum in albo sit quædam puritas & simplicitas quæ non sustinet alterius commixtionem, ut patet apud pictores & tingentes lanam & sericum. Est enim albedo elementũ et fundamẽtum omniũ colorum. Similiter in saporibus hoc patet, quoniam sapor insipidus cum sit simplex ut est in aqua, recipit immutationem omnium aliorum saporum & non econuerso secundum modum dictum. Similiter in odoribus hoc patet sicut in aere & similibus. In metallis autem solis & eorum principijs est secus, quia modica quantitas argẽti uiui dealbat multam quantitatem auri & æris & non econuerso, cum ex eis fit amalgama, ita ut in manifesto ostendant albedinem, argenti uiui in actu & in occulto seruent citrinitatem & rubedinem. Sulphur aũt quia non seruat colorem suum, nec aliud cui miscetur seruare permittit, propter suam adustionem relinquimus.

Nota digestionem argenti uiui.

CVM igitur per digestionem alchimicam ex principijs metallorum orietur argentum uiuum, apparebit albedo mera & sincera, ac simplex in actu & manifesto & tunc debemus esse rati & firmi quòd sub illa albedine est citrinitas

auri et rubedo in occulto ut dicitur in turba philosophorum, quia, donec uincit argentum uiuum, apparet albedo simplex, cum autem uincitur apparebit citrinitas & rubedo. uincit autem dum fluxibile est, uincitur autem quando coagulatur. Coagulatur enim ab eo quòd est in seipso ad perfectionem et non ab alio, hoc autem est sulphur diuinum, quod est in ipso quod est album in actu propter potentiam & uirtutem argenti uiui dominantem & superantem tunc in colore, & est rubeum in potentia propinquissima quæ cum actu fiet semper dominabitur, & hæc est de natura solis & forma solis, & cor eius & flos auri, & arbor aurea, & aurum philosophorum, & est aqua sicca lapidea, & puluis siccus, & ignis & terra, & lapis rubeus, & secretum secretorum secũdum omnes philosophos. Sed argentum uiuum est de natura lunæ, & spiritus lunæ, & aqua humida, & puluis humidus & aer & anima & lapis albus, & aquila uolans et lac uirginis, mulier superba. Cum autem istæ duæ aquæ coniunguntur, coagulantur in albo colore, & fit electrum proprie qui est lapis commixtus ex auro & argento, cuius color est argenteus & albissimus tanquam nix, & tunc fit partus uirginis & identitas generantis & generati secundũ antiquos, & hæc est confectio alchimiæ, ex similibus & contrarijs, & in hoc fit pax & concordia elementorum, & perpetuitas scilicet in albo colore.

Nota duo secreta & quomodo ars est sublimior ipsa natura.

X quibus dictis duo secreta reuelantur nobis in
E arte ista. Primum est modus operandi. Secundũ
est materia circa quam quæ adeo secreta, quam=

uis ſatis expoſita ſint, attamẽ dicimus de primo, quòd uolentes ſequi naturam, omnino in generatione coloris auri actu ſenſibilis & imponere tunc finem errant. Sed oportet quòd in colore albo componant rubeum, & appareat actu totum album, propterea duo magiſteria ſiue duæ decoctiones diuerſæ ſunt neceſſariæ in hac arte. In natura uero una ſola. unde dixit Geber in proœmio. Scias fili quòd in hoc errant artifices, quia naturam in omnibus proprietatum differentijs actionis, imitari deſiderant, de ſecundo iterum dicimus, quòd cũ præter animam humanam, omnis forma alia cuiuſcunque rei tam animalis quàm uegetabilis et mineralis introducatur ab intrinſeco de potentia materiæ. Sola autem anima humana ab extrinſeco & primo motore detur, hinc eſt quòd uolẽtes reliquis metallis dare formam auri, oportet neceſſario, ipſam dare ab intrinſeco & de potentia materiæ illius circa quam operatur natura, ſi debet uere imitari naturam, tũc enim erit generatio ex conuenienti & proximo. Quia igitur natura recipit pro materia quod dictum eſt, ergo ars coacta erit recipere iſtud idem, propter quòd uidemus quòd argentum uiuum uulgi cum conueniat omnino cum illo argento uiuo philoſophorum uniri & permiſceri cum auro, unde philoſophus quarto meteororum. Et quia argentum uiuum cũ corporibus metallicis commiſcetur, iam eſt de illorum ſubſtantia &c. Reticuit autem de ſulphure quia non ſic uidetur de ſubſtantia illorum. Cui igitur metallorum magis commiſcebitur ſulphur, magis participabit naturam ſulphuris: et cui magis argentum uiuum, magis participabit naturam argenti uiui. Sed cum ſulphur nullo modo permiſceatur auro, ergo ſolum argentum uiuum erit tota materia auri, cum hæc duo ſola ſint elementa ductibilium. Cum igitur lapis

philosophorum sit forma auri & debeat metalla reliqua informare, ergo ex solo argento uiuo ipsum generare est necesse. Sicut etiam forma alicuius rei est per se nobilior & in sublimiori gradu auro & argẽto uiuo & sic simpliciter altior & sublimior est artis operatio quàm naturæ. Et hæc forma fuit illa quæ induxit philosophos antiquos ponere formas à materijs separatas & dari ab extrinseco. Sicut ponit philosophus quarto metaphysicæ, accusans Platonicos. Forma.n. quæ est eiusdem naturæ cum materia semper datur ab intrinseco quæ autem diuersæ naturæ ab extrinseco ut intellectus.

Nota quòd de forma & materia fit compositum, quæ materia est argentum uiuum & imperfecta metalla, compositum autem est aurum.

NOTA quòd in istius operis fine reperitur, aliquid quod est sicut forma per se, & cum alia sibi coniunguntur fit compositum, quod quidem est forma auri ueraciter. Et ideo informat metalla imperfecta forma auri & est forma uere separata à tali materia perfectibili, tamen hæc forma est fundata in materia cum ipsa sit corpulenta. Sed sicut forma sola nihil ualet, quia suas uirtutes & operationes manifestare non potest nisi coniungatur materiæ ut fiat compositum, quæ materia est argentum uiuum & imperfecta metalla, compositum autem est aurũ. & hoc modo aurum nobilius est lapide.

EX dictis ergo liquidissime patet, quod semper superius dictum est. scilicet quòd sit solus unus lapis tam ad album quàm ad rubeum, omnia metalla perficiens in au-

rum, ut tota alchimia clamat, nam cum forma omniũ indiuiduorum eiusdem speciei sit tantum unicà in specie, ita oportet quòd forma omnis auri sit tantum unica, quia igitur omnia imperfecta metalla debẽt fieri aurũ per alchimiã, ergo per unam formam solam, ergo per unum lapidem solum, omnis igitur alia forma est inutilis & sophistica.

Amplius notandum quòd in mineris argenti uiui, nunquam reperitur sulphur nec econuerso: propter quod natura nunquam in aliquod aliud transmutat eum quoniam separatio agentis & patientis facit necessario, ut non fiat actio & passio, ergo nec generatio. Ars autem ipsa coniungens generat usifur, aut aliud, in mineris etiam metallorum non reperitur argentum uiuum, nec sulphur in sua natura. Sed quoddam tertium ex ijs ambobus commixtum & digestum, obtinens naturas uirtutes & proprietates ipsorum, ut ex eo possit generari unumquodq; metallorum secundum ipsius cõpositionis diuersitatem & digestionis & loci. Quicunque ergo ignorat radices minerarum, & simplices & compositas, ignorat radices & principia naturæ, ergo & artis, non igitur adhæreat huic arti, nisi eam primitus inuestiget. Et hoc nouit Auicenna in sua epistola capitulo de medicina sumpta ex animalibus, comparans operationem artis figuratiuæ ad operationẽ naturæ dicens. Et inuenimus aquam animalium, hoc est, sicut argentum uiuum, quod est in mineralibus, & olim ipsius, hoc fit sulphur & arsenicum, quod est in mineralibus: & calcem eius. hæc sicut calx quæ est in mineralibus, & elixir aggregatum ex eis, quod est sicut elixir, quod est ex mineralibus, tamen hoc est largius & melius & abũdantius operis & sublimius &c.

Epilogat & concludit, quæ dixit & quare philosophus negauerit hanc artem, & quando postmodum confessus est eam.

ATIONEM autem nunc assignare uolentes cur ipsam alchimiam prius negauerit, ut multis uisum est, ipsum sic dixisse in fine quarti meteororum dicamus primo, enucleando illam literam, uidelicet: Et hæc forma fuit illa quæ induxit philosophos antiquos ponere formas à materijs separatas.

VBI nota quòd accusantur hic Platonici & Pythagorici & eorum sequaces per aliquos modernos, quòd ipsi posuerũt ideas, id est, formas separatas à materijs uelut si in aere permanerent & dari ab extrinseco & secundum meritum dispositionis materiæ, ideæ illæ infundunt formas, ideo diuersitas dispositionis materiæ exigit diuersitatem formæ. informantur: ergo materiæ & perficiuntur secundum suæ dispositionis diuersitatem hanc autem opinionem improbare nititur philosophus octauo metaphysicæ. Sed sciendum quòd Plato in suis dictis quasi semper fuit mysticus & figuratiuus, ita quòd sensus uerborum est alius à figura & significatione & sic etiam fuerunt alij philosophi huius artis, in istius enim operis fine inuenitur aliquid quòd est sicut forma per se, ut hic dicitur & cum coniungitur fit compositum &c. quod quidẽ est forma auri uerax, licet talis forma sic fundata in materia cum ipsa sit corpulenta. ad aliud ergo refertur intentio Aristotelis & ad aliud intentio Platonis & aliorum. Et ideo Aristoteles præcauens sibi de reprehensionibus, quas fecit contra Platonem & alios antiquos, dixit tertio metaphysicæ,

quod reprehendit eos secundum literam et sonum literæ: nũquam autem uoluit eos reprehendere secundum sensum misticum & occultum & analogum, neque potuit. Sed quia in senectute hoc archanum ei innotuit, eorum intentiones tunc laudauit, & eorum dicta approbauit. Qui autem quærit scire ueritatem alicuius rei particularis, non ponat eam uniuersalé, ne defraudetur & sit proteruus et seipsum decipiat: sed conformet mentem suam illi rei, eo modo quo se habet res illa: sic enim fiet inquisitio ueritatis. Vnde Aristoteles cũ iuuenis & sicut uniuersalis esset & nondum espertus, sed sola ratione motus probauit hanc artem non esse ueram, quã tamen postea approbauit sicut antiqui philosophi & experti, scientes hoc tam ratione diuina, quàm experientia humana certa &c. In speculatiuis enim solis magis discernimus ueritatem in uniuersalibus quàm in singularibus, ut est ex primo posteriorum. In operabilibus autem econuerso. unde dicitur primo Politicorum: Considerantes particulariter, magis ueritatem discernunt: uniuersaliter enim dicentes solum, se ipsos decipiunt. Cum igitur hæc scientia sit operatiua & singularis habita cognitione uniuersalium suorum, oportet deuenire ad singularia in operatione, & tunc discernere ueritatem & iudicare, & non prius. iudicare enim in operabilibus secundum uniuersalia & errare contingit. secundum particularia autem non. unde dicitur sexto ethicorum. singularium est prudentia quæ fiunt cognita experientia. Et quia prudentia non est in iuuentute, ut dicitur sexto ethicorum, sed in senectute, cum ipsa in longa experientia uersetur temporis, ideo etiam philosophus cum iuuenis & sicut uniuersalis esset intentus in inquisitione philosophiæ & cognitione experientiæ carens huius artis, sola ratione motus hanc artem

esse ueram opinatiue negat. Antiqui autem philosophi & experti scientes hoc tam ratione diuina quàm experientia certa, sententiauerunt & iudicauerunt hanc artem penitus esse ueram & sequentem naturam, unde philosophus effectus se nex eam subtilissime inquisiuit, & per antiquorum dicta & ipsam cum ratione possibili perpendit ueram, & ipsam experientia habuit & oculis uidit & manibus tetigit &c. & ideo scripsit eam Alexandro regi discipulo suo in suo libro de secretis secretorum capitulo de lapidibus preciosis, eodem modo quo antiqui philosophi alij scripserunt, sed occulto, figurato & uelato sermone, immo totus ille liber est uelatus & mysticus. quare patet &c.

SEQVVNTVR RATIONES PRINCIPA les probantes artem alchimiæ esse ueram aliter quàm supra, & quòd aurum lapidis est purius & perfectius ipso naturali.

ED OPORTET antequam has rationes aggrediamur, ut quæratur primo
S & determinetur utrum aurum & argentum, quæ fiunt per lapidem philosophorũ, sint eiusdem perfectionis cum illis, quæ fiunt ab ipsa natura: uel alterius sint perfectionis. Ad quod respondetur breuiter, quod aurum siue argentum, quæ fiunt per lapidem, sunt puriora, meliora & perfectiora ipsis mineralibus. Et rõ est, quoniã aurũ alchimicum est omni sulphurea superfluitate mundatum. minerale autem quodcunque sit istud habet sulphuris alicuius adhærentis commixtionem, & hæc causa est, denigrat enim, quare sulphur ingreditur & adurit ipsum & ob hoc in igne minuitur. Cum autem illud sulphur per ingenium artis aufertur, remanert purũ, simile quasi auro, & de cætero non minuitur, cum sulphur adurens non ingreditur in ipsum, aurum autem alchimicum est æquale minerali, quod iam ad ultimam perfectionem deuenit, ut est aurum obrizon. i. abradians, scilicet purissimum. Dixi autem, quòd iam ad ultimam perfectionem deuenit, propter aurum ab illius colore remissum, hoc enim tale & si habeat formam perfectam auri, tamen accidentia sequentia formam, ut color totalis non sunt, omnino completa in ipso, & quia natura in illo perfecto posuit ultimos terminos, seu gradus perfectionis, ultra quos non potest esse

transitus: ideo similiter ars ultra transcendere non conetur, cum sit impossibile, est ergo utrunque æque perfectum, quamuis possit ars suum colorare eodem colore magis intenso quàm natura suum & minus sicut uult. Sed quia hoc esset deuiare à recto tramite naturæ & intentione ipsius perfecta & non est simile operi naturæ, ideo ars colorat in gradu naturæ. Cognoscere igitur oportet hæc duo principia in natura, scilicet materiam determinatam propinquam & præcisum modum agendi qui ex intentione naturæ consistit, in illa materia, dirigit & extollit artem, ut consequatur omnino naturam & hoc proprie in liquabilibus mineralibus, ut dictum est, ignorans ergo principia naturæ non adhæreat huic arti, quoniam potius erit sophista quàm alchimista. hoc idem ait Geber in principio summæ suæ. Scias fili quod qui principia naturalia in se ipso ignorauerit &c.

NVNC ad rationes principales accedamus & ad eius confirmationes ad ostendendum artem alchimiæ esse ueram & prima ratio talis est.

OMNE indigestum ordinatum ad digestionem, & omne impurum habile ad purificationem potest complete digeri & depurari, sed metallorum imperfectorum quædam sunt indigesta & impura, ut Iupiter & Saturnus & quædam impura tantum, ut Venus & Mars, & sunt habilia ad digestionem & purificationem completam, ergo ipsa possunt, digeri & purificari complete, sed complete digestum & purificatum est esse aurum & argentum & proprie aurum ergo ipsa possunt conuerti in aurum & argentum. Maior patet per philosophum, quarto meteororũ, capitulo de digestione, optesi & epsesi, qui dicit quòd cum indigestionem patiuntur, scilicet Molensim, quæ contrariatur epsesi &

ſcateſin, quæ contrariatur opteſi, eſt ex indigeſtione caloris: & ſi calor digeſtiuus ſufficiens exhibeatur, coquuntur & digeruntur complete. Finis enim digeſtionis eſt natura, ut ibi dicitur, id eſt generatio formæ in materia, ut in fine digeſtionis. Et cum in omni digeſtione ſit aliqua ſuperfluitas, oportet quòd per digeſtionem fiat ſeparatio eius: quia calor homogenea congregat, & ſegregat etherogenea, ut ibidem dicitur & ſecundo de generatione & corruptione. calor etiã digerens res indigeſtas, generat ſpeciem nouam propter quod dicit philoſophus quarto meteororum, quòd ſimplex generatio & ſimplex permutatio harum uirtutum, ſcilicet calidi & frigidi eſt opus digeſtionis, & generant, cum ſunt uincentia materiam, id eſt humidum & ſiccum. Calor etiam exterior æquipollet naturali iuuando ipſum, ut complete digerat & citius & melius. unde dicit philoſophus quarto meteororum. Quandocunque enim digeritur materia completur & fit, & principium completionis à calore proprio accidit, quamuis per aliquod extrinſecorũ adminiculantiũ cõpleatur, quemadmodum cibus partim digeritur per balnea & per alia ſimilia, & principium eſt caliditas quæ in ipſo eſt &c. Et dicit Auic. cap. de ſignis cõplexionũ, quòd cum calor naturalis fuerit debilis, ſumendo res exteriores calefacientes iuuant ambo ſe inuicẽ in calefaciendo, propter quod uidemus in maturatione fructuum quòd deficiente calore exteriori, ſcilicet ſolis non maturantur fructus. Minor patet etiam, quia digeſtio & indigeſtio in metallis eſt opteſis & ſcateſis, ut dicitur quarto meteororum capitulo de corporibus mineralibus. Opteſin autem paſſum eſt aurum ſolum ex completa actione caloris. Reliqua autem metalla ſcateſin ex indigentia caloris non digerentis & non depurantis com

plete, ita quòd etiam argentum quoddam ſcateſim paſſum eſt in cõparatione ad aurũ: Opteſin aũt paſſum eſt aurum. Notandum quòd digeſtio epſeſis & oppoſitum eius molenſis dicitur elixatio & fit à calido & humido extrahendo de materia quæ digeritur, multum de humido naturali. Cum autem non completur hæc digeſtio dicitur Molenſis. Sed digeſtio opteſis, & eius oppoſitum, quæ eſt ſcateſis, dicitur aſſatio, & fit à calido & ſicco cum conſumatione humidi naturalis materiæ quæ digeritur, propter quod aſſa ſunt humidiora humiditate naturali elixis, ut probatur quarto meteororum. Attende ſecundum Albertum Magnum quòd alterius eſt modi euaporatio humidi in elixis, & alterius in aſſatis. Cuius ratio, quia ſpiritu calido exiſtente in aqua calida circunſtante, aliquod elixabile, atrahit ad ſe humidum illius elixabilis, quod humidũ in elixabili libenter exit, quoniam inuenit ſuum ſimile in circonſtantijs humoroſitate. Oppoſitum eſt de humido aſſabili, quia inuenit ſiccum oppoſitum cũ calore circonſtante ipſum & ſic remanet in profundo aſſabilis humiditas naturalis. Quòd ſi aſſatio rigida et aſpera, ſeu fortis eſſet, humiditatem naturalem diſſiparet cito &c. Si igitur calor digeſtionis opteſis complete exhibeatur eis per artem, ut iuuet naturalem calorem digeſta & depurata completæ erunt, ergo erunt aurum. Sed talis calor poteſt ſic exhiberi, immo & locus etiam ſecundum philoſophum, ibidem qui dicit ſic. Et nihil differt ſiue in organis naturalibus ſiue etiam artificialibus. ſi autem propter eandem nimirum cauſam uniuerſa erunt &c. Et poſt dicit. Opteſis ergo & epſeſis fiunt quidem arte etc. Sic igitur fit generatio metalli noui ex alio metallo, & trãſformatio per digeſtionem completam in organo artificiali.

Quia quod incipit generare per digestionem debet complere istud per digestionem, quia idem agens disponit ad formam & dat formam. hoc autem est natura siue sola siue auxiliata per artem. Non autem est necesse quòd in eodem loco, & maxime in mineralibus liquabilibus ut patuit. Nonne uidemus plumbum & aurum & metalla omnia generari in mineris à natura ex suis principijs quæ sunt sulphur & argentum uiuum? Sed necesse est primo congelationem istorũ principiorum adinuicem fieri ad generationem omnium metallorum taliter, ut fiat ex eis quædam natura media, quæ sit sicut uia & trãsitus à mollicie argenti uiui ad duriciem metallorum malleabilem. Hæc autem media natura sic coagulata & non depurata est, ex qua propter diuersam digestionem & diuersam habitudinem & proportionem miscibilium in quanto, quali, loco, & tempore, generatur omne metallum diuersum propter finem diuersum, qui fines omnes ordinantur & terminantur ad unum in natura scilicet ad aurum. Ars ergo uolens sequi naturam ad talem finem inquirit, & inuenit hæc principia congelata à natura in hãc naturam mediam: & non depuratam, & conatur digere re & depurare talem materiam cum calore ignis ut ex ea eliciat formam auri, cum qua omnia metalla imperfecta perficiat in aurum, cum ordinata sint à natura ad hunc finem. Et sicut differunt forma quam generat ars à composito quod generat natura, quamuis ad unum finem ultimum ordinentur. Sic conueniens uidetur ut regimen artis differat à regimine naturæ, non in materia, sed in digestione in calore, & loco & tempore, & habitudine & proportione miscibilium, uidetur ergo quòd digestio & locus & ortus generationis metallorum, id est, formæ metallorum sci

licet auri tum alijs circunstantijs sit penitus possibilis apud artem. Si igitur digestio quem admodum dictum est, & locus siue organum artificiale, æquipollet naturali, ergo necessario quo ad locum & digestionem ars alchimiæ est possibilis. Et cum digestio compleatur à calore naturali intrinseco, et calor extrinsecus æquipollet naturali iuuando ipsum, ergo calor exterior in alchimia iuuabit naturalem ut complete digerat metalla quæ indigesta sunt, ergo ars est possibilis. Et quia philosophus secundo cœli & mundi dicit. Oportet igitur qui uult inquirere rem & de ea perscrutari ut contradicat sibi contradictione sana conuenienti aptationi rei quæsitæ. & potest hoc facere quando inquirit & scit omnes differentias illius generis &c. Vt si de metallis imperfectis quæratur, dicentes si imperfecta possumus perficere inse quendo naturam utrum econuerso perfecta possumus facere imperfecta, & uidetur quòd sic. Nam si possumus formare res perfectas multo magis imperfectas maxime eiusdem generis, præsertim cum sint uia & semita & medium ad perfecta & non possit fieri transitus de extremo ad extremũ nisi per mediũ. Dicitur cum ars non intendit, nec possit generare aliquod metallorum de nouo omnino, sed solũ imperfecta perficere ministrando naturæ incongruum. & irrationale uidetur ut perfecta niteretur imperficere, quia neque natura hoc facit in suis mineris. Similiter nec unum imperfectum in aliud imperfectum, quia natura nõ facit hoc (nisi forte Saturnum in Iouem) quod tamen ignotum est, quia imperfecta sunt in uia & semita ad perfectionem & non econuerso, absque transitu aliquorum imperfectorum ad aliquod imperfectum primo. Item natura generat aurũ quandoque ex suis principijs absque transitu per dispositio=

nes & ſemitas alicuius alterius metallorum. Similiter generat idem aurum per diſpoſitiones & ſemitas alicuius illorũ, tamen non uidetur mihi quòd ars poſſit ſequi naturam realiter, ſcilicet quòd generet elixir tale quòd conuertat metallum aliquod in æs, aut Saturnum, aut Iouem, uel Martem, niſi ſecundum ſimilitudinem quandam, quia non credo quòd poſſit occultare in argento uiuo ſulphur taliter & tantum ad ſuum elixir componendum, quod talis conuerſio permutatio fiat. Immiſcere etiam partem ſulphuris determinatam in eis, ſcilicet imperfectis, ita determinatam et tamen diuerſam in quantitate & qualitate penitus ignoramus, ſed non miſcere abſolute. Quamuis Geber dicit capitulo de ſublimatione Mercurij et capitulo de coagulatione quòd accidit illa fieri per non rectam depurationem arg. ui. a ſulphure. hoc autem uſque nunc ignoro. Sed quia expoliatio arg. ui. à ſulphure ſibi commixto quod ipſum decoxit taliter eſt poſſibilis ita ut remaneat argentum uiuum purum ſolũ mortificatum. Ideo poſſibile eſt ut imitetur naturam in generando a, & b. Et quòd Geber dicit: quòd accidit illa imperfecta fieri propterea etiam dico quòd hoc eſt caſualiter nobis ignorantibus, & non ſecundum noſtram uoluntatem &c. Et ſic patet quòd perfecta imperfici non poſſunt.

ET ſi dicatur nũc, Confitemur ſatis ꝓ per ſuum elixir, debes tranſmutare imperfecta ad perfecta ſufficiẽter digeſta in multo tempore uel in pauco, quoniam omnis digeſtio requirit ſibi tempus ſufficiens, ſed quando ueniunt ad proiectionem eius ſuper imperfecta liquefacta ut perficiantur. cũ hæc digeſtio digerens completiue imperfecta fiat in momento aut in parua hora ualde, non uidetur quòd ſit tempus ſufficiens talis digeſtionis complectiue imperfectorum, quare ta-

lis transmutatio nulla erit, sed erit forte alteratio similis ei. Et nos respondemus quòd digestio solius auri & elixir est cõpleta, aliorum autem metallorum incõpleta & imperfecta, in diuersis gradibus imperfectionis, & tamen digestio auri à digestione elixir, differt ualde, quoniam digestio auri est sicut compositi sufficiens sibi soli, propter quod si cum aliquo indigestorum commisceatur in conflatione non potest digerere istud, nec de sua digestione sibi conferre, ut transformet illud in aurum, sed digestio elixir est sicut formæ, & non solum sibi soli sufficiens, sed exuberans, ut diffundi, extendi & multiplicari possit, per alia propterea quod si cum aliquo indigestorum commisceatur in cõflatione, extendit suam digestionem exuberantem quam habet usque ad terminũ certi numeri taliter, ut ex ambobus fiat unum compositum, scilicet aurum, sicut ex materia & forma in momento uel parua hora ualde, non tamen in tali proiectione fit digestio in momento, sed in sufficienti tempore iam facta est in ipso elixir, quando ingeniose ad ignẽ decoquebatur, propter quod digestio exuberans seu abundans ipsius elixir, & indigestio imperfectorum quæ dicuntur semidigesta habent proportionem adinuicem in certis numeris, & ponderibus, quibus obseruatis fit aurum purissimum in momento. Si enim de imperfectis deberet extrahi forma sua, scilicet auri, egerent digestione omnino in tempore sufficienti, sed hoc non est sic, immo forma digesta, ut dictum est, associatur materiæ, & fit aurum purissimum, & ideo aurum alchimicum non plus habet de potentia transmutandi, nec minus nisi sicut minerale, cum sint comparia.

ET si de argento uiuo obijciatur, quòd non sit semidigestum

gestum ut illa alia, sed omnino crudum & indigestum, quomodo ergo in tali momento perficietur ut illa? dicimus quòd tota perfectio consistit in solo argento uiuo, ut indeterminatione, ostendetur expresse, quare cum imperfecta perficiuntur, expoliantur à sulphure corrumpente, & solum argentum uiuum ipsorum perficitur in aurum, in ipso momento, quare cum eorum argentum uiuum sic expoliatum, sit eiusdem naturæ cum isto & econuerso, & eodem momento recipiunt digestionem & perfectionem æqualiter, quia diffunditur & multiplicatur, per ipsum elixir, quod perficit & complet ea in eodem momento uel tempore æqualiter. Confirmatur sic. cognoscere causam materiale propinquam & determinatam, & modum agendi qui ex intentione naturæ consistit, est totalis causa imitandi naturã, ut faciamus eadem mineralia liquabilia, penitus ut natura. Hoc patet per philosophum quarto meteororũ in exemplo de atramentis ubi ostenditur quòd ars potest imitari naturam, sic proportionaliter, quia in auro & argento quæ sunt liquabilia, sicut & atramenta & homogenea per totum magis cognoscimus materiam determinatam propinquam, scilicet argentum uiuum cum sulphure congelatum, & modũ agendi qui ex intentione naturæ consistit, quia cum calore suauissimo digerit & suauiter decoquit arg. ui. cum sulphure sibi commixto, & in fine motus separat de commixto sulphur & hoc proprie in auro, ergo similiter erit possibile ut imitemur naturam in generatione auri & argenti.

NOTA circa literam istam, & hoc patet per philosophum. Quòd uolentes ostendere per simile quòd ars potest imitari naturam perficientem metalla imperfecta. Accipimus exemplum philosophi quarto meteororum capitulo

de corporibus mineralibus de atramentis, natura enim in mineris atramentorum generat atramenta in quibus est uirtus ferri uel æris innata, & quandoque in mineris illorum per modum stillicidij & gũmositatis, unde dicit ibidem. atramenta conceperunt uim mineralem aliquorum corporum liquabilium, & quod ceperit uim ferream erit rubeum uel croceum ut colcotar, quod autem ceperit, uim æream, erit uiride ut chalcanthum, aliquorum autem corporum nihil. quorum causa, quia aqua mineralis per uenas mineræ transiens, dissoluit, digerit & commiscet subtilitatem quãdam sulphureitatis eorum cum substãtia subtili lapidum mineræ cum quadam uirtute salsuginosa & aluminosa & fluit & distillat inde paulatim, & ista inuicem per uirtutẽ mineræ, commiscentur, alterantur & digeruntur & se inuicem alterant & alterantur quousque ex ipsis per processum temporis, per coagulationem generetur atramentum in termino motus, quia tota materia compositionis atramẽtorum est ex substãtia tenuissima sulphuris, salis & lapidum cum uirtute aliquorum corporum liquabilium resoluta, ut dicit philosophus. Et dico quòd ibi etiam est uirtus aluminosa quæ in sapore manifeste patet cum ibi sit ponticitas. Ars aũt cũ ipsa sit imitatrix naturæ, ut dicitur secundo physicorum & quarto meteororum. Assumit sibi substãtiam æris, uel ferri, & secundum ingenium artis ministrat naturæ, quemadmodũ expedit, & facit, ut sulphureitas aluminosa cum rubedine aut uiriditate florescat, post soluit, distillat & congelat & reiterat pluries ingeniose sicut uult, miscendo cum eis quæcunque permiscet natura, ita quòd in termino motus generentur eadem atramenta omnino in proprietatibus, passionibus & operationibus &c. sicut in alys mineralibus atra=

mentis. Testatur autem nobis philosophus, ibidem qui dicit quòd ista duo atramenta, scilicet chalcanthum & cholcothar per artem fieri & componi possunt. Similiter experientia alchimistarum demonstrat nobis hoc per oculum. Similiter scimus quòd in partibus Constantinopolis lapides cuiusdam mineræ chalcinant, post in aqua soluunt & decoquunt in uasis donec fiet alumen, quod dicitur alumẽ de rocha & de alop. Si igitur ars ministrando natura generat tales res minerales, quales sola natura in suis mineris omnino in breui tempore et in alio loco & præter determinatum modum quantitatis, cõponentium & mixtionis & proportionis, quia hæc sunt nota soli naturæ quæ metitur hæc omnia absque consideratione artis, & ars cognoscit propinquam materiam, ex qua operatur natura & modum agendi. Eodemmodo possibile erit arti insequendo naturam in generatione auri & argenti, quia cognoscit materiam propinquam & modum secundum quem operatur in ipsis natura. Et si quæratur quare in sulphure & arsenico, cum sint mineralia liquabilia & cognoscamus materiam, quia sunt pinguedo terræ, non etiam possumus imitari naturam. Respondemus per nunc dicta quia materiam propinquam & determinatam non cognoscemus, nec inuenire possumus, nisi in genere & confuse ualde, scilicet quia sunt pinguedo terræ, & hoc non sufficit arti, quia non qualiscunque pinguedo terræ, immo talis pinguedo appropriata & determinata ad hoc et non ad aliud. Modum autem agendi satis cognoscimus et si materiam dictam reperiremus, utique sciremus ea formare per artem et sequeremur naturam secundum modum generationis atramentorum sed non metallorum. Est autem potissima causa ut natura non possit generare aliquid simile alteri, non reperire

materiam ſimilem illi, ut dicit philoſophus primo cœli et mũ di, quando dicit cœlum eſt factum ex tota materia ſua, nec eſt ex ſe extra ſe aliquid, & non poteſt fieri cœlum aliud. Modo dico ad propoſitum, quòd ſicut carentia materiæ eſt potiſſima cauſa in aliqua re, ut non generetur alia ſibi ſimilis. Ita & inuentio materiæ eiuſdem, debet eſſe potiſſima cauſa ut poſſit generari res alia ſimilis illi, quia ſi oppoſitũ in oppoſito & propoſitum in propoſito, ut probatur quarto & ſexto topicorum, & ſicut eſt in natura, ſic ſimiliter etiam in arte, quia igitur ars reperit illam materiam eandem auri & argenti quæ eſt omnino materia naturæ, ergo ex parte materiæ ars erit poſſibilis. Similiter etiam ex parte agentis, ut oſtenſum eſt in exemplo atramentorum, quia ars approximat illi materiæ agens naturale, ſed aliter quàm natura, quia non ut aurum uel argentum uel aliud metallum generet, ſed formam auri uel argenti tantum & ſolã formam ex illa materia elicit ut in determinatione patebit, ergo alio agente utitur ſcilicet igne, cum qua forma omnia metalla imperfecta perficit in momento. Et quia eiuſdem eſt cognoſcere materiam & formam ut dicitur ſecundo phyſicorum & ſeptimo metaphyſicæ, neque eſt ſermo propter materiam tantum ſed propter formam, ut probatur undecimo de animalibus, quia non eſt inuenta materia niſi propter formam, tam in artificialibus quàm in naturalibus & ambo propter compoſitum & compoſitum propter operationem ut dicitur ſecũdo, colliget. Ideo cũ ad alchimiſtam pertineat conſiderare materiam auri & aliorum metallorum, ad eundem etiam ſpectabit conſiderare formam ipſorum & cognoſcere, quoniam ſi non cognoſceret formam auri ſicut & materiam nunquam poſſet uere ſequi naturam, quibus cognitis,

debitus modus agendi in debita materia est totalis causa generādi formam ex illa materia & dicitur solum forma quæ coniuncta metallis imperfectis, ut materiæ, statim fit compositum, id est, aurum. Item confirmatur possibili posito in esse nullum sequitur impossibile. Sed ars alchimiæ est possibilis, patet sic quia metalla imperfecta & argentum uiuum sunt in potentia propinqua ad aurum & argentum quo ad naturam & in propinquiori quo ad artem, ergo possibile est per artem & per naturam reduci in actum illum, aliter enim esset frusta talis potentia, quod totum declaratur in determinatione, ubi opera naturæ in mineralibus & eorum adinuicem transmutationibus occultis, cum instantia ueraciter inquiruntur.

Ratio II.

SECVNDO sic & principaliter, quorumcunque causæ propinquæ sunt similes eædem, & modus mixtionis idem. ipsa sunt uel esse possunt de facili idem. sed metallorum omnium causæ proprinquæ sunt huiusmodi, ergo &c. Maior patet per philosophum secundo cœli & mundi, qui dicit, quòd causæ similes eædem sunt similes similibus causatis, & in decimo de animalibus dicit, quæcunque habent easdem causas habent eadem accidentia. Minor patet inducendo per omne genus causarum, materia enim ipsorum est una, scilicet quæ dicta est, similiter agens est unum, scilicet sulphur, accensum calore suaui mixtum cum argento uiuo. Similiter forma est una, ad quam ordinantur, scilicet ad formam auri. Similiter finis est unus sicut & forma. Similiter conueniunt in modo mixtionis, propter quod funduntur ad ignē & inuicem permiscentur sola, & sub mallei percussione, per omnem dimensionem extenduntur, quod est magnum signū

& probabile quòd sint similia & adinuicē ordinata ad unū finem ultimum antedictum propter marchasita & sibi similia, quamuis ex eisdem causis proximis sint, tamen quia modus mixtionis est ualde diuersus prædictas nō sustinent passiones, ideo non uidentur ordinata ad finem.

Ratio III.

TERTIO principaliter in ijs quæ habent symbolum & conuenientiam in materia, facilis est adinuicem permutatio et transitus. Sed metalla sunt huiusmodi, ergo &c. sed conuenientius est, ut imperfecta permutatio fiat ad perfectum quàm econuerso, ergo &c. Maior patet per philosophū secundo de generatione & curruptione, ubi ostendit, quòd elementa quæ tantum in una qualitate contrariantur & in alia conueniunt, facilius propter symbolum possunt cōuerti, quàm quæ in ambabus contrariantur, unde dicit ꝙ facilius est unum quàm multa transmutare. Et causa trāsmutationis ipsorum adinuicem est, quia ualde modicum distant à prima materia ex qua generata sunt, cum materia prima recepit dimensionem & partitionem in ipsa quatuor elemēta, unde propinquitas ultima in materia prima, est maxima causa ut una res facile in aliam transmutetur. Minor satis patet quia metalla omnia sunt ex eadem materia prima propinqua quæ est sulphur & argentum uiuum, propterea sola in conflatione adinuicem commiscētur, unde qualis est proportio & symbolum elementorum adinuicem propter materiam primam ex qua constant in transmutatione, talis etiam est metallorum, unde dicit Hermes Trimegistus, quòd generatio & transmutatio & conuersio metallorum adinuicem, est sicut elementorum. Similiter locorum propinquitas, in quibus sunt, multum confert, ueruntamen

hæc ſimilitudo ſic differt, quia elementum unum non eſt ad aliud ordinatum ſicut imperfectum ad perfectum, quia unumquodque in ſua ſpecie eſt in ultima perfectione. Ideo non transmutatur unum in aliud, ut perficiatur, ſed ut perpetuetur, in mundo generatio & corruptio debita continua & reciproca & ſimiliter mixtorum. Sed ſecus eſt de metallis, quia unum ſolum inter cætera metalla perfectum & cõpletum eſt, ſcilicet aurum ad quod omnia alia ordinantur, tanquam ad finem. Si igitur elementa ſic adinuicem transmutantur, propter conuenientiam & qualitatem & quia parum diſtant à materia prima ex qua ſunt, nec eſt unum ad aliud ordinatum ſicut imperfectum ad perfectum, quãto magis hoc erit in metallis, in quibus eſt quaſi totalis conuenientia? Sic enim conueniunt in materia quòd eorum materia eſt eadem penitus et eodẽ modo digeſta, ſiue ſic maneãt ſiue uerſus aurum alterentur quòd non eſt ſic in elementis. Et perpenditur hoc uiſu, quia in conflatione & ante & poſt conflationem uidentur ſimilia in ſua materia prima & proxima prædicta, ergo ualde conformia & habilia ad ultimam formam, Similiter nullum mixtorum eſt, quòd ſeruet naturam propriam materiæ ſuæ primæ & propinquæ & accidentia & proprietates ab exordio eius uſque ad informationem, qualemcunque, niſi metalla ſola, quòd patet in liquefactione. In elementis autem, non ſic: Magna enim differentia eorum apparet in uiſu, & auditu, & tactu, & guſtu, & odoratu: neque ante ipſorum mixtionem adinuicem, nec in mixtione, nec poſt, neque ante transmutationem ipſorum habent ſimilitudinem illam quam metalla habent, nec illo modo miſcentur adinuicem, ideo non debet habere tam bonam transmutationem adinuicem ſicut metalla,

eorum enim transmutatio est sicut de cõtrario in contrariũ, quia dominatum transfertur in dominans, metallorum autem est sicut imperfecti uersus ad perfectum. Quia ergo ars alchimiæ habet symbolum, & conuenientiam in metallis uidit, & uidit ea transmutari à natura, in suis mineris uersus aurum, & fieri aurum, ideo ars ingeniata est sequi naturam modo mirabili extra mineras, ut ea transmutet in tale aurum sicut facit natura sola. Causa autem forte quare ars imitatur naturam & econuerso, uidetur quòd sicut natura est opus intelligentiæ & ab ea dirigitur sicut à cognoscente, sic & ars est opus intellectus & ab eo dirigitur sicut à cognoscente, quare sic agit propter finem, sicut ergo intellectus imitatur intelligentiam & econuerso, sic ars imitatur naturam & econuerso, ita quòd ab arte refulget opus intelligentiæ & influxus & econuerso. In intelligentia enim & mente diuina sunt ideæ omnium naturalium, in intellectu autem ideæ omnium artificialium, quare cum intellectus recipiat ab intelligentia de ideis naturalium, & intelligentia ab intellectu, de ideis artificialium secundum quòd est possibile sequitur quòd ars imitatur naturam & econuerso & quòd ars aliqua perficiat quæ non potest natura & econuerso iuuando se.

Ratio IIII.

QVARTO arguitur sic, quicquid est in medio motus ad aliquam formam suscipiendam potest duci ad terminum motus nisi impediatur. Sed metalla imperfecta sunt huiusmodi, aurum autem in termino motus, ergo &c. Maior est nota, quia si existens in principio motus est in potentia ad terminum motus: multo magis quando est in medio motus, cum medium magis propinquum est extremis, quàm extre-

mum extremo. Vnde philosophus secundo & octauo metaphysicæ. Dicit quòd aliquid fit ex aliquo dupliciter, aut tanquam ex medio & imperfecto fit extremum & perfectum, ut ex puero uir, aut ex uno extremo ad extremum, ut ex aqua aer, ubi probabitur infra, ubi ostendetur arg. ui. & sulphur esse principia metallorũ omnium & existere in principio motus, aurum autem in termino motus, & reliqua metalla in medio, immo iuxta finem motus.

Ratio V.

QVINTO & ultimo arguitur sic, quicquid uel omne, quod est in potentia ordinaria ad aliquam formam, sicut ad finem potest duci ad finem illum, sed metalla imperfecta sic sunt in comparatione ad aurũ, ergo etc. Maior est nota, quia ad hoc ut aliqua res recipiat formam oportet quòd sit in potentia ordinaria ad eam, natura enim deducit res de potentia ad actum secundum ordinem, sic & ars. Minor probabitur in determinatione de generatione metallorum etc.

Sufficiant ergo nunc hæ rationes, affirmantes artem alchimiæ esse omnino ueram. Quia hucusque semper fuit consuetudo facere rationes ad hanc artem destruendam, ad construendum autem nemo consueuit, propter difficultatẽ prout prius uisum est, quam difficultatem aperuimus sufficienter & bene &c. hæc Bonus.

TABVLA EORVM QVAE SEQVVNTVR.

I. Cap. IN quo quæritur ex qua materia fit lapis philosophorum, eandẽ materiam tractat Arnal.de Villa noua, uide eum & nota notanda. Etiam nota, quia alchimistæ uocant lapidem, omne illud, quod non euaporat ab igne, & idem uocant corpus & substãtiam. Illud uero, quòd euaporat ab igne: & quod dat colorem lapidi, ut sulphur & arg.ui.uocant spiritum & animam.

II. Cap. IN quo uidetur, an sulphur sit materia lapidis, ut quidam uidetur uelle. Nota ibi responsionem quia subtilis & bona concordans philosophos.

III. Cap. IN quo uide de elementis lapidis philosophorum & de eorum compositione.

IIII. Cap. DE fermento & eius conditionibus, proprietatibus & conuersione &c.

V. Cap. QVID sit theriaca, & quid dicatur uenenum in lapide philosophorum.

VI. Cap. QVID sic,coagulũ,quid lac,quid masculus & quid femina in lapide philosophorũ.

VII. Cap. IN quo comparat, generationem auri ex sulphure & argento uiuo, ad generationem fetus ex spermate & sanguine menstruo,et auis ex ouo. Et omnia ibi notanda, & inde de germinatione granorum

frumenti.

VIII. Cap. ET est instantia pulchra & bona de ære et ferro, ex quibus non uidetur posse fieri aurum uel argentum per alchimiam uel lapidē philosophorum. Et soluit. Nota igitur solutionem quia est bona in practica & speculatiua.

SVNT autem hæc prædicta una cum quæstione superius determinata, fideliter & diligenter excerpta, ex tractatu Magistri Boni Lōbardi de Ferraria physici qui tractatus fuit collectus ex concordantijs omnium antiquorum philosophorum & est introductorius ad artem alchimiæ. Et secundum eundem uocatur pretiosa margarita nouella.

INQVIT enim magister Bonus, cum autem à principio introitus ad hanc artem incepissemus gustare aliquid, fuit statim nobis uisa facilis, sicut ferè omnibus accidit prima facie, qui intrant ad eam, & dubia ualde pauca et leuia quæ quasi spernebamus, occurrebant nobis. Sed cum ualde ulterius gustaremus percepimus ꝙ eramus decepti, & fueramus tanquam pueri lactantes, ignorantes masticationem durarū rerū & difficilium, & non potentes, & sic ut ēt iuuenes imprudentes, uolentes ambulare per semitas senum & sapientū credentes scire quod nesciunt, & senes & antiquos reputant ignorare. Conuersi igitur uidimus, quòd oportet senū cōsilio nos penitus adhærere & ab eo nō recedere. Et cū inspiceremus eorum dicta, tunc ceperunt emergi dubia plurima & difficilia & obscura quæ quotidie nos molestabant, ad solutiones inueniendas tam speculando quàm practicando. Sic.n. speramus, finē huius artis uerū attingere posse diuina bonitate & clementia præposita & sui gratia reuelante &c.

f. 132.

QVAERITVR EX QVA MATERIA FIT lapis philosophorum. Ad uidendum hoc, primo oportet scire materiam metallorum cum suis causis, proprietatibus & passionibus.

CAP. I.

D ICIMVS ergo secundum sententiam quàm ponit Geber pollens ingenio mirabili & subtili in summa sua, tractatu de essentia & procreatione metallorum, quòd cum metalla materialiter composita sint ex sulphure & argento uiuo quamuis sulphur sit loco agẽtis, potius quàm loco materiæ, tunc ex eorum diuersitate adinuicem in eorum commixtione & digestione, diuersitates plurimas contingere necesse est, hæc autem diuersitas potius est ex parte sulphuris, quia reperitur album, liuidum, rubeum, croceum, uiride, nigrum, omne autem argentum uiuum omni argento uiuo est simile quantum est de se, quia semper est album, lucidum, liquidum, non adhærẽs tangenti, grauissimum, nunquam enim repertum est argentum uiuum alterius coloris & conditionis. Si autem metalla reciperent diuersitatem in substantia & colore, ratione argẽti uiui in suis mineris, tunc hanc eandem diuersitatem in argento uiuo uulgari fecisset sicut in sulphure uulgari, hoc autem nusquam uisum est. Quia si aliqua terreitas liuida aut nigra in ipso reperiatur, hoc est ex admixtione alicuius substantiæ plumbeæ aut sibi similis secum commixtæ, propterea sophystice quidem argentum uiuum fraudantes deci-

mam partem plumbi ei commiscent quod per expressiones & ablutiones acres separatur. Potest autem sulphur cũ sit proprium coagulamentum argenti uiui esse diuersi coloris & fixum uel uolatile parum uel multum aut æquale, sed argentum uiuum cum semper sit album, & albedo sit sicut elementum colorum in quo uariantur omnes colores. Ideo argentum uiuum recipit à sulphure omnem diuersitatem colorum, & ex hoc omne metallum diuerso colore coloratur, & generantur alia diuersa ut est marchasita, magnesia, antimonium & tutia, potest similiter argentum uiuum fixum esse uel uolatile, parum uel multum aut æquale. Similiter etiam ex parte mineræ, potest omne diuersitas quia munda uel immunda siue corrupta & caloris exasperantis uel temperati secundum magis & minus. Ex ijs ergo arguimus unumquodque metallorum secundum adhærentiam sulphuris exterioris & argenti uiui ad ipsum facilem uel difficilem participare parum aut multum de utriusque illorum substantia, à solum unius ipsorum, quia uel aliud adhæret metallis nisi sulphur uel argentum uiuum quæ sunt ex ipsis cum sint eiusdem naturæ, nisi forte artificiose ualde. Dico autem adhærentiam quæ est per mixtionem propter conuenientiam in subiecto, quia omnis mixtio fit ratione similitudinis, quæ acquiritur in digestione à natura quãuis prius fuerint diuersa, propterea metallum cum metallo, & uitrum cum uitro, & sibi similibus miscẽtur, hoc autem, non cum alio nisi forte laboriose. Secundum hunc ergo gradum iudicandum est in metallis per eorum cũ eis adinuicem mixtionem, de hoc esse plus uel minus, uel unum solum secundum sensum, cum illa duo sola sint principia metallorum. Sunt enim hæc perfecta principia ex qui-

bus sunt hæc, ut dicit philosophus quarto metaphysicæ, unde idem quarto meteororum in fine capitulo de corporibus mineralibus, dicit sic. Et ideo miscetur argentum uiuum cum istis corporibus quia est de illorum substãtia &c. Et reticuit de sulphure, quia non sic uidetur de illorum substãtia.

Nota totum.

DICAMVS ergo quòd sulphur fixum tardat fusionem & liquefactionem in metallis & ipsam impedit, & propterea ubi eius quantitas multum superat quantitatem argenti uiui, quia ergo in ære eius quantitas non superat quantitatem argenti uiui sed quasi æquatur, ideo solum tardat fusionem in eo & quia in ferro quantitas eius multum superat quantitatem argenti uiui & ipsum inquinat, impedit fusionem ferri, ideo ferrum non funditur. Experientia autem hoc nobis demonstrat, quia cum uolumus facere sulphur fixũ oportet ut ipsum prius calcinemus, calcinatum autem nullam dat fusionem, ergo ubicunque ponatur illam de se impediet. Sulphur autem non fixum accelerat fusiones cuius signum est, quia arsenicum quod est de natura sulphuris ferrum ignitum fundit, quòd autem arsenicum sit de natura sulphur dicit Geber & alchimistæ omnes. Et experientia etiam hoc demonstrat, quia fossores minerarum examinant argentum & æs ad ignem ut ea purificent ab immunditijs & ascendit tunc fumus sulphureus citrinus in odore sulphuris, quasi si colligatur seorsum & in uasis sublimationis ponatur ascendit & adhæret spondilibus uasis in substãtia realgaris & est omnino idem realgar cum eo, quod fit de auripigmento de sua minera extracto. hanc experientiam manibus proprijs fecimus & oculis nostris uidimus. Quia ergo in ijs mineris inuenitur sic substãtia auripigmenti mixta, ideo

iudicamus ipsum ex hoc et odore & substãtia sui habere materiam sulphuris. Et ex prædictis iudicamus in ære eẽ utrũque sulphur quia funditur sed cum difficultate. Similiter dicimus quòd sulphur fixum est causa duriciei metallorum, sicut patet in ære & ferro. Et est etiam causa fixionis metallorum, ut patet in eisdem. Et etiam causa ignitionis ut patet in eis. Sed sulphur non fixũ est causa fusionis sine ignitione & causa molliciei & causa uolandi ab igne sicut patet in Saturno & Ioue. Argentum autem uiuum, siue fixum, siue non fixum est causa metallicæ fusionis. Sed fixũ est causa duriciei & causa fusionis &c. Et causa ignitionis cum liquefactione, ut patet in ære auro & argento, funderetur etiam ferrum ratione sui argenti uiui fixi quod habet, sed sulphur fixum quod habet, ipsum ualde superat & impedit. Non fixum autem est causa molliciei & uolatilitatis ab igne & fusionis sine ignitione sicut in Saturno et Ioue. Ista enim ambo corpora semidigesta sunt & per coagulationem modicum remota à natura argenti uiui. Ex quibus patet q̃ quæcunque corpora, tarde funduntur cito coagulantur, & econuerso.

DE adhærentia uero ipsorum ad metalla iudicamus ẽt per sensum. Sulphur enim facile adhæret ferro & æri comburendo ipsa. Commiscetur autem argento facile, quia habet partes aliquas sulphuris adurentis, id est, non fixi sibi commixtas quæ per artificium facile separantur. Plũbo autem commiscetur facile, quia multas habet partes sulphuris non fixi sibi commixtas. Stanno autem non facile propter multitudinem argenti uiui superantem quantitatem sulphuris, & quia suum sulphur est occultum profundum. Sed auro nullo modo adhæret nec ingreditur ipsum, quia non

conueniunt, sed sunt diuersæ naturæ. Sed argentum uiuum facilime cum auro commiscetur propter similitudinem in substantia, post aurum autem argento, post argentum stagno & plumbo, & hoc propter argentum uiuum indigestum in eis, & ideo tam cito funduntur immo quasi facilius adhæret eis, propter hoc. Post ipsa autem æs, cum difficultate recipit ipsum propter nimium sulphur eius. Vltimo autem ferrum, immo ferro non nisi per artificium adhærebit. Et iterum adhæret plumbo magis propter indigestionē, quàm propter quantitatis multitudinem argenti uiui, habet enim plumbum multum de sulphure sicut in sui resolutione per fumum ostenditur, seu perpenditur. Stagno autem propter utrunque adhæret, scilicet propter indigestionē & propter multitudinem argenti uiui. Sed argento propter multitudinem argenti uiui bene digesti & sui perfectionem. æri autem difficulter propter multitudinē sui sulphuris sordidi & fixi & non fixi. Ferro autem difficillime, scilicet non nisi per artem propter paucitatem argenti uiui & magnam copiam fixi sulphuris & sordidi & terrei. Ideo ferrum (dico terra de minera lapidum) conglutinat duo ferra candentia per malleationem propter similitudinem. Sed auro secūdum totum maxime adhæret, propter maximam copiam argenti uiui, quæ est in ipso & sui ultimam perfectionem & complementum intentum à natura. immo ipsum est totum argentum uiuum absque sulphure extrinseco.

EX habitis ergo expresse collige, quòd argentum uiuū fixum fusibile est causa totalis perfectionis & ipsum non fixum est diminuens à perfectione & diminutum. Sulphur aūt siue fixū, siue uolatile corruptionis est causa & imperfectionis dum remanet in metallo. Ergo hunc uenerabilem la

pidem

pidem ex ſolo argento uiuo ſine alicuius ſulphuris extrinſeci cõmixtione colligere neceſſe eſt. ſubſtantia enim auri hoc ad ſenſum oſtendit, quòd nihil in mundo inuentum eſt amicabilius & ſimilius & mixtibilius & unibilius ei quàm ipſum, tam abſque conflatione quàm cum conflatione, propterea dicit Geber capitulo de natura argenti uiui, quod abſque ipſo nullum metallorum poteſt deaurari. Sulphur autem in ijs omnibus penitus ab auro eſt diſſimile. Veridice ergo patet quanta conformitas, quanta ſimilitudo, quanta identitas ſit argenti uiui ad unumquodque metallorum & econuerſo. Et ſi quis negat hoc indiget ſenſu uiſus, quemadmodum qui negat niuem eſſe albam. Cum ergo per ingreſſum & commixtionem huius lapidis cum metallis in conflatione debeant metalla in aurum perfici, expreſſe patet ſolum argentum uiuum eſſe perfectiuum huius operis ſine alicuius ſulphuris uel alterius rei commixtione. Propter quod dixit Geber capitulo de procreatione auri. Quæcunque igitur alterare uolueris ad exemplum illius altera. Vnde Raſis in 70. præceptis ſcilicet in libro utilitatis dixit. Mercurius eſt radix omnis rei & ipſæ ſolus eſt præparandus, & erit ex eo tinctura bona & impreſſio uehemens & fortitudo. Et Alphidius. attende fili mi quòd omne ſapientum opus & philoſophorum in ſolo conſiſtit argento uiuo. Et Geber in capitulo de procreatione Veneris. Studeas igitur in omnibus tuis operibus argentum uiuum in commixtione ſuperare & ſi ſolum argentum uiuum perficere poteris perfectionis pretioſiſſimæ indagator eris, & eius perfectionis ſemita, quæ ſupra opus naturæ uincit lætaberis. mundare enim poteris intime ad quod natura, non peruenit &c. Ideo capitulo de principijs magiſterij dicit. Conſideratio au-

tem rei quæ ultimo perficit est consideratio electionis puræ substantiæ argenti uiui, & est medicina quæ ex illius materia sumpsit originem & ex illa creata est &c. Item capitulo de quinque differentijs perfectionis. Per hoc igitur patet ex quibus medicina elicitur nostra, nam per ea elicitur quæ maximæ corporibus adiunguntur & amicabiliter eisdé adhærent alterantia. Ideoq; cum in rebus cæteris exquirendis non inuenimus inuétione nostra rem aliam magis quàm argentum uiuum naturis corporũ amicari in natura sua. Vnde eis miscetur, & postea figitur igne lento per hoc opus nostrum in illo impendentes reperimus ipsum alterationum ueram esse medicinam in complemento cum alteratione uera, & peculiosa non modicæ &c. Idem sermone uniuersali de medicinis secundi ordinis. Probauimns nam ex nostris sermonibus, sulphur cuiuscunque generis perfectionis esse corruptiuum, argentum quippe uiuum perfectum in operæ naturæ, completis regiminibus, igitur & naturam imitãtes in quibus est possibile nos sequi operibus, & argentum similiter in huius magisterio uiuum assumimus in cuius perfectionis medicina lunari scilicet & solari &c. Idem in capitulo de procreatione Martis dicit. Laudetur igitur benedictus & gloriosus Deus altissimus qui creauit illud, scilicet argentum uiuum, & dedit ei substãtiam, et substãtiæ proprietates, quas non contingit ullam ex rebus possidere ut in ipsa possit inueniri hæc perfectio per magisterium aliquod, quod in illo propinqua potentia inuenimus, ipsum enim est quòd ignem superat, & ab eo non superatur sed amicabiliter in ipso quiescit gaudens eo &c. Et idem uoluit capitulo de coagulatione Mercurij per præcipitationem. Et quamuis ibi dicat, quòd hæc medicina elicitur de corporibus metalli=

cis cum suo sulphure & arsenico præparatis & ex alijs solis similiter sulphure & arsenico, dicimus quòd nullum est, sed ipsius uerba ibi & alibi similia iuxta sonum literæ non intelliguntur, quia ibi latet anguis in hærba. Vnde dicit ipsæ capitulo ultimo ubi concludit. Et eam similiter occultauimus, ubi magis apertæ locuti sumus, non tamen sub ænigmatæ, sed sub plana sermonis seriæ &c. Et dicit Morienus, quòd si fumus albus non esset, id est, nisi nullatenus aurum purum alchimiæ fieri posset &c. Et ad quid plura de hoc Hermes enim & Senior & Plato & Alexander & quilibet philosophus in hac arte peritus hoc uelle uidetur. Et sensus uisus propter eius ultimam amicitiam in mixtione & inuicem unionem hoc credere nos inducat. Ex quibus noscitur quòd hic lapis unus, omnia metalla perficiendo & ad unum medium reducendo potest dura mollificare &c. 130.

Instantia. An sulphur sit pars materialis Auri & lapidis philosophorum.

ED dices ex uerbis tuis sequi uidetur quòd sulphur possit esse pars materialis auri & lapidis philosophorum cum argento uiuo, quod negasti, nam sulphur mutatur & miscetur facile cum argento uiuo, ergo uidetur habere magnam conuenientiam, conformitatem & similitudinem cum eo, si gitur argentum uiuum probatur esse materia auri & lapidis philosophorum, quia super omnia conformitatem habet cum eo, scilicet auro in mixtione ergo similiter & sulphur, cum habeat magnam conformitatem cum argento uiuo in mixtione, præsertim cum sulphur sit sicut suum coagulum proprium, ut dicit philosophus

quarto meteororum. Qui dicit & proprium quidem argenti uiui est quòd coaguletur ex uapore sulphuris, & fortassis hoc modo gelatur ut plumbum &c. Si quis ergo uoluerit coagulare argentum uiuum ut faciat aurum aut lapidem, oportet quòd hoc faciat cũ sulphure, ergo sicut mixtione sulphuris coagulatur argentum uiuum, ita ex eius ablatione reddetur currens & fluxibile ut prius, ergo absque commixtione sulphuris cum argento uiuo & eius permanentia cũ eo, non poterit generare aurum nec lapis philosophorum. Item cum aurum omne fit citrinum secundum magis & minus & lapis philosophorum rubicundissimus, & tinctura auri detur à sulphure, ut uult philosophus quarto meteororum & Geber, & Rasis, & omnis alchimista, ergo & sulphur necessario erit pars materialis eius, quoniam sulphur est tinctura & colorat argentum uiuum omni colore, quia argentum uiuum est album & non est uisum alterius coloris, ergo eadem causa erit pars materialis lapidis philosophorum. Et nos respondemus ut prius, scilicet quòd solum argentum uiuum est tota causa materialis & tota substantia lapidis philosophorum.

SED est sciendum quòd argentum uiuum in sui prima creatione habet multas partes terreæ substantiæ sulphureæ albæ in actu subtilissimæ quæ sunt de substantia materiali ipsius sine quibus substantia argenti uiui constare non potest, quæ ipsum naturaliter albo colore colorant, sed in magisterio ipsum albo colore albificant, & rubificant sicut uolumus regendo naturam ipsius. Quòd autem argentum uiuum sit compositum patet per philosophum quarto meteororum. ostendentem compositionem eius qui dicit. argentum uiuum est, ut aqua quæ miscetur cum terra subtili nimium sulphu-

rea mixtione forti donec non quiescat in superficie plana, & hoc est ex siccitate magna terrea quæ inest illi, & ideo non adhæret tangenti, estq; albedo eius ex claritate illius aquæ & ex albedine illius terræ subtilis &c. Et hoc idem innuit Geber capitulo de natura argenti uiui. Et propter hoc tale sulphur cum conueniat in generatione & communitate quadam cum sulphure extrinseco commiscetur cum argento uiuo & ipsum coagulat, & est utrunque sulphur non fixum, & unumquodque ipsorum coagulat & colorat argentum uiuũ. Sed cum argentum uiuum fuerit coagulatum & fixatum cũ solo suo sulphure intrinseco et coloratũ suo albo colore, uel rubeo in magisterio, tũc sulphur extrinsecũ non poterit de cætero in ipsum ingredi & commisceri, quia dissimilia facta sunt. Propterea non ingreditur in aurum, non igitur poterit esse materia uel pars materiæ lapidis, nec ipsum tingens, sicut nec in auro mineræ.

EX quibus secretum maximum panditur in hac arte, scilicet quòd argentum uiuum non coagulatur, coagulatione quæ fit per mixtionem, nec coloratur nisi cum sulphure, sed cum solo suo sulphure intrinseco ad perfectionem, cum extrinseco uero coagulatur & coloratur ad corruptionem. Quæcunque igitur coagulant argentum uiuum quocunque modo sit, coagulant per uirtutem sulphuris, ut uapor Saturni, atramentum & quæcunque talia, quia non posset esse, ꝓ duæ diuersæ res in substantia eundem effectum & eodem modo in aliud faciant, nisi per aliquid unũ idẽ cõe eis. Dico aũt coagulationem quæ est per mixtionem cum permanentia metallicæ fusionis. Propterea si aliqua alia ipsum coagulant siue mineralia siue uegetabilia siue animalia sunt extranea, & aliter coagulant, et colorãt, quia non proprie sed cõiter. Cũ igi

tur sulphur extrinsecum, quamuis sit sicut generans, non possit esse materia, nec pars materiæ auri, neque lapidis philosophorum, concludimus quòd nec aliquid aliud de mundo nisi solum argentum uiuum. Propter quod patet solutio ad obiectum. Oportet ergo quòd per artificium quoddam occultissimum & diuinum ex solo argento uiuo generemus argentum uerum mediante sulphuris actione extrinseci sibi à natura mixti & absque illo sulphure ipsum coagulemus, quoniam generans non potest esse pars materialis generati. Hoc enim tale erit facilis liquefactionis metallicæ & tenuissimæ in modum causæ & fixæ super pugnam & asperitatem ignis & complebit omne metallum in aurum subito sequendo naturam. Cum enim in se concludat omnes differentias perfectionis absque diminutione & superfluitate, conuertet omnia in unum medium quod est aurum.

Capitulum secundum, in quo probat quòd sulphur solum sit materia lapidis philosophorum & auri secundum antiquos philosophos, & soluit.

MPLIVS idonee satis hæsitabunt aliqui, tran
a scurrentes libros philosophorum in superficie, scilicet, uidetur quòd magisterium hoc sit totum in solo sulphure. dicit enim Rosinus ad Euthesiam quòd sulphur incombustibile quod aduersus ignem pugnauit est quod quærunt philosophi & in fine libri eiusdem dicit. Certum igitur habeas, quòd nulla tinctura fit unquam nisi per aquam sulphuris mundam. Idem in eodem dicit quòd color pretiosus philosophorum exit de sulphure & nunquam potest sulphur quod naturaliter fugit postea fugere. Item Salomon filius

Dauid: prætulit enim Deus omnibus lapidibus sulphur, ideo apud nos prætulit ipsum & apud ignaros uile est &c. Item Geber capitulo de natura sulphuris per Deum altissimũ illud illuminat, omne corpus quoniam est alumen & tinctura &c. Item Bulus in turba philosophorum, aqua munda ex solo est sulphure non tamen ex solo uno sulphure, uerum ex pluribus rebus quæ unum sulphur facta sunt. Item Anaxagoras in eodem. Scitote quòd huius operis perfectio est aqua sulphuris. Item Pythagoras in eodẽ. Scitote ꝙ nostra compositio nil aliud est quàm aqua sulphuris, et sulphuris munda aqua ex solo est sulphure. Idem in eodem tota operis perfectio fit cum sulphura sulphuribus continentur. Et breuiter omnes philosophi, hoc idem uelle uidentur.

AD hanc quæstionem ut supra respondemus, scilicet ꝙ in solo argento uiuo est tota perfectio. Et quia ipsum habet in sua compositione partes sulphureas siccas, ipsum tingentes & colorantes albedine actu & rubedine in potentia. Ideo hoc sulphur est ipsum perficiens & informans. Et quia non potest educere seipsum in esse, ideo natura commiscuit ei sulphur extrinsecum in suis mineris, ut ipsum decoquat & extrahat de potentia in actum. Et ars eodem modo ut natura operatur. Et quia humidum aqueum & siccum terreum sulphureum, penitus in ipso facta sunt idem per omnem modum, ideo aut cum tota substantia in igne permanet, aut cum tota substantia recedit, quia pars unius aliam non derelinquet, ut dicit Geber. Vnde dicit philosophus 4. meteororum materia ductibilium est substantia aquea mixta, cum substantia terrea mixtione forti. Neque potest unum separari ab alio. Et congelatur substantia aquea illius cum frigore. Post actionem caloris in ipsum quæ est optesis &c.

Et hoc ſulphur occultum fit manifeſtum in magiſterio artis cum maxima ſapientia. Sic igitur argentum uiuum, quod ſecundum ſe totum oſtendebat naturam argenti uiui in manifeſto prius, ita quando cum hoc ſuo ſulphure in fine magiſterij coagulatum eſt, cum totum in manifeſto oſtendat naturam ſulphuris, dicetur ſulphur. Et hoc eſt ſulphur quod coagulat ſuum argentum uiuum, quod eſt ignotum uulgo. De quo dicit Senior. Satis fecerunt ſapientes antiqui hominibus quando dixerunt. Sulphur noſtrũ non eſt ſulphur uulgi, quia ſulph. uulgi cõburit cõbuſtione nigredinis & corruptionis & comburitur. Sed ſulphur ſapientum comburit, combuſtione albedinis & melioationis &c. Et hoc ſulphur eſt quod albificat & rubificat & coagulat & perficit argentum uiuum in ſubſtantiam auri ſecundum naturam, aut lapidem philoſophorum & auri ſecundum artem.

Natura fulgeliuij id lapide

HOC notandum eſt quòd cum omnis res compoſita ſit ex materia & forma & res habeat eſſe & denominationem & diffinitionem à forma, ergo quãto res magis habet de forma, tanto magis de entitate, ergo etiam magis de uirtute & operatione, cum ipſa conſequenter ad formam. Et cum forma ſit in genere qualitatis primo & per ſe, non autem à quantitate niſi per accidens, quoniam quantitas & paſſio attribuitur materiæ. Cum ergo in magno quanto eſt parum de operatione, ergo parum de uirtute, ergo & parum de entitate, ergo & parum de forma. Et cum in paruo quanto fuerit multum de operatione, ergo plurimum de uirtute, ergo plurimum de entitate, ergo & plurimum de forma. Forma enim recipit extenſionem ſubiecti in quo eſt & diuiſionem. Item dicitur in libro de cauſis propoſitione decimaſeptima, quòd omnis uirtus unita eſt fortior quàm uirtus multi-

plicata. Si ergo ita est, dicimus quòd sulphur rubeum luminosum occultum in argento uiuo cum sit forma auri est tingens & transformans omne genus metallorum in aurum. Propter quod talis tinctura potius attribuitur qualitati sulphuris, scilicet formæ, quàm quantitati. Propterea eius rubedo intensa trahit ad nigredinem, scilicet ad colorem hepatis uel aloes, ut dicitur libro trium uerborum. Ideo quãtitas magis sulphuris non est tingens aurum, neque elixir sicut illud modicum, quod est forma. siue qualitas argenti uiui in quo est. Cum ergo una pars ipsius informet & tingat mille partes cuiuslibet metalli in aurũ secundum philosophos, ergo oportet quòd habeat multum de uirtute, ergo multum de entitate, ergo multum de forma & hoc bene ostendit color eius in sua materia, immo ueraciter loquendo, ipsum est pura forma auri. Ideo potest extendi eius operatio propter rubedinem in magna quantitate cuiuslibet metallorum & tingere eam in citrinitatem auri & perficere. Ratio est quia cum in istis sulphur rubeum sit idem omnino cum suo argento uiuo, & econuerso, quamuis quandoque argentum uiuũ dicatur materia & sulphur suum forma. & habet perficere metalla, oportet quòd perficiat ea, inquantum habet naturam arg.ui. & calorem, scilicet quòd expolientur à sulphure extrinsecus adueniente & corrumpente & remaneant alba albedine argenti uiui cum abstersione sui coloris primi. Ergo oportet quòd in eodem momento, quo expoliantur & fiunt alba recipiant ab illo sulphure & rubedinem & citrinitatem auri & formam, nisi enim expoliarentur & dealbarentur non possent tingi & perfici. hæc autem tinctura est sulphur sapientum.

QVOD autem tales colores diuersi sic dari possint sic

patet: quia ex Saturno fit albissima cærusa quæ sine alicuius adiunctione per solum ignem citrinatur, & in fine rubescit per suum intrinsecum sulphur & dicitur minium. Et ideo Rasis in lumine luminum dicit quòd hoc opus operi miniario assimilatur, quia hic lapis cum germinat habet tincturam suam totam in seipso sicut minium. Et hoc proprie est sulphur philosophorum & lapis eorum & sulphur diuinum. Et hoc est sulphur occultum cum quo omnia deaurãtur & decorantur. Hoc est umbra solis & coagulum argenti uiui coagulans omne liquidum & in suam naturam conuertens. Hic est qui cum uolantibus uolat, & cũ quiescentibus quiescit, & omne quod est, propter suum robur, ad se conuertit & uincit, & est aurum philosophorum, quia omne cui iungitur conuertit in aurum. Hic est quæsitus à multis & iuuentus à paucis. Hic est qui ab antiquis, quinta essentia nuncupatur, & est sal armoniacum & acetum philosophorum, & æs & corpus, & terra quæ dicitur mater elementorum, ad quam conuertuntur omnia elementa & hæc est arbor aurea de cuius fructu qui comederit non esuriet unquam. Hic est lapis omni pretio carens, qui absque aliquibus sumptibus inuenitur. Hic est in igne nutritus & generatus & in igne gaudet. Hic est qui omni nomine nominatur, in omni rei similatur de mundo, à philosophis minor mundus dicitur, quia sicut homo dicitur minor mundus quia in eo omnium rerum similitudo & participatio reperitur. Ita hoc sulphur dicitur minor mundus. Et hoc est sulphur, quod est perfectio & archanum philosophorum quod non inuenitur nisi ab eo qui ipsum noscit & accipit. Et hoc est sulphur secundum quod coniungitur primo sulphuri, ex quibus fit tertium sulphur de quo dici-

tur ſulphura ſulphuribus continentur. Et hoc eſt ſulphur, de quo auctoritates adductæ arguunt.

Nota de aqua & oleo ſulphuris.

AQVA autem ſulphuris uel oleum ſulphuris eſt argẽtum uiuum, de ſulphure compoſito extractum. Et eſt aqua uiua. Et hoc eſt quod proprie dicitur lac uirginis, & aqua ſincera cœleſtis & glorioſa. Et auis uolans, quæ ſubſtantialiter idem eſt cum ſulphur dicto. Sulphur autem uulgi eſt diuerſum ab ys & ſic patet ſolutio quæſtionis & argumentorum.

An ſulphur ſolum ſit tota materia auri, & nota bene.

AMPLIVS aduertendũ occurrit plurimum, q
a propter dictas auctoritates ſulphuris & alias ſimi
les, quidam ignorantes metallorum principia & naturas dixerunt, quòd aurum eſt materia iter totum ex ſulphure citrino puriſſimo cum omni æqualitate in uentre terræ digeſto & habet ibi modicum de argento uiuo à quo recipit luciditatem & extenſionẽ ſub malleo, ſed à ſulphure recipit ſubſtantiam, colorem, fuſionem, & reliqua accidentia propria. Item quòd argentum uiuum nõ ingreditur ibi niſi ſicut temperans materiam ad extenſionem, eo modo ſcilicet quo frigiditas ingreditur in opus naturæ, quia inſtrumentum proprium naturæ eſt caliditas & non frigiditas. Propterea ſuas operatiões in ſulphure uulgi impẽdẽtes uacui ſemper à propoſito fuerunt. Declarantes autem hoc dicimus nõ ſolum ſecundum ueritatem huius ſcientiæ, ſed aſtrologiæ &

aliarum & omnium ueterum philosophantium quòd omnes antiqui philosophi posuerunt numerum metallorum. Iuxta numerum astrorum errantium cum metalla habeant etiam motum erraticum, & cum ipsa astra sint septem numero. Ita septem metalla reperierunt quæ attribuerunt ipsis, tanquam causis efficientibus & mouentibus ea, conueniunt enim sicut causæ superiores cum suis effectibus inferioribus. Vnde Saturno attribuitur plumbum. Ioui stannum. Marti ferrum. Soli aurum. Veneri æs. Lunæ argentum. Mercurio autem nullum metallum attribuerunt, cum non reperiantur, nisi dicta sex numero, scilicet quæ peruenerunt ad coagulationem, cum liquefactione & extensione.
Et ideo philosophi tunc reuersi sunt, ad materiam propriam ex qua metalla originem contraxerunt, cum ipsa materia sit eorum substantia & dixerũt omnes quòd erat argentum uiuum, quod attribuerunt Mercurio. Ita quòd coacti ab ipsa ueritate posuerunt materiam metallorum de numero metallorũ ut cõplerẽt eorũ numerũ iuxta numerũ planetarũ. Si igitur sulphur esset materia & substantia metallorum ex qua fiunt, tunc oẽs antiqui posuissent sulphur & non argentum uiuum. Nullus autem eorum hoc unquam posuit.
Ex quo patet etiam argentum uiuum esse originem, materiã & substantiam metallorum. Non autem sulphur.

NOTA circa istam literã præcedentem. Et ideo philosophi quòd Aristoteles secundo physicorum & septimo metaphysicæ improbat Platonicos & Pythagoricos & eorum sequaces antiquos, quia non cognouerunt de causis nisi materiam & omne aliud à materia erat accidens in materia, cũ sola materia esset substantia omnium rerum. Sed tamen est notandum quòd Aristoteles & alij sic improbantes nõ habue

runt antiquorum intentionem. Cognouerunt enim omnes causas alias à materia sicut & ipsi. Sed aliter tradiderũt de cognitione earum & ad aliud suam referentes intentionem, quia in hac arte ferè omnia locuti sunt mystice & in naturalibus & in alijs scientijs. Materia enim alchimiæ quæ dicitur prima materia & Chaos secundum antiquos in qua sunt omnia in confusione, figuratiue est argentum uiuum philosophorum per digestionem quandam propriam generatum, quæ est lapis eorum quæsitus, occultus sensui & manifestus intellectui quæ est forma & flos auri. Et quia ista materia est omnino necessaria, & debet esse necessario maxime cognoscibilis si materia formam auri debeat adipisci. Ideo oportuit eos maxime supra omnia tractare de materia, qua ferè & uere & infallibiliter cognita & forma auri immediate cognoscitur, similiter & finis immediate cognoscitur, cum forma sit idem quòd finis. Similiter & agens, cum natura sit agens cum calore sulphuris in ipso argento uiuo, prout ab arte regitur. Ita quòd cognita materia uere & absque defectu aliquo statim disponitur homo in ueram cognitionem aliarum causarum omnium & ipsa ignorata ignorantur aliæ causæ omnes necessario, non autem econuerso, propter quod oportuit eos maxime tractare de cognitione materiæ, non autem sic de alijs.

DIXERVNT etiam omnia alia à materia esse accidentia hoc, quamuis improprie ad rei ueritatem, quia cum materia fuerit orta ipsa de se est disposita ad receptionẽ formæ & inclinatur ad receptionem ipsius sicut imperfectũ ad id quo debet perfici, & per artificis scientiam fit ipsius informatio & per ignorantiam eius fit totius destructio. Et per hunc modum dixerunt formam esse accidens cũ ipsa pos-

ſit inhærere materiæ & non inhærere. Sed poſtquam adhæ=
ſit ipſa inſeparabiliter adhæret, & dicitur forma ſubſtantia
lis apud eos cum ipſa det eſſe materiæ & ſubſtãtiam proprie.
Vnde ſi ipſorum uerba ſecundum eorum intentionem intelli=
gantur unuſquiſque uidebit quòd ponunt formam eſſe ſub=
ſtantiam rerum ſicut & materiam & ſimiliter accidens di=
uerſis reſpectibus, forma enim ſubſtantialis eſt principium
eſſendi magis quàm materia cum ipſa ſit actus, materia ue=
ro potentia. Et quia ſecundum ueritatem formarum nomi
nantur ſubſtantiæ rerum. Materia tamen alio modo poteſt
dici magis ſubſtantia, ſcilicet inquantum principium ineſt
unicuique rerum, & ex ea extrahuntur omnes formæ, &
quia ipſa eſt quæ perpetuari habet in rebus, ut declarari ha
bet ſecundo phyſicorum. Vnde dicit philoſophus undecimo de
animalibus quòd materia eſt prior generatione & tempore
forma autem ratione. Cum igitur forma quælibet exiſtens in
materia extrahatur de potentia ſuæ materiæ & non econuer
ſo. Ideo ignorantes & præter rationem laborant illi qui uo
lũt extrahere formas de materia abſque cognitione materiæ,
quia ex materia extranea non extrahitur forma propria quã
deſiderant. Si quis ergo uelit cognoſcere formam auri opor
tet neceſſario ut prius cognoſcat materiam lapidis philoſopho
rum & per conſequens diſponitur in cognitionem formæ
eius. Per quod patet quòd prima & principalis cognitio re=
rum incipit à materia, hæc enim primo ſubiacet ſenſui, cum
ſuis accidentibus. Bene ergo dixerunt antiqui incipiẽdo à ma
teria, tamen quia cognitio ex parte materiæ & ſi ſit prior,
tamen eſt imperfecta & incerta, cognitio autem formæ in
ſua materia cum ſit ultima eſt perfecta & certa & in ea
ſtatus. Et hæc ſufficiant de materia lapidis philoſophorum.

Capitulum tertium, In quo uidendum quæ sint elementa lapidis philosophorum & quomodo conueniant in auro & omnibus mixtis, & etiam in cœlestibus secundum antiquos philosophos huius artis.

Et quia diximus, quòd omnia elementa in lapide philosophorum sunt depuranda primo & post æqualiter miscenda & ponderanda & commiscendo ut compositum perpetuetur, ideo de ipsis narremus. Sunt quamplurimi hanc artem moderno tempore inquirentes & fuerunt antiquitus & semper erunt, & operantes in superficie iuxta sonum primum uerborum, quidam, ponunt ex partibus animalium, sicut sanguine, ouo, cerebro & spermate, aut superfluitatibus, ut capillis, stercore, urina, & sibi similibus, aut etiam ex uegetabilibus, sicut frumento & similibus alijs, præmissis putrefactionibus infimo, per distillationes, distillant aquam limpidam per se, secundo oleũ albũ per se, quòd est aer, & fex, quæ est remanens in fundo est terra in qua est ignis, id est, tinctura uel post oleum album sequitur oleum citrinum uel rubeum, quod est ignis. Post calcinant terram totiens quousque figatur, & imbibunt, eam cum aquis & oleis albis pluries distillatis ad album, & cum oleo rubeo in fine ad rubeum diuidendo pondera eorũ & coniungendo sicut litera sonat, & dicunt, quòd per talem diuisionem talium elementorum & depurationem & coniunctionem fit fermentum uerum & elixir magnum et lapis philosophorum. Sed isti ab elementorum & ipsorum materia prima secundum alchimistas & operatione ipsorum sunt ualde remoti. Quia oportet quòd omnis forma extra=

hatur de potentia ſuæ materiæ propinqua, cum igitur nullum illorum ſit nec eſſe poſſit materia auri nec ex eis generabitur forma auri, ergo nec lapis philoſophorum, ergo neque elementa lapidis generabuntur ex eis. Omnis enim forma debet eſſe uniuoca & eiuſdem generis cum ſua materia ex qua fit & potentialiter in materia ſua.

SED iſti ab elementorum &c. Notandum eſt quòd inueſtigatio per quam deuenire poſſumus in cognitionem ueritatis cuiuslibet rei, ſumitur neceſſario ab eſſentia & natura rei, & ab accidentibus proprijs ipſius, & non ab extraneis, & per conſequens operatio in generatione ipſius ſi ſubiacere poſſit actibus noſtris, ut inueſtigatio in cognitione hominis ſumitur ab eſſentia & natura hominis, non autem à natura ligni, & neque ab eſſentia lapidis &c. Si ergo ab extraneis quis uoluerit inueſtigare ut cognoſcat naturam rei et eſſentiã ſtabit in extraneis, ergo ſi operabitur in generatione illius rei extranea generabuntur. Quia qualis fuerit inueſtigatio talis & cognitio, ergo & per conſequens talis operatio & generatio. Cum ergo alchimia inueſtigando inquirat tranſmutare omnia metalla in aurũ, ergo prius inueſtigando habere oportet cognitionẽ auri et aliorum metallorũ. Et hæc cognitio neceſſario erit à natura & eſſentia ipſorum & accidentibus proprijs, ergo & operatio & tranſmutatio ſumetur ſimiliter ex eiſdem. Non ergo inueſtigatio ſumpta ab extraneis eſt neceſſaria nec utilis, cum non ducat nos in cognitionem rei per accidentia, ſed potius in maiorem ignorantiam, ergo nec operatio ſumetur ab ipſis cum non poſſit fieri recta operatio abſque recta cognitione & inueſtigatione præcedente, Tales enim ſic operantes abſque inueſtigatione et cognitione fortuitu laborant ſicut uident et audiunt alios

operari

operari sed non sperent aliquo modo à fortuna iuuari in operibus suis. Et sciatis quòd cognitio essentiæ & naturæ rei sumitur à cognitione principiorum suorum, principia autem sumuntur, aut à per se notis, aut à superioribus scientijs: principia autem rei sunt causæ suæ propinquæ. Mirabile ergo uidetur & fatuum cum instantia, quomodo & quare conantur operari cum prædictis extraneis, cum per illa non sit cognitio neque inuestigatio aliqua causarum & principiorum auri, scilicet uel argenti hanc eandem sententiam inuestigandi in habenda cognitione ueritatis cuiuslibet rei, ostendit & affirmat philosophus in primo de anima, qui dicit, quælibet res debet inuestigari per sua principia, hanc etiam sententiam principiorum & elementorum cognoscendam ostendens Geber dicit de principijs &c. Cognoscere uero non est possibile transmutationes corporum uel ipsius argenti uiui. Nisi super mentem artificis primo ueniat uera cognitio eorum naturæ secundum suas radices prius, ergo corporum principia notificabimus &c. Hoc autem totum recipit ingenium & similitudinem per philosophum tertio metaphysicæ dicentem. Quod eadem sunt principia essendi & cognoscendi. Et in secundo eiusdem dicit. Quod sicut res se habent ad esse, sic ad intelligi & cognosci. Quapropter bene uidimus q̃ in omnibus rebus reperiuntur tres modi, scilicet modi essendi, modi cognoscendi, seu intelligendi & modi significandi: qui tamen tres modi sunt unum & idem essentialiter: Sic quidem modus inuestigandi & cognoscendi elementa in auro & lapide philosophorum, patet uere. Nec de cætero egemus nisi inuestigatione modi operandi in eis, quæ inuestigatio fit respiciendo ad modum operationis naturæ et nõ aliter. Oportet ergo sequi naturam in materia & principijs & ele

mentis ſimilibus, in modo autem operandi quantumcunque poſſumus.

NOS ergo antiquorum ſententias occultas ex uerbis barbaris elicere uolentes de elementis dicimus quòd in omni mixto quatuor ad mixtionem conueniunt elementa, quorum duo ſunt incluſa ut ignis & aer, & duo includentia ut terra & aqua & ideo in omni mixto uidetur ſuperabundans terra & aqua. ignis autem & aer ſunt principia magis formalia & mouentia, alia uero magis materialia & quietem facientia & uirtus ignis & aeris proprie apparere non poſſunt, niſi in terra & aqua, ſicut nec uirtus formæ niſi in materia, quia ſicut forma eſt incluſa in materia ſic ignis et aer in terra & aqua. Vnde philoſophus decimoſeptimo de animalibus dicit & forma ignis non apparet per ſe omnino, quoniam ignis habet formam propriam & forma eius non apparet niſi in alio corpore &c. Item Raſis in 70. libro reprehenſionis, omne compoſitum componitur ex quatuor naturis duabus manifeſtis & duabus occultis. Cum igitur incluſa fiunt fortia, includentia uero debilia, tunc mixtum facile corrumpitur, quia principia formalia exhalāt per quæ datur forma, color, ſapor, odor & ſimilia & materalia remanent, non tamen ex toto deſerunt illa hæc. Si autem econuerſo non facile corrumpitur mixtum, quia propter fortitudinem includentium incluſa non facile reſoluuntur. Si autē ambo debilia tunc totum mixtum facile corrumpitur, quia una pars elementi nō pōt aliam retinere ut patet in camphora. Cumq; in fortitudine elementa æquantur ſecundum omnem modum poſſibilem natura tunc inuicem pariter continentur, & pars minima cuiuſque temperatur, ligatur & retinetur à ſua compare & contraria æqualiter. Ita ut hu=

midum & siccum sint æqualia in uirtutibus & calidum & frigidum, & fiunt omnino unum absque diuersitate & tunc perpetuatur mixtum, cum ibi non sit repugnantia elementorum componentium, nec contrarietas sed identitas & similitudo totalis.

DE elementis igitur secūdū alchimistas dicimus, quod elementa in hac arte sunt humidum & siccum, id est, aqua & terra & in aqua est aer & in terra ignis, ueruntamen primum elementum & radicale de quo elementa omnia alia originem contraxerunt, est humiditas siue aqua, id est, liquefactio, aut secundum alios est terra, sed quicquid sit ad idem uertitur. Et de hoc Empedocles & quidam antiqui dixerunt quòd solum unum elementum est genere alterationi & permutationi & quòd omnia generata sunt ex spissitudine unius elementi, quia quando inspissatur aqua tunc cum qualitates terræ uincant qualitates aquæ ex aqua fit terra, ergo tunc quatuor elementa conueniunt, & faciunt mixtū secundum eos: quos philosophus redarguit in libro de sensu & sensato, dicentes quòd omnia facta sunt ex aqua. Vnde dixit Morienus & Hermes quòd ex grossitie aquæ terra concreatur & alij antiqui quòd terra natat super aquas & est super aquas fundata. Et quia aqua & terra adæquantur in pondere & uirtutibus & aer adæquatur aquæ & ignis terræ, et sic mixtum fit perpetuans, ergo necessario quatuor elementa conueniunt æqualiter in compositione lapidis philosophorum & auri. Signum huius est quia cera dum liquefacta est ipsa tota dicitur aqua secūdum eos ratione humiditatis fluxibilis, dum autem coagulata est ipsa tota dicitur terra ratione siccitatis quia quolibet æqualiter ponderat. Vnde Alexander in fine suæ epistolæ dixit. Scias quòd philosophi om-

ne calidum ignem uocauerunt, & omne fluxibile aquam, & omne coagulatum terrã uel lapidem &c. Et neque aqua nec aliquod elementum simplex confert nobis aliquid utile in arte nisi omnia diuisa & depurata inuicem coniungantur & æquentur perpetue: ergo necessario cum generata erit aqua munda & candida oportet quòd ei terram coniungamus, eadem hora & coniunctis illis duobus omnia quatuor coniuncta erunt, & tunc perfectum est opus. Et si non coniungantur tũc aqua resoluitur in fumum cum terra & per consequens alia elementa propter uim et perseuerantiã ignis. Et opus annihilatur, propter quod oportet artificem cognoscere elementa simplicia penitus, antequam ipsorum compositionem incipiat ut sciat ea recte componere ad constitutionem compositi. Vnde dicitur in lumine luminum. Oportet antequam inhumentur elementa ut simul cognoscatur pondus cuiuslibet & eius similitudo & de coniunctione non est sperandum aliter. Item ibidem. Si uis elementa miscere necesse est, ut elementorum cognoscat naturas & componas contrarium cum contrario &c. Similiter in cæteris artibus & sciẽtijs oportet primo habere ueram cognitionem simplicium quæ dicuntur elementa antequam deueniatur in certam et determinatam compositionem ipsorum, quia simplicia non considerantur per se sed inquantum ex eis fit suum compositum. Vnde Alexander in suis secretis dicit. elementa simplicia nihil prosunt, cum autem complexa sunt mirabilium & altissimarum operationum, sic de alijs philosophis. Vnde conuerte elementa & quòd quæris inuenies: conuertere autem elementa est facere humidum siccum & fugiens fixũ. Item Aristoteles in secretis secretorum id idem loquitur de cõuersione elementorum. Sciatis quòd omnia elementa tunc

conuertuntur in terram actualiter & elementa alia sunt & remanent cum ea in potentia & uirtute. Propter quod dixit Hermes terra est elementũ & de terra omnia facta sunt & ad terram conuertũtur. Moyses. terra est mater elementorum, omnia de terra procedunt & ad terram conuertuntur. Sic recitat Morienus. Hæc autem terra est, corpus & fermentum, per quam omnia alia elementa perpetuantur cum ea. Secundum hunc ergo modum in compositione lapidis philosophorum & in auro conueniunt quatuor elementa. æquãtur enim ibi omnia elementa æquatione uera, secundum omnem modum possibilitatis naturæ. Vnde Rasis in libro perfecti magisterij loquens de corpore & spiritu, prout sunt principia & elementa lapidis philosophorum ratione qualitatum contrariarum temperatarum in eis dicit sic. Cũ uero alternatim modo congruo desponsantur, generatur ab eis substantia temperata, quam non potest ignis uiolentia superare, nec terræ feculentia uitiare, nec aquæ limositas condemnare nec contactus aeris obumbrare &c. Et ideo aurũ & lapis philosophorum non corrumpuntur, in igne quantumcunque stent in igne, ipsa enim generata sunt in igne: & sicut locus ad generationem rei sic & ad conseruationem eius, quia omnis res ferè tam uegetabilis quàm mineralis et similiter animalis in loco proprio generationis melius quàm alibi conseruatur: quia igitur lapis philosophorum & similiter aurum præsertim alchimicum sunt generata in igne, ergo proprius locus conseruationis & melior erit ignis, quia inter ea actio non fit nec passio corruptiua, quia quandocunque agens tantum potest in agendo, quantum patiens in patiendo, & econuerso tunc perpetuatur patiens per actionem agentis, quia ergo lapis philosophorum tantum potest

contra ignem in patiendo quantum ignis in agendo, ergo est perpetuus in igne, patitur enim passione quæ est salus & perfectio, non autem passione quæ abijcit à substantia.

EX quibus directe patet ueritas & intellectus antiquorum philosophorum de generatione corporum cœlestium quam posuerunt ex elementis & ipsa esse incorruptibilia. Posuerunt enim cœlum & cœlestia sic mixta & ideo incorruptibilia facta, quoniam principia materialia non possunt à formalibus separari, nec econuerso cum in eis non fiat actio & passio propter æqualitatem in uirtutibus actiuis & passiuis: & ideo natura sagax secundum eos posuit ignem, seu sphærá ignis iuxta cœlestia ad conseruationem ipsorum cum sit maxime actiuus. Qualiter ergo est proportio illius ignis materialis ad lapidem philosophorum & aurum, talis est proportio ignis elementi in sphæra sua ad cœlestia corpora. Sicut igitur hæc in hoc igne conseruantur in esse suo absque corruptione aliqua, sic & illa, scilicet cœlestia in illo igne, & tales res gaudent igne, ut dixit Alexander: Verumtamen cœlestia sic à solo Deo processerunt iussu Dei. Lapis autem philosophorum & ipsorum aurum, à Deo non solo sed à natura etiam, non tamen à natura sola, sed ut est ab artificis uoluntate directa iussu Dei: quoniam natura sola non potest nec scit in ijs æquare elementa in uirtutibus, ut perpetuentur in mixto, nisi prout est ab artificis uoluntate directa. Et per hunc modum etiam, scilicet uoluntatis diuinæ, cœlestia corpora incorruptibilia sunt, ut dicit Plato. Et sic patet quomodo ars iuuat naturam, ideo non possumus sequi naturam in modo sui operis, sed sic in opere. Ex quo patet quòd nostra uoluntas cum sapientia ingreditur opus hoc, sicut complens & perficiens, & præparans, quia uo=

luntas cum sapientia cognoscit naturam & opera eius & ipsam sequitur & gubernat propter eundem finem, ut superius dictum est.

IVXTA dicta. Sunt ergo omnia elementa numero quatuor, ratione quatuor qualitatum primarum: & sunt conuertibilia ad inuicem quia quodlibet est in quolibet, potentia & uirtute, propter quod reciproce continuo generantur & corrumpuntur. in substantia autem ab exordio mundi unum solum est elementum quod est materia prima, ex cuius diuisione propter repugnantiam quatuor qualitatum, generata sunt quatuor elementa quæ erant ibi in potentia. Similiter in huius lapidis ortu sunt quatuor elementa in potentia in uno quod est materia prima quæ inenarrabili artificio diuiduntur & complectuntur. Censemus porrò hunc lapidem esse perpetuum & incorruptibilem super ignem, non solum propter adæquationem quatuor elementorum in uiribus suis, sed & propter coniunctionem quinti elementi cum illis, quia sicut maior mundus ex quatuor elementis corruptibilibus est compositus & uno incorruptibili quod dicitur quinta essentia. Sic & ars, diuina uirtute quatuor elementa lapidis corruptibilia nexu & nodo unius incorruptibilis, quod quinta essentia dicitur in hoc minori mundo indissolubiliter copulauit, quod etiam quintum dicitur elementum. ideo dixit Auicenna, hoc esse unum quinque elementorum: unde Alexander dicit. Initium huius artis ex quatuor est uiribus peragentibus, scilicet appetitiua, retentiua, digestiua & expulsiua siue mundificatiua & quinta, scilicet anima, seu uita stans, ortus & lumen clarissimum propter quod dicit eã non esse calidam, nec frigidam, nec humidam, nec siccam. Est autem hæc quinta essentia sulphur diuinum incorruptibi-

le, quo compositum incorruptibile perpetuo perseuerat. Et sicut humidum & siccum sunt elementa huius artis secundũ modum quem diximus, sic etiam anima spiritus & corpus, cum sint unum & idem tum humido & sicco & econuerso. Eodem fixum & uolatile sunt elementa. Similiter etiam candidum & rubicundum. Ad hoc etiam sulphur & argentũ uiuum, similiter aurum & argentum uiuum: quoniam eadem est sententia omnium & quia inter omnia elementa quatuor sola terra est fixa & ars alchimiæ uult suum lapidem esse fixum, ideo oportet necessario quòd in fine operis cõuertantur omnia elementa in terram, id est, fixionem secũdum philosophos. Quæ igitur dixerunt antiqui philosophi ante Aristo. de elementis & post ipsum in hac arte & de elementatis & ipsorum generatione ex uno solo elemento, aut duobus, aut tribus, aut quatuor, & ipsorum corruptibilitate, & perpetuitate secundum allegoriam dixerunt.

De fermento, & modis, & conditionibus, & proprietatibus & conuersione quam facit, secundum philosophos huius artis dicemus.

CAP. IIII.

d E fermento ergo sine quo ars alchimiæ perfici & compleri non potest, philosophi occultissime & uelatis sermonibus certauerunt, quoniam ipsum est de secretissimis terminis huius artis. sicut ergo intelligimus disseramus nunc. Apud philosophos fermentum dupliciter uidetur dici. uno modo ipse lapis ex suis elementis compositus & completus in comparatione ad metalla. Alio modo illud quod

est perficiens lapidem & ipsum complens. De primo modo dicimus, quòd sicut fermentum pastæ uincit pastam & ad se conuertit semper, sic & hic lapis, conuertit ad se metalla reliqua. Et sicut una pars fermenti pastæ habet conuertere infinitas partes pastæ uicissim & non conuerti, sic & hic lapis habet conuertere plurimas partes metallorum ad se & non conuerti. Et sicut pasta alteratur & conuertitur ab eo ꝓ suæ naturæ est & quòd sumpsit originem ex ea, nec conuertitur à re extranea. Simili modo metalla alterantur & conuertuntur ab eo quod suæ naturæ est & quod sumpsit originem ex eis & non ab alia re extranea. Et sicut pasta non alterat nec conuertit aliam pastam ad se, nisi prius alteretur & recipiat uirtutem quandam additam per quam recipit potentiam alterandi & conuertendi aliam pastam ad se, simili modo hic lapis non alterat, nec conuertit metalla ad se, nisi prius alteretur & conuertatur & recipiat uirtutem quandam additam per quam habeat potentiam alterandi & conuertendi metalla ad se, unde dicitur in turba philosophorũ, quòd non alterat nisi prius alteretur, nec colorat nisi prius coloretur, nec mutat nisi prius mutetur. Et sicut fermentũ recipit illam uirtutem alterandi, conuertendi & transmutandi aliam pastam à calore quodam occulto ibi decoquente per caliditatem aeris continentis & digerente & extrahente in actu de potentia materiæ quod erat ibi in potentia, per quã uirtutem conuertit aliam pastam in potentia existentem omnino ad se, simili modo hic lapis recipit uirtutem alterandi, conuertendi & transmutandi omnia metalla à calore quodã, scilicet artis decoquente digerente & extrahente in actu de potentia materiæ, uirtutem illam per quam metalla omnia ad se conuertit, quoniam sine calore non est digestio nec ope

ratio nec motus, ut dicit Theophilus. Veruntamen est scien dum quòd est diuersitas magna in hoc fermento & illo. Nã pastæ per talem decoctionem nihil aufertur, quando fermen tatur cum in ea nihil sit superfluum, sed in hoc oportet, ut per decoctionem demantur partes superfluæ corrumpentes si= cut facit natura in decoctione auri, quibus demptis dirigitur lapis & recipit tunc uirtutem alterandi, conuertendi & trãs mutandi ex se solo non ex alio sicut patet in pasta per inge= nium ualde extraneum & profundum artis ministrantis. Vnde Rasis libro perfecti magisterij dicit quòd omnia sunt in idipsum, scilicet calidum, frigidum, durum, molle, humidũ, siccum, graue, leue, asperum & lene &c. Et Auicenna in fine sui tractatus, hoc elixir tingitur tinctura sua & sub= mergitur oleo suo et figitur calce sua etc. Sicut igitur fermẽtũ massæ fit ex massa & oãm aliam massam ad se conuertit sic & fermentum metallorum fit ex eadem substantia metallo= rum & omnia metalla ad se conuertit, & cum metalla sint generata ex sulphure & argento uiuo, ergo & hoc fermẽ tum generabitur ex eisdem & cum hoc fermentum conuer= tere debeat omnia metalla in aurũ, & aurum sit ex solo ar gento uiuo purissimo absque permanentia sulphuris genera= tum, ut infra probabitur, ergo ex solo argento uiuo, hoc fermentum siue lapis fieri debet per alchimiam.

EX quibus liquide patet, quòd hoc fermentum siue la= pis duplici de causa potest dici fermentum. Prima quia si= cut fermentũ massæ non fit nisi ex simili substantia nõ extra nea per quam omnem massam ad se conuertit, simili modo & hic fit ex substantia metallorum & non ex re extranea. Secunda causa quia sicut fermentum massæ remanet idem quod prius s. cum uirtute conuertendi addita omnem mas=

ſam conuertit ad ſe, ſic & hoc. Ex quo patet quòd argentum uiuum fermentatum & ad materiam fermenti conuerſum, conuertet ad ſe omne liquabile ſui generis, ſcilicet omne metallum cum ſint ſimilis liquefactionis ſicut ipſum argentum uiuum. Et cum ipſius generatio proprie ſecundum materiam ſit ex argento uiuo ſolo ſicut eſt aurum, ergo omnia conuertet in aurum.

SED aduertendum occurrit, quòd conuerſio metallorum per ipſum ad ſubſtantiam auri, eſt non conuertere omnino ad ſe ſicut fermentum paſtã conuertit. Et ratio eſt, quia tunc ſequeretur quòd per ipſius conuerſionem nunquam haberemus aurum, nec aliud metallum, quia ſicut tota paſta conuertitur ad naturam fermenti & fit fermentum, & ſic metalla omnia fierent, lapis ille ſiue fermentum: de hac autem conuerſione non curat alchimia. Sed ego imaginor quòd conuerſio metallorum, per ipſum ſit reductio ipſorum ad quoddam medium, ſcilicet in ſubſtantia, in colore, in digeſtione & in fuſione & in ſonoritate, & per hanc talem conuerſionem fient aurum. In ſubſtantia quidem quia cum aurum habeat ſubſtantiam mediam in duritie & mollitie inter omnia metalla propter eius ſummam perfectionem. Ita hic lapis conuertit & reducit, omnia metalla ad ſubſtantiam mediam ſicut eſt illa ſubſtãtia auri. In colore uero quia quædam ſunt nigra, ut Saturnus & Mars, quædam rubea ut Venus, quædam liuida alba ut Iupiter, quædam alba albedine uera ut Luna, quædam crocea ut Sol & hic color eſt medius omnium, ad quem hoc fermentum conuertit. In digeſtione uero, non omnis digeſtio fit per calidum, calidum autem comburens generat Venerem & Martem, diminutum autem Saturnum & Iouem. Temperatum autem

generauit Lunam & Solem, sed magis proprie Solem. Vnde Rasis libro septuaginta præceptorum libro primo. Melius quod est in lapide est digestio & digestio quidem est æqualitas & applicatio ad complementum. In fusione uero, quia Venus funditur cum difficultate, Mars autem non nisi cum difficultate, & ingenio, Iupiter autem & Saturnus facile, Sol autem, & Luna medio modo. Ad hoc autem medium conuertuntur per dictum fermentum. In sonoritate uero, quia quædam sunt muta in sono ut Iupiter & Saturnus, quædam in sono acuta, ut Mars & Venus, & Luna, Sol autem tenet medium. Ad quod per hunc lapidem reducuntur. Sed in pondere & extensione sub malleo omnia præcellit propter suam ultimam perfectionem. Quia ultima subtiliatio partium metallorum & suorum principiorum & uniformitas in substantia est causa magni ponderis & aliarum conditionum, contrarium autem contrarij. Reductio autē talis fit per ipsorum commixtionem secundum determinata pondera. Et quamuis lapis hic conuertat, quodammodo tamen etiam conuertitur & patitur. in omni enim mixtione fit actio & passio mixtorum adinuicem & mutatio in quoddam tertium, quamuis aliquod eorum prædominetur, secundum diuersam ipsorum proportionem, ut patet primo perigeneseos.

FERMENTVM autem secundo modo dictum est illud quod est lapidem perficiens, & ipsum complens sine quo lapis philosophorū constare non potest & hoc proprie est fermentum. In quo tota artis est difficultas.

FERMENTVM autem &c. Nota quòd fermentum dicitur quasi à feruore, quia feruere, ebullire & crescere facit pastam & habet substantiam unam per totum similem

& habet uirtutem uictricem & dominantem occultam & conuersiuam pastæ in sui similitudinem, rectificando enim reducit eam ad statum dignioré & melioré: Vnde Hermes. Scias quòd fermentum pastæ non fit nisi ex sua natura, ita similiter & fermentum auri &c. Relinquitur quòd fermentum compositum est ex diuersis uirtutibus occultis in una substantia. Ad propositum. Cum ergo corpus quòd est occultũ in argento uiuo philosophorum per alchimiam generato habeat substantiam unam per totum similem & conuertet in sui similitudinem totum illud argentum uiuum dictum cum ei miscetur per uoluntatem artificis & faciat ipsum feruere, ebullire & excrescere secundum similitudinem quandam per uirtutem suam occultam uictricem dominantem & conuertentem ipsum corrumpendo, id est, mortificando rectificando & reducendo ad statum digniorem & meliorem, ideo digne nominatum est illud corpus fermentum. Argentum enim uiuum de se nihil ualet, cum autem cum illo suo corpore occulto mortificatur, retinetur cum eo semper & uita uiuit incorruptibili in æternum & cum suum corpus sit de natura solis, oportet quòd totum illud cõuertat in naturam Solis & totum fiat fermentum conuertens omnia in Solem.

HOC autem fermentum est occultum sensui, sed intellectu & rationi manifestum, & est corpus retinens animã, & tunc animas suas uires demonstrat cum suo corpori est unita, quas sine unione monstrare non potest.

Cum ergo animam candidam ortam artifex uisu perpenderit, suo corpori eodem momento coniungat: non enim potest anima sine suo corpore detineri, talis autem unio fit mediante spiritu, quia anima non potest uitam habere in corpore suo nec perseuerantiam nisi per spiritum & talis unio &

coniunctio est finis operis. Neque est intelligendum quòd hoc scilicet corpus cui coniungitur, sit aliquid nouum & extraneum quod addatur, nisi quod erat occultum fit manifestum & econuerso sicut patet in cera liquefacta quando coagulatur: ita quòd uirtus corporis tam fortis est quòd anima de cætero in æternum separari non potest. Vnde dicitur in turba philosophorum quòd corpus habet maiorem uim fratribus suis, id est, anima & spiritu: & dicit Plato in stollicis. Non retinetur res nisi à fortiori illa. Vnde sicut pasta absque suo fermento intrinseco fermentum non potest. Ita sine hoc corpore spirituali occulto lapis non potest fermentari, nec perfici nec compleri. Quamuis in rei ueritate ipse lapis secundum se totum, secundum corpus, secundum animã & secundum spiritum semper sit idem secundum rem. Sed secundum diuersas relationes & intentiones philosophorum dicunt ipsum esse nunc hoc, nunc illud. Et hoc uoluit Plato quando dixit quòd materia fluit in infinitum nisi forma sistat fluxum, oportet enim quòd corpus retineat animam ne ipsa fluat. Et sic intellexit Rosinus, & antiqui primi quando dixerunt, omne corpus quod animam inuenit, facile ipsam occupat. Et de hoc prophetauit Plato quasi diem iudicij qui dixit in quarto stollicarum & Hamec in cõmento scilicet. Oportet quòd coniungatur anima cum suo primo corpore de quo fuit & non cum alio, quod nisi feceris deficies à proposito sicut plures ignorantium eo quòd ignorant hoc secretum. Et ideo Rasis in lumine luminum appellat hoc corpus spirituale occultum, quod est fermentum formã. Cum dicit, non ingrediendi uero causa est, quia ipsum corpus est forma, spiritus uero materia &c. Et uere & subtiliter loquitur, quia sicut materia non habet esse sine forma

sed totum esse suum & dependentia est à forma. Ita anima mediante spiritu, non potest esse in ipso lapide, nisi per corpus, quia eorum esse, & perfectio dependet à corpore. Ideo corpus est uinculum et forma eorum quamuis sint idē. Similiter igitur patet quòd corpus sit forma quia illud quod disponit rem ultima dispositione & ipsum complet est forma specifica eius, sed corpus est huiusmodi ut diximus ergo etc. Similiter cum omne compositum sit ex materia & forma, & ipse spiritus met sit materia, ergo corpus erit forma. Similiter cum fixum sit informās tam lapidem quàm aurū, & sit de natura corporis. Mercurius autem sit qui figitur & informatur, & sic de natura spiritus, ergo corpus est forma. Et iterum, quia quod est principium totalis cognitionis alicuius rei, est forma specifica eius sed ipsum corpus sic est ut diximus ergo &c. Ideo notanter dixit Plato in primo stollicarum. Cognitio corporum ad qualitatum, principium eorum est, ex eo quòd facit opus facile &c.

HOC ergo corpus est, quod est forma & fermentum & perfectio & tinctura quam philosophi quæsierunt, & est sol & aurum philosophorum: quod est album in actu et rubeum in potentia & album est imperfectum & perficitur rubedine & non alio ut dicitur in turba philosophorum. Et hoc est quod dixit Rosinus scilicet sol albus est apparitione, rubens uero experimento. Et Anaxagoras dixit. Solem esse lapidem rubeum ardentem, anima autem cui iungitur sol spiritu mediante, est alba & est de natura lunæ & dicitur argentum uiuum philosophorum. Et ideo nunc patet ueritas eius quod dixit Hermes scilicet quòd sine rubeo lapide nulla fit uerax tinctura. Et patet ueritas eius quòd dixit Morienus, scilicet quòd ad effectum non perueniunt, donec

ſol & luna in unum corpus redigantur, quod ante Dei præ ceptum euenire non poteſt. Et patet etiam quomodo ſine ſo le ars alchimiæ non perficitur nec completur, quoniam ipſe eſt uerum fermentum tam ſolis quàm lunæ. Et patet etiam ueritas eius quod dicit Raſis in lumine luminum, ſcilicet ru bicundus ſeruus candidam ducit uxorem. Et ſimiliter ueri= tas eius quod dicit alibi. Niſi quis ruborem cũ candore adij ciat etiam ad ruboris fulgorem accedere non poteſt. Et pa= tet ſimiliter quomodo duplex eſt aurum, unũ album aliud ru beum. De quibus dicit Roſinus. Tu uero niſi aurum in au rum ponas uel habes. Et de hoc auro albo dicit Raſis libro perfecti magiſterij quòd ipſum eſt corpus neutrum quia nec ægrum nec ſanum & hoc aurum album eſt argentum ui= uum. De quo dicit Geber capitulo de argento uiuo, quòd nullum metallorum ſubmergitur in ipſo niſi ſol & quod eſt medium coniungendi tincturas. Et iterum de hoc ſole & argento uiuo dicit capitulo de natura ſolis. Cum ipſo ſimi= liter commiſcentur ſpiritus & figuntur per ipſum maximo ingenio, quòd non peruenit ad artificem duræ ceruicis &c. quæ uerba uidentur plana, ſed ſunt ualde deceptoria. Et q̃ hoc ſit uere fermentum uidetur uelle Hermes in 7. qui dicit. Et notandum quòd fermentum confectionem dealbat, combu ſtionem inhibet, tincturam continet, ne fugiant corpora le nificat, & ſe inuicem ingredi facit & coniungi, quod finis eſt operum &c. Et Morienus fermentum auri aurum eſt ſicut fermentum paſtæ paſta eſt.

EX quibus omnibus liquide patet quomodo ſol & luna ſunt eiuſdem naturæ, & quòd luna præcedit ſolem, & or= dinatur ad ipſum, & quomodo ſol eſt occultus in luna & quomodo de uentre lunæ ſol extrahitur. Ideo dixit Senior

quòd

quòd sol est oriens in luna crescente. Et Zeno in turba philo sophorum. Scitote omnes huius artis inuestigatores, quòd nisi dealbetis nõ potestis rubeum facere, eo quòd duæ naturæ, nihil aliud sunt quàm rubeum & album & de albo fit rubeum & album. Item Dardanus in eodem: sciatis firmissime quòd si parum auri in compositione ponatur exiet tinctura patens candida. Item Alphidius in eodẽ: scitote quòd totius operis initiũ est dealbatio cui succedit rubor post quod est operis perfectio. Vnde dicit Lilium. Quia spiritus & anima, nunquam uniuntur uero modo nisi in albo colore, eædem enim sunt res quæ dealbant & rubificant intus & extra ut idem in eodem dicit. Et quia hoc totum, scilicet corpus & anima simul unita per spiritum est de pura natura auri, ergo quicquid conuertit, penitus conuertet ad naturam auri: quia quamuis hæc tota massa sit in fine primi magisterij & primi gradus alba propter naturam lunæ ibi tunc apparentem. Attamen quia Sol est ibi occultus & sicut dominans cum sit fermentum, facit illam massam in potentia propinquissima rubeam in secundo magisterio & gradu. In magisterio autem tertio quòd est gradus tertius & decoctio secunda & ultima, fermentum dominatur in actu & conuertit totam illam massam in naturam rubedinis actualẽ talem ut est in croco ut dicit Zeno & Rasis & Lilium &c. Amplius dicimus quòd hoc fermentum est istud forte & fortissimum, quod omnia uincit & ad se conuertit. Item relinquitur ex dictis quòd non ex aliqua alia re fit hoc fermentum quàm ex illa substantia de qua est aurum, & quia aurum est ex solo argento uiuo: & ultimus finis intentus est generare aurum quod enim est principium in intentione est ultimum in operis executione. Vnde Geber ubi loquitur de

numero decem medicinarum ponit quòd per hunc lapidem conuertitur argentum uiuum in aurum & omne metallum similiter, & sic omnis philosophus. Non autem intelligitur quòd fermentum hoc de quo loquuntur alchimistæ, quòd cõuertat alia in seipsum quemadmodum fermentum massæ cõuertit ad se continue in infinitum illud quòd est sui generis.

CORPVS igitur hoc &c. Notandum quòd antiqui philosophi huius artis appellauerunt corpus circa illud q̃ secũdũ potentiã naturalẽ habet fixionẽ & permanentiam ad pugnam ignis, cum continua perseuerantia. Et super hoc habet potentiam retinendi secum in commixtione istud, quod non est corpus, & est de sui natura incorporeũ aũt siue non corpus siue animam, appellauerunt, omne istud quòd secundum sui potentiam naturalem non habet fixionem, nec permanentiã ad pugnam ignis, sed eleuatur & euolat ab igne & super hoc habet potentiam eleuandi in fumum corpus in eo occultum quod est de sui natura. Et hoc est anima. De qua quidam philosophorum dixerunt eam esse aerem, quidam ignem, quidam uaporem incorporalissimum, quidam substãtiam tenuissimam, quia secundum analogiam locuti sunt. Spiritum autem appellauerunt omne illud, quòd subtiliatũ uel solutum uel liquefactum ad ignem secundum sui potentiam, naturalem habet potentiam resoluendi corpus cum anima in uaporem, uel retinendi animam cum corpore ad pugnam ignis, ut non euaporent, quia spiritus cum æqualis fuerit facit corpus retinere animam, & cum fuerit fortis facit animã separari à corpore et manet cum corpore, quoniam sine spiritu, nec anima cum corpore manet, nec à corpore separat, cum ipsorum sit uinculum: una tamen & eadem res in substantia est habens omnes istas proprietates &

operationes dum enim in liquefactione permanet ratione subtilitatis dititur spiritus sine quo spiritu non potest fieri genetio animæ, & corporis, nec coniunctio animæ & corporis: unde in toto magisterio dominatur spiritus in actu usquequo generetur anima & corpus, dum autem uolare potest ab igne dicitur anima, dum autem manere potest in igne & perseuerare dicitur corpus. Si ergo tempore generationis: anima steterit in igne & seruauerunt uires eius per uim spiritus, tunc uolat ab igne & trahit secum corpus ad uolatū & permanet operans uacuus à proposito, & expectat quòd iam uenit & iam recessit & nunquam de cætero est uenturum & uidetur mirabile ei. Si enim prævaluerunt uires corporis tunc super uires animæ, per æqualitatem spiritus, conuersum de actu in habitum, tunc corpus retinet animam ne unquam habeat uim fugiendi ab igne & operans tunc habet propositum ut habuerunt antiqui tunc spiritus permanet cum eis semper, quandoque in actu, & quandoque in habitu: quod totum concipitur ex uerbis Platonis in turba philosophorum & in stollicis & ex uerbis Senioris, & Haly, & Rasis & aliorum omnium. Quia ergo hoc corpus perficit & retinet animam & dat esse sibi & toti operi, & anima in hoc corpore demostrat uires suas, & per spiritum fit hoc totum, ideo digne quamuis metaphorice dixerunt corpus formam esse unum. ergo & idem secundum substantias, quandoque dicitur spiritus, quandoque anima, quandoque corpus diuersis respectibus. Alia igitur est consideratio spiritus, animæ & corporis, quo ad philosophum alchimistam, & alia quo ad naturalem philosophum & metaphysicum, immo ualde diuersa subtiliter speculanti. Et sciatis similiter ꝙ spiritus procedit æqualiter ab utroque necessario.

SED dices quomodo intelligitur illud quòd Plato dicit in quarto ſtollicarum, ſuperfluum eſt apud operantes hanc ſcientiam, quia qui præparauit ſemel hoc opus ditatus eſt ab iteratione operis, hoc autem non uidetur illi qui non eſt peritus in ijs ſcientijs ſuperioribus &c. Idem ibidem oportet q̃ ſpiritus coniungatur cũ corpore de quo fuit principium operationis & diues fit operans per hunc effectum ſpiritus, ſine hoc quòd iteret, opus. Velut qui trahit ignem à lapide diues eſt ab igne quia poterit multiplicare & augmentare ſine termino: ita quòd afficitur tædio operans & oportebit ipſum derelinquere partem. Item Raſis in primo 70. præceptorum. Qui ſemel perfecit opus ditatus eſt, & idem libro perfecti magiſterij, neque indigebis huius rei reiteratione, ex quo ipſam ſemel recte peregeris. Ego autem rationabiliter non poſſum imaginari illud niſi ſolum illud ſicut dictum eſt. Non enim hoc fermentum multiplicat ſeipſum in infinitum: ita quòd minima pars eius extenditur ſemper in infinitum. Ad illud autem quòd dicit Plato & Hamec & Raſis dicimus q̃ eorum dicta non intelliguntur ſecundum ſonum literæ. Nã qui errat in opere experiendo eget reiteratione ſecũdo & tertio, & totiens quouſque quod appetit comprehendat: ut ibi dicit Raſis. cum autem ſemel perfecerit non eget reiteratione illa, ſcilicet perfectionis, quia aliter reiterat perfectus & imperfectus in opere. Volunt ergo quòd poſtquam opus ſemel recte peregeris ex cognitione cõditionum omnium & circunſtantiarum quòd tu es diues ratione cognitionis, quia potes reiterare quotiens uis ſine fallacia: & ideo non æges reiteratione huius rei ratione cognitionis cum ipſa ſit infinita, neque ratione probationis, ſed ſic ratione operis. Item dicit Raſis in lumine luminum & expoſitor, non niſi ſemel eges la

pide, id est, ut cognoscas eius pondera. Morienus, ecce quia cognitio & scientia huius rei infinita uidetur, sed operatio pluries reiterata & finita.

VNDE dicendum quòd cum operans in operatione sua scilicet in decoctione et putrefactione peruenerit ad finem primi gradus in quo apparet color primus, & simplex, post antecessionem omniũ aliorum colorum quare color est albus tempore maturationis apparens tunc statim incipitur secundus gradus operis, & hic secundus gradus est fermentum & fermentatio massæ. Tunc enim elementa omnia debẽt æqualiter ponderari & commisceri & non palpari, cum sint facta illo colore simplicia & mundissima & cum commixta sunt, facta sunt perpetua super ignem, & operans factus est diues, tunc per hunc effectum non eget reiteratione illius effectus in illo magisterio, scilicet cognitione ut alias reiteret quando uult nouum opus. Quia si tunc non coniungat elementa euanescunt ab igne propter uim spiritus & rei uolatilis dominantis & fit pauper cum perdet diuitias acquisitas. Vnde hanc difficultatem inquirendi & inueniendi fermentũ infinitum insinuans Geber hoc spoliationum capitulo de auro & perditionis operis in hora una & inuentionis dicit sic. Et sciatis quòd nisi posueritis leuamentum, amittitis totã perfectionem & hæc est clauis omnium philosophorum. Haly in suis secretis qui hunc lapidem honoratum cum germinauit non inueniet, non surget alius loco suo. Et Plato in stollicis, caue ne in putrefactione peruenias ad terminum nociuum. Si enim contraxerit opus in solutione moram fortasse augmentabitur in corruptione. Vnde caue ab hoc &c. Idem in eodem: ditatus est operans ab eo quod retinetur, cum peruenerit ad terminum in quo nihil potest uideri subtilius. Nõ

tamen ſum fidei iuſſor de defectu & diminutione, quoniam eſt in loco multorum accidentium & defectuum. Ita quòd poteſt eſſe & cum ſaluatione & cum errore &c. Vnde alius dicit: quomodo eſt quòd putrefactio fuit eius cibus & uita, deinde facta eſt eius mors & ruina. Et ipſe reſpondet per exemplum fœtus in matrice. Et hoc eſt quod uoluit Pythagoras & Eraclitus & alij antiqui, ſcilicet quòd omnia ſunt in continuo fluxu, & tam cito uelociterq; mutantur, ut nulla natura permanente aliquo tempore ſit fixa in rebus ſed continuo & ſubito permittetur. Nóne uidemus in ijs quæ per artem coquuntur quæ noſtræ ſubiacent uoluntati, ut panis & confectiones de melle & de zuccaro ſolidæ ſubſtãtiæ cum fuerunt in complemento ſuæ decoctionis perfecta ſunt & ab igne remouenda ſunt, & ſi ulterius coquantur comburũtur & deſtruuntur, quamuis completa & perfecta ſint: neque eget homo reiteratione illius decoctionis perfectæ in illo opere. Vnde etiam Haly adducit nobis exemplum de ſapone, quoniam habet terminum decoctionis perfectæ quàm ſi artifex tranſgreditur corrumpit ipſum quamuis non ſit totalis ſimilitudo.

EX quibus liquide patet quòd oportet artificem, continuo eſſe uigilem cum fuerit in opere, ut cum peruenerit ad gradum primum illius perfectæ decoctionis in quo ſubtilius non poteſt uideri: ibi permaneat quia uoluntas perficit ſecundum gradum & coniungit primo, & reiteratione eius non æget ſi recte peregerit, & ditatus eſt, immo ſi reiterare uellet non poſſet. Quod ſi ulterius tranſcendat, euaneſcit opus (quia ſumma uolatilis quæ eſt de natura ſpiritus ſuperat ſummam fixi quæ eſt fermentum propter uim caloris ignis, & ſic euaneſcunt omnia elementa. Quicunque ergo tunc

per compoſitionem ſciunt concordare & pacificare elementa cum ſint contraria perficiet opus & faciet mira & non aliter. Vide ergo ne radicem hanc prætereas, nec aliquã eius quæras mutationem.

CAVSA quippe eius quòd dictum eſt quia in fine perfectæ decoctionis & putrefactionis, natura generat miniſtratione artis materiam ſimplicem nudam non coniunctam formæ ſuæ: quã antiqui uocauerũt materiam primam propter ſimilitudinem cum materia prima mundi, antequam informaretur, de qua dicit Plato in tertio Thimei, quòd cum materiam primam imaginamur, patimur uelut ſomniantes: & eget hæc materia coniunctione cum forma ſua quæ eſt fermẽtum quòd quidem fermentum occultum eſt in gremio eius: quæ coniunctio debet fieri ſtatim in ortu materiæ, ut materia permaneat & perſeueret, natura enim ſola hanc coniunctionem facere non poteſt, quia actio naturæ eſt continuo cũ igne & actio ignis eſt infinita ut dicitur ſecundo de anima, & eſt irrationalis & omne quòd efficit de ſe deſtruit, ſed anima artificis menſurans ipſum imponit ſibi finem, quando uult & conſeruat quod generauit ignis. Cum igitur artis ſapientia ipſa coniungit poſt completam actionem naturæ faciendo naturam ab actione deſiſtere: & de cætero in igne poterit conſeruari in infinitum abſque aliqua menſuratione ignis facta ab artifice, quòd eſt mirabile, quia igne gaudet, ſic res quælibet inanimata in loco proprio ſuæ generationis. Ideo artifex tunc ab operatione & uigilia eſt totaliter abſolutus & poteſt quieſcere. Vnde dicit, Socrates in turba philoſophorum, de hac coniunctione. Ci autem noto nil aliud eſt quàm opus mulierum & ludus puerorum &c. Non enim artifex plus laboris eget, occupatione illius, ſed debet

ab eo quiescere, aut quæcunque uult ab hoc magisterio potest agere. propter hæc coniunctio facillima res est. Tunc enim sola custodia totum complet negotium, ut dicit Rasis in lumine luminum. Sic enim elementa tunc coniunguntur & perpetuantur propter uim frumenti. Vnde dixit, Morienus: & in hora coniunctionis maxima mirabilia apparebunt. Et sicut elementorum ablutio & depuratio fit per præsentiam ignis sic eorum, scilicet ablutorum coniunctio & perpetuatio & fermentatio fit per ipsius absentiam. Vnde Rasis libro trium uerborum. Et hoc fit uirtute Dei temperamento ignis & moderantia terminorum ignis. Vnde Morienus: eius ignis est tota huius rei uera at perfecta probatio &c. Et Plato in stollicis in trigesimo. Igneitas contrariatur in hora coagulationis. i. ferméti. Idé in lib. sanationum. Cómodum & incómodum huius rei prouenit á cómodo uel incómodo ignis. Nota circa literá. Ci aút noto. i. plúbo quod é ferméti corpus.

De tempore fermentandi.

AMPLIVS sciendum est quòd hoc tempus fermenti & fermentandi massam est tempus, in quo germinat lapis, quia oritur sicut germinantia, sicut dicit Haly, & Plato, & omnis alter. Et quia germinatio proprie est uegetabiliú & reditio rei post corruptioné ad id quod erat tempore præfinito. Ideo cum hic lapis quasi germinet, redeundo ad id quod erat similabitur quasi uegetabilibus. Cum igitur esset in principio argentum uiuum coagulatum, ergo quando orietur argentum uiuum per decoctionem tunc germinauit, sed cum sit liquefactum per decoctionem, oportet quòd tunc coaguletur & hæc congelatio fit cum fermento siue corpore suo, quod idem est, & hæc proprie est alchimia instrumentaliter. Rasis in lumine luminum. Quæ seminauerit ho-

mo hæc metet. Item ibidem. Omne ſemen in terra proiectum proprio generi correſpondet quòd ſi diuerſa ſeminis genera adinuicem mixta ſint unũquodque proprium exprimit genus &c. Non enim generant res niſi ſibi ſimilia, nec fructificant res niſi fructus ſuos &c. Item Senior. Mineralia non nutriuntur ut exeant à radice ſua, ſed redeunt ad id ex quo fuerunt, nec conuertuntur ex hoc ad aliud, & qui aliud dicit falſum dicit. Sic igitur patet quid ſit fermentum & eius germinatio & compoſitio.

CAVSA quippe &c. quamuis hoc dictum ſit extraneum & mirãdum, ſcilicet quòd natura generat materiam ſimplicem informem non coniunctam ſuæ formæ. Attamen eſt uerum ſecundum antiquos, ſed ſimilitudinarie. Et philoſophus in decimoſexto de animalibus ſimili uerbo mirando utitur, ubi oſtendit, quòd anima uegetatiua & ſenſitiua dantur ab intrinſeco materiæ, intellectus autẽ ab extriaſeco, unde dicit ipſe ſic ibi. Corpus ſpermatis cum quo exit ſemen ſpiritus qui eſt uirtus principij animæ, eſt ſeparatum à corpore, id eſt materia & eſt res diuina & tale dicitur intellectus & iſte ſpiritus non ſeparatur à ſpermate &c. Ecce quod ponit ſperma ſeparatum à corpore, quamuis in rei ueritate non ſit ſeparatum nec eſſe poſſit, intelligendum eſt ergo corpus ſpermatis ſeparatum à corpore, non quia non ſit in materia ſpermatis, ſed quia eſt ibi quoddam occultum non eductum de materia ſpermatis, ſed ab extrinſeco datum, quod eſt intellectus, ad cuius poteſtatem corpus ſpermatis ſic ſpiritualiter diſponitur. Eodem modo eſt hic intelligendũ, ſcilicet ſecundum analogiam cum tota traditio artis illius ſit analoga & typica &c.

AMPLIVS notãdum pro maiori intellectu prædicto

rum, quòd operationes caloris in generatione & corruptione inquantum calor, non sunt determinatæ nec ordinatæ ad aliquem unum finem determinatum & manifestum nisi inquantum calor regitur ab anima uel intelligentia, quoniam calor est instrumentum animæ & omne agens, suum instrumentum dirigit & mensurat ut introducat formam. Per calorem autem intelligo eum qui est in actu, ut in animalibus habentibus ipsum in actu aut potẽtia & uirtute ut in uegetabilibus & mineralibus et animalibus certis habtntibus ipsum mõ simili & iste calor est elementalis & cœlestis confusus in mixtis, unde philosophus secundo physicorum, homo generat hominem & Sol. Quia sine isto duplici calore non fit generatio. Mensuratur iste calor quantitate, qualitate, & tempore ab animo uel intelligentia, uel ab utroque in omnibus naturalibus ad aliquem unum finem determinatum, in quo est acquisitio formæ. Cum ergo ars alchimiæ sit sequela naturæ & operetur cum calore actu, scilicet ignis oportet necessario, quòd anima artificis modificet & mensuret illum calorem, quantitate, qualitate, & tempore, usque ad finẽ quendam determinatũ ad formam adipiscendam, quia semper determinatum tempus est inter agens & patiens, in quo introducitur forma, quòd si artificis anima sic non mensuret sed continuet calorem ignis ultra terminum tunc ignis necessario destruet formam quam fecit, propter immensurationem, hoc autem satis patet supra quia ignis actio est infinita, anima autem artificis mensurat ipsum &c. Sciendum quòd philosophus nono metaphysicæ, dicit quòd potentia irrationalis est determinata ad unum tantum & exit in actu existente, præsente, passiuo, disposito: ut ignis ad combustibile. Potentia autem rationalis se habet ad contraria &

exit in actu in alterum per appetitum sensitiuum uel rationalem præsente passiuo disposito & facit in eo, quod uult siue quod desiderat. Et propter hoc dixit Pythagoras, hominem esse mensuram omnium rerum, ut recitat philosophus undecimo metaphysicæ. Quapropter ueraciter dicimus. Quòd natura est qua regit opus huius artis per decoctionem in igne suo & uase proprio, prout regitur à cœlestibus usque ad finem operis & ultra. Voluntas autem est libera & debet regere & modificare naturam in fine operis, ut non transcendat ultra, quia uoluntas regendo naturam debet ad se trahere naturam, sed si uoluntas trahatur à natura & inclinetur ad eam, natura transcendet finem operis & ipsum destruet.

ADHVC opera naturæ planius scrutando dicimus, quòd sicut natura agit propter finem, sic & ars. finis autem naturæ est introductio formæ in propria & conuenienti materia, cum fuerit in ultima dispositione per actionem agẽtis instrumentalis directi ab ipsa natura, quod est calor appropriatus tunc operi finem imponit. Cum igitur per ingenium & sapientiam artificis fuerit ortum & generatum argentum uiuum philosophorum, quod est materia disposita ultima dispositione ad formam per actionem agentis instrumẽtalis, scilicet ignis directi ab anima artificis ergo oportet quòd informetur tunc & operi finem imponat, cum finis intentionis artis & naturæ, fuerit generare tale argentum uiuum habile ad talem informationem, scilicet auri uel elixir siue lapidis philosophorum, anima enim artificis æquipollet naturæ in hoc. Frustra ergo & desperatione laborat qui ultra laborat, cum laboret contra naturam & contra intentionem naturæ & artis &c.

Nota secundum præsentem autorem quòd si fieret congelatio

Mercurij per rem extraneam quæ non esset homogenea in natura ductibilium nil perfectionis affert, quia non possunt cõmisceri nisi homogenea in natura. Et si mineralium aliquorum natura ipsum mortificet & coagulet propter homogeneitatem mixtionis in natura, ut arsenicum & sulphur dicimus quòd illorum coagulatio est ad corruptionem & non ad perfectionem &c. ut supra patuit.

Quid sit theriaca & quid dicatur uenenum in lapide philosophorum.

CAP. V.

VIA antiqui philosophi assignauerunt in compo
q sitione lapidis philosophorum, theriacam & uenenum: & hæc cum sint de terminis occultissimis huius artis, ideo de ipsis nunc dicamus. Dicimus ergo q sicut fermentum dupliciter dicebatur, sic & uenenum cum idem sit, & similiter theriaca. Vno modo ipse lapis perfectus & completus in operatione ad imperfecta metalla alio modo id quod est perficiens ipsum lapidem. Primo modo est improprie dictum, secundo autem modo proprie. De primo modo dicimus quòd quia ipse mundicat imperfecta metalla & omnem ægritudinem & corruptionem ab eis aufert, & ea sanat & conuertit & perficit in aurum. Dicetur digne theriaca ipsorum, quemadmodum patet de theriaca hominum. Et quemadmodum res uenenosæ appropriatæ corpori uenenoso, dico leproso adhibitæ, ipsum ab humoribus corruptis, principalia membra & alia membra corrumpentibus sanant omnino, sic & hic lapis efficit in metallis leprosis,

& ideo quandoque uenenum, quandoque theriaca dicetur. Metalla enim corrupta quæ sunt quatuor, laborant, specie= bus lepræ quatuor, ex aliquo quatuor humorum corrupto= rum, & sanantur per dictum lapidem, sicut lepræ hominũ per serpentes appropriatos. Ferrum enim patitur lepram ex corruptione choleræ, ad naturam melancholiæ conuersæ quæ leonina dicitur. Aes autem ex corruptione sanguinis ad natura malincholiæ conuersi quæ dicitur allopecia. Stanũ autẽ ex corruptiõe phlegmatis ad naturã malincholiæ cõuersi quæ dicitur tiria. Plumbũ aũt ex corruptione malincholiæ solius, quæ dicitur elephãtia. Hæ aũt lepræ oẽs sunt per admixtionẽ diuersi sulphuris corrumpentis ipsa, quod fuit in mineris suis. Et ideo per sulphuris illius ablationem directam, cuiuscunq; modi sit sanantur & perficiuntur per hunc lapidem, sicut lepræ hominum per serpentes appropriatos. Argentum aũt patitur principiũ lepræ phlegmaticæ, quia in seipso habet partes sulphuris adurentis illud ut patet. Sed natura sagax in ipsius generatione miscuit theriacã talem quòd non aug= mentatur sed sic manet aut in melius transmutatur, quòd sulphur cum per hunc lapidem ablatum fuerit statim erit au rum. Aurum autem purissimum est, & nobilissimum, & æqualissimum, sicut Sol inter sidera, & sicut sanguis pu= rissimus in corpore humano tẽperatæ complexionis carens o= mni contraria qualitate seu extranea, & habet sanitatem summam. Et ideo ars sequens naturam uult omnia cum hoc lapide sanare & est theriaca & uenenum & in solum aurum transmutare sicut facit natura. Venenum autem proprie dictum & similiter theriaca est secundum alchimi= stas, quod fuit dictum fermentum proprie dictum, et hoc est quo ad operantem, quia si stet in gradu suo uigilanter

tempore ortus & germinationis est theriaca & uita sibi & operi. Quod si ulterius ignoranter transcendat, corrumpit opus, quia euanescunt omnia elementa quæ erant miscéda quare est sibi uenenum, mors & desperatio & moritur etiam lapis, eo modo quo sibi inerat uita. Vnde Hamec tertio stollicarum in comento hanc insinuas sententiam obscure dixit Res quando perueniunt ad terminum suum est uenenum mortiferum & est res simplex unius essentiæ & atrahit quicquid assimilatur sibi & propter hoc interficit animal, & hic gradus est uita & interfectio operantis ex odore suo, & ideo cauendum est omnimoda cautione ab eius odore ne interficiat, & quando hoc signum apparuerit peruenit ad terminum & ditatus est operans ab eius obseruatione etc. Ad propositum sunt multæ autoritates philosophorum, quibus dimissis causa breuitatis tantum duas adduco uel tres. Rosinus, hoc est uenenum ineffabilis pretij, quòd palàm minima & uilissima uenditur re &c. Et Haly hic lapis est uita mortuorum & eorum refectio, est & medicina conseruans corpus & purgans &c. Et Morienus. Est autem elixir medicina ex pluribus confecta, quæ quidem medicina infermitates metallorum sanat. quemadmodum theriaca infermitates hominum: unde à quibusdam uenenum appellari solet, quia sicut uenenum in corpore humano, ita elixir in corpore metallino &c.

Nota hic. De unione animæ & corporis cum suo spiritu.

IDENDVM est quòd in magisterio & termino operationis, cum oritur anima ipsa quærit cor

pus suum ut uniatur cum eo & recipiat uitam & operatio=
nem & unio ista & compositio fit mediante spiritu & cum
coniuncta fuerit corpori uiuit in æternum cum suo corpore.
Hæc autem coniunctio fit in ortu & resurrectione animæ,
quia quamuis prius creata esset, cum suo corpore tamen pro
pter inquinationem corporis & corruptibilitatem, non pote=
rat anima suas proprias & incorruptibiles ostendere operatio
nes, immo tanquam mortua et inutilis iacebat, & quasi cũ
corpore tumulata, & quando per magisterium ipsa purifi=
catur & candidatur, resurgit à suo corpore separata, &
tunc suum corpus est etiam purificatum & ipsa quærit suũ
corpus & desiderat coniungi sibi, ut in æternum uiuat, nec
potest coniungi, cum corpore alieno. Ante enim tunc euolat
ab igne trahens secum corpus suum ad uolatum quàm alte=
ri corpori patiatur coniungi & uniri & sic opus annihila=
tur & artifex à suo proposito uacuatur. Ideo corpus dicitur
theriaca ipsius animæ, cum anima per ipsum saluetur & cũ
ipso beatificetur: & dicitur uenenum cum sit causa mortis
animæ perpetuæ, quando per insipientiam artificis non con=
iunguntur. Et ex hoc patet ueritas illius uerbi Platonis,
quod apud philosophum non uerificatur octauo metaphysicæ
scilicet quòd anima nostra orta est in Orizonte æternitatis, an
tequam suo corpori uniatur, quia posuit formas uniri &
separatas, uniri inquam per medium. Fuit enim locutus se=
cundum analogiam: & in hac coniunctione resurrectionis
fit corpus totum spirituale, ut ipsa anima. & fiunt sic unum
sicut aqua mixta aquæ & non separantur de cætero in æter
num, cum in eis nulla sit diuersitas, immo unitas & identi
tas, omnium trium, scilicet spiritus animæ & corporis,
absque separatione in æternum. Sicut uere patet de identita=

te & unitate sanctissimæ trinitatis in Deo, scilicet Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ sunt in ipso Deo unum & idē cū distinctione personarū absque diuersitate in substantia. Ex quibus uerbis coniycere possumus directe quòd philosophi antiqui huius artis fuerunt uates uere per hanc diuinam artem, scilicet de resurrectione animæ humanæ cum suo corpore & eius glorificatione, de apparitione Dei in humana carne. s. Christi & identitate ipsius cum Deo mediante influxu & manatione spiritus sancti, quamuis indistincte ualde hæc nouerunt & confuse. Censeo uerum esse apud considerantes ueritatem & figuras in rebus, quòd quicunque huius artis diuinæ & gloriosæ fuerit uerus artifex seu opifex, poterit ponere in Deo trinitatem in unitate & unitatem in trinitate cum distinctione tamē sed absque diuersitate in ipso. Nam in hoc lapide uere assignatur trinitas in unitate & econuerso, cum distinctione & absque diuersitate, ut patet subtiliter intuenti & scienti. Neque uideo exemplum in mūdo sic per omnia simile ad assignandum trinitatem in Deo sicut hoc. Illud enim beati Augustini, quod ponit 10. de trinitate de anima & ponitur primo sentētiarum, scilicet quòd in anima sunt ista tria idem scilicet memoria, intelligentia, & dilectio siue uoluntas est pulchrum & uerum: sed forte aliquam poniur contradictionem, hoc autem nullo modo.
Et credo firmiter quòd quicunque infidelis hanc artem diuinam ueraciter sciret, fieret necessario fidelis in trinitate Dei assentiens & crederet in Christo Iesu domino nostro filio Dei. Et si hoc non facit non est nisi ex timore pœnæ præceptæ in secta & lege illa & alijs illatæ, ne sibi pœna similis inferatur. Nihilominus tamen perfectissime uidet, & trinitatem in Deo esse & assignari necessario posse per istius lapidis pretiosissimi &

mi & occultissimi inuentionem. Sicut uiderunt, Hermes, Plato, & antiqui philosophi.

AD propositum autem redeuntes de ueneno & theriaca propriissime loquentes, dicimus nunc quòd hic lapis, cum in decoctione oritur, oritur in diebus præfinitis ad similitudinem arg. ui. candissimi, & est argentum uiuum philosophorum ut ex uerbis eorum concipimus. Et quia argento uiuo nulla utilitas sequi potest, nisi cum corpore suo coniungatur & mortificetur. Ideo necessario ut ueritas & finis cõstet operis, oportet ut à corpore suo tunc interficiatur. Et quia omne interimens large sumendo, potest dici uenenum. Ideo istud corpus dicitur & dici potest uenenum sine quo opus hoc constare non potest: & quia talis interemptio est salus & perfectio eius quod interimitur, ut uiuat uita incorruptibili in æternum. Ideo dicitur theriaca, quia ad uitam incorruptibilem per interemptionem ipsum reducit. Sicut uere patet de glorificatione sanctorum. Nam quòd eos interimit. s. mors potest dici uenenum, sed quia ex hoc accidit uita perpetua cum glorificatione. Ideo potest dici quòd sit theriaca: quæ theriaca proprie & uere erit in die inditij scilicet nouissimo, tunc enim fiet animarum & corporum suorum purgatorum resurrectio & coniunctio ac unio perpetua, & sic etiam in hac arte accidit gloriosa in suo die nouissimo. Hoc autem uenenum & theriaca est corpus antedictum & fermentum & clauis totius operis & est forma solis & flos auri. Vnde Zeno in turba philosophorum: scitote quòd nullum corpus est pretiosius & purius sole, & quòd nullum uenenũ tingens generatur absque sole & sua umbra, qui philosophorum uenenum absque hoc facere conatur, iam errans decidit in id quod eius tristitia permanet, qui autem sapientum

uenenum Sole & eius umbra tinxit, ad maximum peruenit archanum, Item alter in eodem: cum autem uenenum corpus penetrat ipsum inuariabili colore colorat, & nunquam dimittit corpus animā quæ compar sibi est, à se separari &c. Ex quibus dictis patet quòd sine ueneno & theriaca alchimia non perficitur, non secundum intentionem considerantium in superficie scilicet quòd apponatur aliquid illorū ab extrinseco sed quia in fine operis & decoctionis fiunt hæc obtinentia nomina eorum ut dictum est. Et hæc uerba sunt profundissima & dicta secundum sententias antiquorum philosophorum & sunt consona de prius dictis de fermento & elementis.

Consequenter uidendum quid sit coagulum & quid lac in lapide philosophorum & quid masculus quid femina secundum philosophos.

CAP. VI.

De coagulo quoque & lactē nec non & masculo et femina philosophi in hoc lapide tractauerūt, sunt enim hæc de secretissimis terminis huius artis quibus incognitis & ars hæc totaliter ignoratur. Sunt quidam qui imaginantur, quod hic lapis cum perfectus est comparatur ad Mercuriū sicut coagulum ad lac. Sicut enim modica pars coaguli, multam quantitatem lactis coagulat, sic modica pars huius lapidis super multas partes Merc. proiecta coagulat in Solem uel Lunam. Qui longe ualde ab eorum intentione loquuntur. Si enim sic esset, quæ nam esset comparatio huius lapidis ad metalla? non enim potest coagula=

re ea cum iam coagulata sint à natura, Merc. autem sic. Nos ergo dicimus quòd coagulum apud philosophos est illud quòd in capitulis dictis, est dictum corpus, siue fermentum, siue uenenum, siue flos auri, quod est occultum in Mercurio philosophorum quando oritur, & ille Merc. dicitur lac. Illud enim coagulum est quod coagulat illum Mercuriũ, & ipsum & Merc. sunt unum & idem in substantia. Ita quòd seipsum coagulat, & ab alio non coagulatur, ut uere patet de cera liquefacta quando coagulatur. Et sicut coagulũ fit ex lacte solo sed per quandam digestionem & decoctionẽ alteram recipit potentiam & uirtutem coagulandi illud lac in quo est, sic & hoc coagulum quod est in Merc. philosophorum ortum recipit per quandam digestionem & decoctionẽ alteram potentiam & uirtutem coagulandi illum Merc. in quo est & recipiendi & perficiendi cum sit in ipso & cum ipso ortum. Vnde sicut coagulum dominatur lacti & ipsum coagulando ad se conuertit & fiunt omnino unum coagulatum absque diuersitate, sic & hic. Propter quod non est cõfidendum in Merc. sublimato sed in calcinato post sublimationem ut dicit expositor in lumine luminum, quia cum fuerit sublimatus Merc. philosophorum, candidus de sui natura est uolans ab igne, cum autem à suo coagulo coagulatur, calcinatur, frigitur & retinetur, & hoc coagulum est aurum philosophorum & uenenum.

ET sciatis ꝙ hoc coagulum est clauis philosophorum, quia coagulando spiritus dissoluit corpora simul & semel in eodem momento, & ideo dixerunt philosophi quòd spiritus nõ possunt detineri, nisi cum aquis corporum, & quòd unum & idem est congelatio spiritus & solutio corporis. Vnde Rasis in epistola. Gummi nostrum coagulat lac nostrum, &

lac nostrum dissoluit gummi nostrum, & post hoc apparebit rubedo orientalis &c. Et Lucas in turba philosophorum: accipite argentum uiuum quod est ex masculo & ipsum secundum consuetudinem coagulate, non enim hic est regendi initium, eo quod iam coagulatum &c. Senior, Quando uidi aquam coagulare seipsam, tunc certificatus sum quòd res uera est sicut assignatur, & hanc aquam coagulatam nominant nomine cuiuslibet masculi, deinde desponsauerunt cum fœmina, & ipse est ex ea, & ipsa est radix eius & coagulatio eius sicut dixit Hermes &c. Idem in eodem: congelat autem hæc aqua cum est cogelata, & aqua currens est mater congelatæ & ex ea fuit &c. Ad hũc igitur modum assignauerũt in suo lapidẽ masculum & fœminam, nominantes fœminam, ipsum lac quod coagulatur, masculum autem quod coagulat, quia actio attribuitur masculo, passio autem fœminæ. Nam in hoc lapide quando oritur cum ipse sit liquidus & fluens & patiens dicitur fœmina, suum autem coagulum, à quo coagulatur, cum sit solidum, firmum, permanẽs et agens in illud dicitur masculus. Compositum uero ex ijs dicitur lapis commixtus completus et perfectus et fiunt in commixtione unum omnino sicut in cera Vnde dixit Alexander. Scias quòd nullus nascitur nisi ex mare & fœmina, Et nullum germen gignitur nisi ex humido et calido alias sicco. Item in turba philosophorum: cum enim masculus et fœmina coniunguntur fit mulier non fugiens, compositũ, uero spirituale, ui.n. masculi recepta gaudet fœmina, eo quòd masculo iuuatur, masculus uero à fœmina tingente accipit spiritum, masculus ergo et fœmina cõiunguntur et unum fiunt etc. Item alter in eodem. Veneramini regem & uxorem suam, & nolite eos cõburere etc.

senior. masculus est sine alis existens sub fœmina, fœmina uero habet alas & uult uolare, masculus autem retinet uolantem. Et propter hoc dixerunt philosophi: facite fœminam ascendere super masculum, & ascendet masculus super fœminā &c. Et Rosinus: Fœmina masculo roboratur &c.

ET est sciendum quòd masculus & fœmina sunt idem in eodem subiecto & sunt habentes uirtutes diuersas & contrarias in tali subiecti unitate. Et hoc potest confirmari per philosophum primo de plantis, qui ponit quòd in seminibus est mixtio masculi & fœminæ. Dicit enim sic. semen plantæ, est simile impregnationi quæ est mixtio masculi & fœminæ, & sicut in ouo est uis generandi pullum & materia cibi eius usque ad horam complementi & sui exitus ab eo: & sicut galina ponit ouum in una hora. Ita & planta semen etc. Et idem dicit decimosexto de animalibus. Ex quo patet quòd talis copulatio uel cōnexio potest dici hermaphrodita: quia plāte & semina ubicunque impregnant & impregnantur ēt, & hoc denotat agens & patiens in eodem subiecto simul esse commixta in unitate quadam. Quando ergo oritur lapis iste habet in se mixtionem masculi & fœminæ, sed oritur liquidus, fluens, uolans, lucidus & coagulationem patiens et sic est fœmina. Coagulum autem oritur in uentre eius & est solidum, stans, permanens, umbram ostendens, sicut faciunt lapides pretiosi lucidi, & coagulationem in illo faciens, & est masculus. Et sicut fœmineum & patiens est quid diminutum & imperfectum. Ita masculinum cum sit agens est quid completiuum et perfectiuum ipsius. Et quia fœmina est alba fugiens, sed ualde leuiter permittit se à masculo capi, masculus uero est rubeus persequens fœminam fugientem et ipsam capiens & retinens ui ualida, ea propter dixerūt. Fœmi

na habet alas, masculus uero non. Hermes, Fili extrahe à radio suam umbram. radius enim est humiditas et fœmina. umbra uero est siccitas in humiditate occulta et est masculus, cuius generatio fuit à natura antequã generatio fœminæ. masculus autem est rubeus persequens fœminam fugientem & ipsam capiens & retinens in ualida. Fœmina autem est alba fugere uolens sed ualde leuiter permittit se à masculo capi propterea dixerunt quòd fœmina habet alas, masculus uero non.

SIMILI modo dixerunt, hunc lapidem esse primo Senem & secundo Iuuenem, quia de ratione iuuentutis est colorem rubeum roseum inferre in cute humana & in capillis. de ratione autem senectutis albedinem. Cum ergo hic lapis primo in sui geueratione sit albus, in secundo rubeus merito primo dicetur senex, secundo Iuuenis. Vnde Rasis in epistola. Lapis scientiæ nostræ primo est senex & ultimo puer, quia albedo est in initio & rubedo in ultimo &c.

DIXERVNT etiam cum proportione simili hunc lapidem regionalem, quia ratione suæ humiditatis dixerunt ipsum esse Aegyptiacum & ratione siccitatis Persicum, unde Aegyptum domum humiditatis esse dixerunt, Persiam autẽ domum siccitatis. Et Aegyptij terræ Persarum egent subsidio, sicut dicit Milueſcindus. Omnis enim putrefactio fit in humido finis autem putrefactionis est siccitas, & incineratio, cum ergo fuerimus in fine putrefactionis completæ, oportet desiccare, & tunc fit conuersio elementorum, quia humidũ fit siccum, & Aegyptij recipiunt subsidium à Persis & sic alternatim lapides adinuicem commutantur. Et ideo putrefactio non ualet alibi quàm in Aegypto, ipsius autem finis non nisi in Persia. Secundum hunc ergo modum assi=

gnauerunt in hoc lapide mulierem prægnantem, masculum rubeum in utero habentem & parturire clamantem: unde lapis qui superius dictus est fœmina est mulier prægnans, qui autem dictus est masculus, est stans in utero paratus ad partum. Et ideo in coagulatione apparet partus, quia lapis dictus fœmina, parit lapidem alium, quia quòd erat intus exit foras, quia quod erat fluxibile fit coagulatum. Multos quoque alios terminos annuerunt philosophi, sed prædictorum cognitione integre habita, aliorum omnium cognitio nullatenus poterit occultari.

Sequitur ultimum capitulum de similitudinibus generationis fœtus expermate & sanguine menstruo, & auis ex ouo, comparando in generationem auri ex sulphure & argento uiuo, ad generationem ipsorum.

CAP. VIII.

VIA locus sumptus à simili & proportione in
q arguendo in qualibet arte et scientia familiaris est, & manifestum conferre uidetur, ideo generationem auri à natura & ab arte ex sulphure & argento uiuo, fœtus ex spermate & menstruo. Intendimus proportionaliter explicare, ut ex ijs omnia quæ diximus à simili roboremus. Erunt autem proportiones naturales nouæ et inauditæ. Dicimus, ergo quòd principia generationis fœtus sunt duo scilicet sperma & sanguis menstruus, quia in omni generatione est necessarium agens & materia. Materia autē,

& agens non coincidunt, ut patet ex secundo physicorum. Sperma autem est agens, & sanguis Mercurius est materia, ut patet ex quintodecimo et sextodecimo de animalibus: et ut dicit Auerrois secundo colliget. Et quia omne agens cum introductione formæ simul separatur à materia, nec subijcitur materiæ, seu pro materia generati, ergo sperma separabitur ab illa simul cum introductione formæ. Quòd autem sanguis menstruus sit materia generati sic patet, quia ex eisdem generamur & nutrimur & econuerso, ut dicitur secundo colliget, & secundo de generatione & corruptione, & quintodecimo de animalibus, cum ergo fœtus nutritur ex sanguine, ergo similiter generatur ex eo, oportet ergo dicere quòd sperma sit agens. Vere ergo dixit philosophus quintodecimo de animalibus, scilicet uir dat formam et principium motus, fœmina dat corpus & materiã, sicut in lacte coagulato, ita erit quod abscinditur à mare & fœmina. Est ergo masculus operans & fœmina patiens, sicut est scamnum ex carpentario & ligno, non igitur erit sperma tanquam pars generati, sed erit sicut motor et forma. Et sicut sanitas quæ accidit infirmo ex scientia medicinali &c. Possumus ergo in proposito dicere quòd sicut stannum est excarpentario sicut ex efficiente, ex ligno sicut ex materia, & sicut fœtus est ex spermate sicut ex efficiente & menstruo sicut materia. Eodem etiam modo omnino dicimus quòd aurum, et lapis philosophorum, est ex sulphure sicut ex efficiente & argento uiuo sicut ex materia, & sicut sperma informat cum forma sibi simili & non aliena sic sulphur informat, forma sibi simili & non aliena. Et ideo hoc sulphur agens extrinsecum extrahit per digestionem illud sulphur quod est in potentia in argento uiuo in actu, quod sulphur informat ipsum argen

tum uiuum forma auri aut lapidis philosophorum. Et hoc est, quod argentum informat, coagulat, colorat & infixat per actionem illius.

EST præterea notandum quòd sperma generat ex materia cor primo & primam uirtutem in corde imprimit sibi similem: quoniam sperma habet primam uirtutem generatiuam, contractam ab eo à quo decisum est, & generando cor dat similem uirtutem generatiuam cordi. Et post separatur ab eo & derelinquit ipsum solitarium, quia cor potest de cætero generare alia membra omnia per uirtutem primã sibi introductam à spermate similem uirtuti existenti in sperm ate, absque præsentia spermatis, quia sperma postquam generauit cor iam totum opus suum peregit, nec est de cætero necessarium ad generationem. Nõ solum autem in corporibus animatis anima sensibili, sed etiam animatis anima uegetabili, hoc idem patet. Post seminationẽ.n.determinata Periodo germinabunt semina per uirtutem generatiuã insitã ipsis et in quibusdã ascendũt semina diuisa super terrã in ipsa generatione, & in quibusdam manẽt in terra, & ista semina adhærent germini. Post separantur & paulatim arescũt in ipsis germinibus tanquam uana & inutilia ad generationem ulteriorem, quia similem uirtutem generationem quam habebant intus duxerunt in ipsis germinibus & germina obtinuerunt eam, & euanuit uirtus quæ prius fuerat in seminibus. Postquam opus suum totum peregit. Propter quod illa germina sunt & permanent per se, sufficientia, ad generationem successiue, absque seminibus ex quibus generata sunt. Ideo generant folia, flores & semina in circulo, sicut illa ex quibus originem contraxerunt. Omnes etiam res quæ generantur & in sua specie multiplicantur, non generantur

nisi à sibi similibus in natura tanquam à principijs & radicibus suis secundum modum quem diximus. Est ergo germen sicut cor generatum & separatum à semine suo. In quo est tota uirtus seminis generatiua omnium membrorum plantæ & partium eius secundum exigentiam suæ speciei, quemadmodum in corde embrionis generato à spermate.

SIC eodem modo dicimus, quòd sulphur extrinsecum generat ex argẽto uiuo sulphur quoddam quod est sicut cor, & primam uirtutem generatiuam introductã in ipso à sulphure extrinseco, ab eius præsentia quia sulphur extrinsecũ iam totum opus suum peregit. Et hoc sulphur generatum in argento uiuo, & ex eo est cor & forma & tinctura quemadmodum in homine cor &c. Sicut ergo sperma, post generationem cordis, non habet aliud efficere de cætero, quia iam introduxit formam, & etiam impossibile est duo agentia concurrere æqualiter ad eundem effectum. Sic & sulphur extrinsecum similiter se habere debebit, ergo sulphur extrinsecum postquam introduxit in actu sulphur ex intrinseco argenti uiui, quòd est sicut cor & forma argenti uiui, debet similiter separari. Confirmamus autem hoc per philosophum decimosexto de animalibus qui dicit. Creatur autem cor prius à spermate, aut membrum conueniens cordi, quod erit principium generationis corporis totius &c. Et post hoc dicit. Et propter hoc in creatione apparet cor prius inter omnia alia membra in actu & manifestum est sensui & similiter rationi: quando conceptum suscitatur ex semine maris & superfluitate mulieris seu fœminæ & fuerit solitariũ debet regere se sicut filius qui exijt à domo patris etc.

SCIENDVM pro dictis, quòd sicut non est necesse quòd primum mouens tangat suum mobile continuo sed suffi

cit quòd iam tetigerit, ut patet in sagittatore & sagitta, sic est de spermate & illo à quo decisum est, scilicet corde quod generauit sperma & corde quod generat membra fœtus. Vnde dicit philosophus decimosexto de animalibus. Sicut accidit rebus quæ sunt per se, quòd primum mouens mouet, non quia contingat corpus omnino alterius, sed quia iam tetigit in præterito. Ita est illud ex quo est sperma, & non tangit post hoc. Eodem modo dicimus in sulphure & argento uiuo, quia postquam sulphur extrinsecum tetigit argentum uiuum & generauit seu creauit in argẽto uiuo sulphur ex ipso. in quo est uirtus prima generandi & informandi aurum, non est necesse ut de cætero tangat ipsum, sed sufficit quòd iam tetigit in præterito. Ideo dignum est, ut hoc extrinsecum separetur sicut perpetuum à corruptibili.

AMPLIVS subtiliter aduertendũ est, quòd sperma quando est fortis & temperati caloris, tunc est potens digerere menstruũ complete, quia non potest fieri completa digestio nisi per calorem completum sicut indigestio per calorem diminutum, ergo cum sperma fuerit uincens & potens bene digerere menstruũ, scilicet cum sit sicut motor & operans, assimilabit sibi necessario hoc quod generat, ergo generabit masculum cum sperma sit ex masculo. Et quia omnis corruptio & alteratio est ad contrarium, tunc quia sperma non poterit uincere & digerere bene mẽstruũ propter penuriam caloris non poterit fœtum secundum similitudinem formæ suæ, ergo erit alterata ad contrarium & quia fœmina contrariatur mari, necessario creabit fœminam, quia sperma est sicut operans & menstruũ sicut patiens. Propterea accidit ꝙ mares sunt calidiores fœminis quia caliditas attribuitur agenti. Sic eodem modo dicimus de sulphure & argento uiuo, nam

quando ſulphur eſt bene potens digerere argentum uiuum ex completa actione caloris, tunc ſulphur aſſimilabit ſibi argentum uiuum & faciet ipſum aurum, quoniam ſulphur eſt ipſum digerens & citrinizans. Ideo aurum eſt citrinum & maſculinum & complete digeſtum. Cum autem ſulphur nõ poterit bene digerere argentum uiuum ex indigentia caloris, tunc erit alteratio ad contrarium, ergo ſulphur non aſſimilabit ſibi argentum uiuum, ergo non fiet aurum ſed argentum: & ob hoc argentum eſt album ſicut argentum uiuũ, & eſt ſicut fœmina & incomplete digeſtum, & hæc eſt cauſa albedinis argenti & citrinitatis auri. Vnde ſicut fœmina eſt mas occaſionatus ſecundum philoſophum in libris præallegatis, ſic ſimiliter dicitur quòd argentum eſt aurum occaſionatum. Eſt autem citrinitas & albedo in auro & argento non ex utroque ſed ex argento uiuo tantum, quemadmodum in ouo album & citrinum ſunt ex parte fœminæ et non maris, quamuis non ſint in argento uiuo diſtincta ſicut in ouo. Ideo dicit philoſophus 17. libro de animalibus, album et citrinum in ouo nõ ſunt, ex mare et fœmina ſed ex fœmina tantum. In alijs autem metallis, quia aut ſulphur nondum potuit bene digerere et uincere argentum uiuum propter paucitatem caloris ut in plumbo & ſtanno, aut combuſſit nimis ut in ære uel ferro. Ideo in ipſis nondum potuit generare aurum nec argentum, quoniam ſulphur non eſt uincens, nec uictum omnino.

ET intemperantia caloris ſulphuris poteſt eſſe tam in abũdantia quàm in defectu & poteſt utraque intemperantia dici indigeſtio diuerſis reſpectibus poſtquam nõ tenet medium. Ideo bene dicit philoſophus 18. de animalibus ſcilicet ꝙ mares & fœminæ indigent temperantiæ caloris, quemadmodum

omnia naturalia & artificialia non sunt nisi per terminum & temperantiam determinatam, cum calor uincit ualde, desiccat res humidas & cum diminuitur multum, non potest sustentare humiditates & propter hoc indiget temperantia. Si autem non fuerit ita, accidet istud, quod accidit rebus decoctis quoniam ignis multus comburit, & paucus non potest digerere. Et propterea indiget mas & fœmina ad creandũ filium temperantia caloris &c. Et huic concordat uerbum Gal. in quarto de ingenio sanitatis, qui dicit omnis error duobus modis est in quantitate, scilicet si ultra temperamentum est uel citra temperamentum. Nam idem, id est, consimilem defectum facit plus & minus. Vnde dicimus solum aurum esse à calore temperato decoctum & à natura digestum citrinum masculinum & simile est argentum & nullum aliorũ hoc habere meruit.

RVRSVS ne uideamur ignorare intentionem uerborum dictorum Aristotelis. Dicimus quòd quamuis sperma sit factor embrionis ut dictum est, tamen non est sicut principale agens sed magis ut organum & instrumentum, quia anima existens in spermate est principale agens & mouens, mota ab anima generantis. Cum omne quod est habeat animam actu uel potentia uel secundum quid uel simpliciter ut dicitur 16. de animalibus, & utitur spermate tanquam instrumento cum calido & frigido ad generationem & formationem ut ibidem dicitur, quamuis uerius sit dicere aliquid fieri per motum instrumentorum quàm per instrumẽta ut idem dicitur. Vnde ex motu generantur calidum & frigidum ut instrumenta faciunt duritiem & mollitiem & similia accidentia, ut patet tam in naturalibus quàm in artificialibus, gladius enim efficitur ex motu instrumenti, quòd

mouetur secundum scientiam artificis &c. Vnde sicut anima hominis in qua est scientia, mediante sanguine & spiritu mouet manum ut instrumentum aut instrumentum extrinsecum hoc autem mouet materiam. Sic & anima existens in spermate mouet spiritū secundum motum generantis à quo exiuit & utitur ipso ut instrumento mediante calore naturali, & sperma mouet materiam.s.menstruum. Vnde dicitur decimosexto de animalibus, quòd cum sperma uenerit in matricem, mouet mēstruū eodem motu quo ipsum, extitat motū, scilicet ab anima generantis à qua exiuit sperma & omnia mēbra sunt in potentia tam in mēstruo quam in spermate, in actu aūt nullū sed in menstruo passiue, in spermate uero actiue, & hoc facit cū calido naturali uel animali proportionato ordinationi astrorum, quod est uitale, quod calidum nō est ignis uel ab igne, ut ibi dicitur, cum ignis animal non generet nec nutriat. Eodem modo dicimus de sulphure & argento uiuo in operibus naturæ, quoniam sulphur non est agens principale sed uirtus mineralis occulta, existens in ipso mediāte calore mineræ digerente, est principale agens intrinsecum cum corporibus cœlestibus et mouent sulphur cum calore suo sicut instrumentum. Sulphur autem mouet argentum uiuum, sicut materiam sibi propriam ad generationem eo motu quo mouetur ab agētibus primis. Similiter in operibus eiusdem naturæ, mensuratis ab arte, quia anima artificis in qua est species & scientia est principale agens extrinsecum & mouet uirtutem mineralem digestiuam & liquefactiuam, et generatiuam existentem in sulphure per tempus caliditate ignis mensurata ab artifice, sicut principale agens intrinsecū, & hæc uirtus mouet sulphur in quo est sicut instrumentum. Sulphur autem motum mouet argētum uiuum, sicut propriā

materiam ad generationē eo motu quo mouetur à primis, et est aurum in argento uiuo & in sulphure in potentia, actu uero nō. sed est in argento uiuo passiue, in sulphure uero actiue sicut in efficiente. Vnde liquefactio & coagulatio & alia accidentia fiunt à calido & frigido, forma uero efficitur, ex motu instrumentorum motorum secundum scientiam artificis mensurantis & ministrantis ea naturæ.

Argenti uiui uulgaris similitudo.

DICEMVS denuo quòd argentum uiuum uulgare assimilatur menstruo & ouis uenti. Vnde sicut ex mēstruo, absque spermate non fit embrio nec ex ouis uenti auis absque semine maris, quia uirtus animæ non est in eis nisi ex spermate uel semine maris, ut patet ex decimosexto de animalibus. Sic ex argento uiuo uulgari. Nunquam fiet aurum nec lapis philosophorum, absque sulphure, quia non est in eo uirtus generatiua nisi per sulphur, secundū hanc igitur proportionem dicimus de sulphure, quoniam ipsum assimilatur spermati et semini maris, et absque mēstruo fœminæ non fit generatio, quemadmodum tota materia generationis & nutrimenti non est nisi ex fœmina, sic ex sulphure solo absque argento uiuo nunquam fiet aurum, nec lapis philosophorum, quia in eo non est uirtus materiæ nec nutrimenti. Et sicut ex albo oui fit generatio pulli & nutrimenti ex solo citrino. Sic similiter generatio auri fit ex argento uiuo, & nutrimentū eius ex solo citrino, scilicet sulphure suo. generatio igitur lapidis erit ex albo, id est, argento uiuo & nutrimentum ex solo citrino, scilicet sulphure suo occulto, digesto per actionē sulphuris extrinseci regimine artis & artificis ministrantis naturæ. Propterea natura sapientissima in animalibus perfe=

ctis in quibus est dare marem & fœminā separauit marem à fœmina quæ ad generationem temporibus congruis coniunguntur. In seminibus autem quia non sunt corpora mobilia localiter, à principio intrinseco, coniunxit natura ex eis simul marem & fœminam, ita quòd in quolibet semine est coniuncta & indistincta quo ad substantiam uirtus maris et fœminæ ad generationem fiendam. Sic similiter ac propter eandem causam, coniunxit in mineris metallorum sulphur & argentum uiuum ad generationem ipsorum. ideo minera ipsorum omnium sunt necessario mixtæ ex sulphure & argēto uiuo uulgi cum sint simul ibi generata mixta & coagulata. Et ob hoc sicut mas non generat in substantia propria sed in passiua & opposita sibi, siue agens & patiēs sint cōiuncta siue separata. Sic similiter & sulphur generat non in substātia propria sed in passiua & opposita sibi quæ dicitur argentum uiuum. Si igitur uerum est quòd in principio huius capituli diximus secundum sententiam Aristotelis, Auerrois & Alexandri, scilicet quòd ex eisdem generamur, nutrimur, perficimur & complemur, & non ex extraneis, ergo ex eisdē aurum debet generari nutriri & perfici ac compleri, & nō ex extraneis. Cum igitur aurum sit generatum, nutritum, perfectum & completum, à natura ex solo argento uiuo, ab extrinseco sulphure digesto & ultimo ab eo expoliato, ergo & lapis philosophorum ex eisdem debet generari, nutriri, perfici & compleri scilicet ex quibus est aurum & non ex extraneis, quia sicut cognitio rei sumitur ab essentia & natura rei & suis principijs, & sic & operatio ipsius. Quia ergo ex imperfectis metallis, debet per hunc lapidem, aurū generari, nutriri, perfecti & compleri per eorum mixtionē, ergo ex solis partibus eorum quæ sunt ex eisdem ut aurum,

generabitur

generabitur aurum, & partes extraneæ corrumpentes separabuntur seorsum, & cum partes quæ sunt in eis quæ sunt ex eisdem ut aurum sint argentum uiuum, ergo ex solo argento uiuo eorum generabitur aurum & nutrietur & perficietur & complebitur per hunc lapidem, ergo & partes sulphuris quæ sunt in eis cum sint extraneæ & corrumpentes separabuntur seorsum quia non miscebuntur. Omnis enim res ex sibi similibus conficitur & perficitur & completur & nõ ab extraneis. Vnde philosophus in secundo de anima dicit ꝙ nutrimentum in principio est dissimile à nutrito. in fine autẽ simile, ergo à similibus res nutritur & perficitur & ideo ab extraneis. Sic ergo patet quòd aurum alchimicum est quod debet esse necessario ex eisdem, omnino & eodem modo generatum ut minerale & non ex extraneis, nec modo extraneo. Qui igitur in extraneis laborant & modo extraneo, à natura operantur, extranea faciunt & aliena. Similiter autem & qui in eisdem, non extraneo modo operantur, ueritatem rei consequuntur.

CVPIENTES igitur per artem alchimiæ naturam sequi non impendent laborem in argẽto uiuo solo scilicet uulgi, nec in sulphure solo scilicet uulgi nec cum aliquibus alijs intermixtis sicut nec natura, immo nec in argento uiuo & sulphure uulgi coniunctim, quod forsan uidetur mirabile. Sed in eo in quo sunt à natura coniuncta, quia præparauit arti sicut ancilla. Coniungit autem, ipsa natura à principijs generationis sicut in lacte butyrum lac & seracium quæ post digerit, & abinuicem separat & sequestrat. Similiter autem & ars. Similitudines autem istæ sunt sufficientes & ueraces etiam ad hoc propositum ostendendum, quãuis non sint totales, quoniam animatorum ad inanimata,

non poteſt eſſe in omnibus totalis ſimilitudo nec adduci, non enim generatur aurum ex auro, ſicut animal ex animali. Sed talis inueſtigatio extranea & pulcherrima eſt. Concludimus ergo ex omnibus prius dictis quòd quicunque ſapiens figuras & analogias uerborum cum omni imaginatione in hac arte inueſtigare uoluerit, cum ipſa ars ſupra naturam & rationem naturalem conſiſtit, ut prius oſtendimus, oportebit ipſum neceſſario operibus diuinis ſupra naturam & naturalem rationem, & intellectum exiſtentibus conſentire et fidem omnimodo adhibere, quòd ſi ſolam rationem adeptus fuerit finem artis penitus non attinget.

CONIVNGIT &c. Sciendum quòd ſicut natura generat metalla ex ſulphure & argento uiuo. Non quòd ſulphur in ſua natura per ſe reperiatur in ſuis mineris: nec argentum uiuum ſic. Sed reperiuntur hæc à natura commixta & in naturam terræ redacta: nec etiam reperitur aliquid ibi in quo ſaluetur ibi media diſpoſitio à mollitie argenti uiui ad duritiem alicuius metalli, cum tamen non fiat tranſitus de extremo ad extremum niſi per medium. Sic & in tranſmutatione metallorum imperfectorum uerſus perfecta eſt exiſtimandum, quia natura in ijs occultiſſime operatur. Regiones narrant res & generationes diuerſificant ea, non ſolum ſecundum ſpecies, ſed ſecundum proprietates & accidentia in eadem ſpecie: hoc patet tam de animatis quàm de inanimatis, ut dicit philoſophus octauo de animalibus. Sic ſimiliter exiſtimemus eſſe de mineris metallorũ, quia ratione diuerſarum minerarum in regionibus diuerſis quædam poſſunt nobilitare imperfecta metalla in aurum & quædam nõ, quaſi de ſe ſemper & ubiq; ſint diſpoſita ad finem illũ. Sicut etiam uidemus quaſdam melius argentum & quaſdam me-

lius æs producere propter causas, quia potest minera esse corrupta & carens aquis lauantibus per fluxum earum, aut sulphuris mali repletio impedit transmutationem talem fieri in tali loco. Item aspectus cœlestes operantur ad hoc &c.

Capitulum octauum, Instantia contra dicta. In qua probat quòd ex ære & ferro non potest fieri aurũ, uel argẽtũ & soluit.

ED dicet aliquis, uidetur quòd ex ære & ferro non possit fieri aurum uel argentum per alchimiã siue per lapidem philosophorum quod primo probatur sic. Impossibile est illi rei quæ transiuit terminum decoctionis ut reuertatur ad terminum decoctionis & ad medium. Sicut non est possibile ut assum reuertatur elixum: ut dicit Auerrois tertio colliget, & cum æs & ferrum sint huiusmodi, ergo &c. Reliqua autem confitemur posse conuerti. Similiter quæ cruda sunt possunt decoqui, econtra autem incrudari non possunt, & quæ sunt semidigesta possunt complete digeri, quæ autem superfluæ ad temperatũ reuerti nõ possunt, ut patet in cibis quid assantur & elixantur quando sunt crudi. Propter quod dixit Auerrois tertio colliget ut supra. Item de tali digestione dixit Rasis in libro perfecti magisterij & Morienus & quilibet alchimista, quòd argentum & aurum à calore suaui & temperato decocta sunt. Stannum autem & plumbum à calore diminuto, ferrum autem & æs à calore superfluo assatiuo & urente. Argentum uiuum crudimine. Ad hoc omnia imperfecta posse conuerti in aurum, tam secundum artem quàm secundum naturam.

SED est aduertendum, quòd cum duplex sulphur sit in quolibet metallo præterquam in auro scilicet extrinsecum cõburens & intrinsecum non comburens, quod est de substantiali compositione argenti uiui. Ideo illud extrinsecum est separabile ab eis: intrinsecum autem nullo modo. Et quia hoc sulphur extrinsecum potest per artificium separari, sicut & à natura, patet uere quòd non est unitum cum suo argento uiuo. Ideo non facit ueram adustionem in argento uiuo. Sed in seipso quod patet, quia ipso separato remanet argentum uiuum purum, quod non sic remaneret, si secum esset unitum. Et ideo cum purificantur imperfecta metalla in opere minori per ablationem quandam huius sulphuris, uidetur eorum argentum uiuum lucidius. Vnde de hoc duplici sulphure loquens Geber capitulo de procreatione Veneris sic inquit. Ex præcedentibus itaque sermonibus relinquitur in compositionibus duplicem fore sulphureitatem, unam quidẽ in profunditate argenti uiui conclusam in principio suæ mixtionis. Alteram uero superuenientem, quarum alteram cum labore tolli. Alteram uero nullo artificiorum ingenio est possibile tolli quod per ignem perficitur, ad quod possit nostra operatio congrue ac utiliter peruenire. Cum iam secum per eandem creationem unito factum sit. Hoc experimento probatur, quia uidemus sulphureitatem adustam per ignem deleri, sulphureitatem uero fixam minime. Si igitur diximus corpora calcinatione mundari, intelligas utique à terrea sulphurea substãtia quæ nõ in radice suæ naturæ unita est, quoniã unitã purgare uel mũdare per ignis ingeniũ nõ est possibile, nisi aduenia argenti uiui medicina, occultans & contẽperãs aut illam de commixto separans. Item capitulo de coagulatione, idem habet similiter, scilicet argentum partes

sulphuris, naturaliter sibi admixtas, quoddam uero plus, quoddam minus, quas remouere per artificium non est possibile &c. Quia igitur istud sulphur extrinsecus adueniens potest per artificium separari à metallis, patet quòd non est uere unitum cum illo argento uiuo, nec de ipsius substantia. Et ideo istud argentum uiuum æris, & ferri potest perfici in aurum purissimum sicut argentum uiuum stanni, & plumbi per sulphuris extrinseci separationem. Et sicut ipsum est fœdum fœtidum, & malum, ita dat tincturam fœtidam & malam: ueruntamen in hoc tãtum bonitatis habet quia ipsum est agens in materia sine cuius actione natura nõ posset generare aliquod metallorum. Ideo Geber eius tinctura uituperans tractatu de medicinis primi ordinis capitulo de citrinatione Lunæ, dicit sic per sulphur etiam rubificatur Luna, sed illius rubificatio est difficilis & laboriosa immense, et tamen non resultat eius citrinatio fulgens immo fusca & liuens terreitate motifera &c. Ex quibus iam dictis nos æstimamus cum ratione, quòd cum lapis philosophorum super æs et ferrum liquefacta proiectus fuerit, commiscebitur in momẽto cum omnibus & solis partibus argenti uiui existentis in eis, & unitur cum eis cum sint eiusdem naturæ, & perficit eas in aurum purissimum: & omnes partes sulphuris extrinseci separabuntur seorsum, quia non sunt de natura sua. Et hæc est intẽtio Geberis capitulo de differẽtijs perfectionis, differentia prima quamuis uideatur aliter dicere capitulo de præparatione corporum in generali, scilicet Saturni & Iouis. Argentum enim uiuum semper absque uiolentia & labore commiscetur cũ eo quod suæ naturæ est: alterũ uero respuit & seorsum relinquit. Similiter dicimus in stanno, & plumbo, & in argento, quamuis in argento sint modice partes

sulphuris extrinseci. Sed cum super argentum uiuum proijcitur hic lapis qui cum eo, tam secundum totum quam secundum omnes partes sunt unius naturæ & substantiæ, ideo totum perficiur in aurum. Videmus enim gratia exempli in coagulatione lactis, quia coagulum coagulat solum partes sibi similes existentes in lacte. Alias uero dissimiles respuit & seorsum relinquit, & ista substantia casealis in lacte consistens se habet ut principium materiale & passiuum. Coagulum uero sicut principium formale actiuum, quamuis sint eiusdem materiæ & substantiæ, ac naturæ. Quòd autem talis adustio sit in solo sulphure ferri & æris: & non in eorum argento uiuo satis experimento patet, quia cum adurimus siue coagulamus argentum uiuum cum sulphure, & facimus ex eis sublimationem uzifur post magisterium sublimationis alteram separamus substantiam argẽti uiui ab uzifur puram & mundam, ut prius & magis. quod patet, quia nulla adustio facta fuit in isto argento uiuo, sed in solo sulphure, ergo eodem modo in ferro & ære est existimandum & sic patet solutio ad dubium. Et sic est finis istius aureæ quæstionis, ex Bono Ferrariensi extractæ per Ianũ Therapum Lacinium Calabrum Minoritam theologorum minimum: & nunc primo per ipsum ad cõmunem studiosorum fœlicitatem editæ in lucem.

Accessit, & huic quæstioni epistola quædam ipsius Boni ad quendam suum familiarem, super hoc negotio, quæ quidem quia conformis est suæ doctrinæ, & præsertim in capitulo primo: ubi loquitur de materia lapidis, iccirco huic operi illam inserere non dubitaui.

fol. 95.

SEQVITVR NVNC EPISTOLA BONI Ferrariensis egregij atque eximij in medicina & in hac arte doctoris ad quendam ipsius familiarem.

INSTANTISSIME N. fratrũ optime magna cum deuotione et fiducia uestris
i literis & precibus me rogastis, ut uobis scriberem quæ sit materia super quam philosophi alchimiã inquirendo laborauerunt, ut uenerabilem eorum lapidem cum magna industria sibi compararent. Quapropter nullus in hac re ueritatem dicere posset nec cum ueritate alios informare qui ipsam materiam non prius nouit, nec iudicat de re nisi qui uere eam cognoscit, Ideo si nondum sim super ueritate: non possum uestram respondendo adimplere petitionem: ueruntamen quia ratione in hac arte potius quàm formæ semper uolui adhærere, postquam hæc omnia cum maxima difficultate & labore incepi percipere, & in multos errores incidi nauigando & transeundo. Referam nunc uobis super qua materia sim firmatus secundum quod existimo & opinor, uestri desideriũ adimplendo, rationibus satis ueridicis approbando, quod dicam. non enim sufficit dicere quia ita est, nisi ostendatur propter quid. Et quæcunque generaliter secũdum rationem dixi in quæstione prolixa quæ dicitur pretiosa margarita nouella in inuestitione artis istius, & in tractatu contra illos qui in materia indebita operantur quæ nomini fratris Anselmi monachi conscripsi, Nunc uestri amore motus, aperiam in speciali & particulari uobis ut percipiatis intẽtionem Hermetis, Geberis, & aliorum philosophorum & natnræ, per quod patebit uo

bis, si in hac arte aliquid intelligam uel ignorem. Inuocato igitur nomine excelsi & altissimi Creatoris & misericordis, ac Iesu Christi filij sui & gubernatoris nostri à quo digne petentibus beneficium omne confertur, incipio absque ænigmate dicere uobis & rationabiliter demonstrando explicare munus quod de hac materia quæsiuistis. Quod quidem nisi intelligenti et intelligere honeste uolenti sub anathematis pœna narrare uolui sicut præcepit Hermes. De modo autem operis in materia hac, ut informem, quamuis operi ad præsens me congrue dare non possim, sicut alias consueui per quosdã exteriores defectus omnia silebo, hoc enim uidetur archanum totius mundi, sicut dicunt philosophi & gloria inæstimabilis. Quæsiuistis autem de causa materiali quæ non est modicum munus introeuntibus artem istam, hæc enim est quam antiqui philosophi quæsiuerũt prius ut in aliarum causarum uenirẽt cognitionem sine cuius cognitione uacui erant ab aliarum cognitione. Et similiter per consequens ab hac arte & opere. Quod igitur uobis pollicitus sum accipite modo.

SCITOTE in primis quòd arsenicum siue auripigmentum est compositum à natura ex sulphure & argento uiuo in proprijs mineris sicut pluribus rationibus uobis ostendam quasi narratiue per signa sumpta à sensu, in sublimando enim arsenicum sæpe accidit quòd egreditur & ascendit cum sublimatione argentum uiuum in granis uiuis oculatis & distinctis adinuicem in modum granorum milij ac si argentum uiuum uulgare solum in sublimatorijs positum sic fuisset: & hoc apud expertos & facientes etiam realgar est ratum & firmum. & est hoc argentum uiuum omnino idem cum uulgari argento uiuo quod sic patet, quia nihil miscetur cum argento uiuo uulgi, ipso remanente in natura

argenti uiui, nisi hoc, remanentibus omnibus proprietatibus & passionibus argenti uiui, & quòd non potest contrahi de re in actu, nisi quod est in ipsa potentia. ideo concludimus quòd in compositione arsenici est argentum uiuum, propter quod uidetur etiam quòd ex Vzifur extrahimus argentum uiuum, quod in eo est quamuis improprie & occulte. Item dicimus sulphur esse tincturam rubedinis proprie & per se: argentum uiuum autem tincturam albedinis, ut dicunt omnes philosophi: sed si proijciat arsenicum uel realgar, quod ex ipso fit super æs liquefactum, tingit æs tinctura albedinis simili albedine Lunæ, ergo albedo hæc uidetur albedo argenti uiui. Si enim tinctura hæc esset ratione sui sulphuris tingeret rubedine uel saltem nigredine per adurentem uirtutem & inflammabilem quam habet, & ideo omne metallũ cum fuerit purgatum ostendit naturam argenti uiui coagulati potius quàm sulphuris quantum est de se, quod est per ipsius gubernantiam & ipsius uirtutem existentem in manifesto & sulphuris in occulto, ita quòd æs & aurum ostendunt, Sulphuris cum capitello calcis commixtionem facere per filtrum siue compilatorium, sicut ex arsenico cum capitello.

Quid sibi uelit hic ignoro, ideo aliquid in hoc loco deficere existimo, uide tamen eum in capitulo de materia lapidis.

ET quia quorumcunque proprietates & passiones sunt diuersæ in specie, licet in genere communicent super diuersa, constat necessario sulphur uulgi in specie esse diuersum ab arsenico, sed in genere communicet. Quare igitur sic est quòd non possumus imitari naturam in generatione arsenici, quamuis principia generationis similia habemus, quia deficit nobis idem sulphur, aut ad minus digestionem quam tale facit natura, ignoramus omnino, ideo

uidetur incōueniens ut operationē philosophorū alchimicā in eis impēdere debeamus, si debemus uere sequi naturā, iō sicut natura in mineris metallorū generauit arsenicū ex quo facit metalla sic miserta arti generauit arsenicum extra mineras metallorum quòd ulterius non transmutat, ut arsenicum accipiat ipsum & transmutet ipsum. sic ut sequatur naturam in hoc, quòd si natura hoc non fecisset ars alchimiæ esset omnino uana, Habet enim sulphur uulgi cum arsenico quādam naturam cōmunem, ut diximus. similiter omne sulphur aut quodlibet aliud sulphuris naturam habens, habet proprietatē congelandi argentum uiuum, & quandoque rubificandi, quandoque non.

AMPLIVS quia sicut accidit in quibusdam sublimationibus arsenici, secundum quod egreditur uobis argentum uiuum in granis diuisum & occultatum quod est idem cum argento uiuo uulgi ut supra diximus. Sic ingeniati sunt philosophi subtilissimo ingenio & profundissimo cum operatione mirabili & occulta per digestionem congruam extrahere idem argentū uiuum quod cum ipso coaguletur, sicut aurū liquefactum cum seipso solo coagulatur ab intrinseco suo. Et in hoc tota intentio philosophorum esse uidetur, propter quod dixit Geber capitulo de principijs naturæ. Tria esse principia scilicet argentum uiuum, sulphur & suum compar scilicet arsenicum uolēs insinuare quòd duo sunt principia naturæ propria scilicet sulphur & argentum uiuum, & quòd arsenicū habet naturas & proprietates illorum commixte, & quòd ipsum obtinens uices & uicariatum illorum est principium naturæ per illorum potentias & uirtutes. Et dicit in eodem quòd spiritus fœtens, & aqua uiua sunt principia naturæ, quam & aquam siccam concedimus nominari secundum an

tiquorum opinionem. Et dicit in eodem, quòd non est transitus de mollicie argenti uiui ad duritiem metallorum, nisi per aliquid in quo media dispositio saluetur. Cum ergo non reperiatur in mineris metallorum talis dispositio media, non est argentum uiuum in sui natura, nec sulphur principia naturæ, nisi prout sunt in quadam natura tertia redacta &c.

HAEC autem tertia natura uidetur esse quæ dicta est. Vnde dicit ipse capitulo de ceratione. Quod humiditas ceratiua non reperitur propinque in aliquibus sicut in sulphure et arsenico, propinquius autem in argento uiuo. Et capitulo de coagulatione Mercurij ponit quòd ex ipsis corporibus metallicis cum suo sulphure uel arsenico præparato hæc medicina elicitur. Et ex solis similiter sulphure & arsenico præparatis. Et ex solis similiter corporibus elicitur. Ex solo uero argento uiuo facilius & propinquius &c. Et uult dicere quòd in illo argento uiuo, à sulphure & arsenico extracto est ista medicina in propinquiori potentia quàm in ipso sulphure & arsenico dum maneat in natura sulphuris, & arsenici. Et quia in isto argento uiuo, sunt corpora in potentia scilicet corpora solaria, quia nullum metallorum submergitur in Mercurio nisi sol. Et ideo patet ueritas uerbi Geberis scilicet quòd ista medicina extrahitur, tam de ipsis corporibus quàm de argento uiuo, & quàm de sulphuris & arsenico.

NOTA super hæc uerba Boni uidelicet. Hæc autem tertia natura uidetur eē quæ dicta est etc. Quia si reperitur aliquid aliud in natura mineralium, in quo magis propinque saluetur hæc natura media, quā in suo arsenico. Et ꝗ talis natura tertia siue media magis sit purgata, mundata atque decocta illa erit materia magis propinqua ad lapidem philosophorum construendum. Et hanc materiam ipsemet Bo

nus indictis suis multoties insinuauit. tua nunc intersit hoc excogitare & quærere &c.

RVRSVS dicimus quòd natura & ars nunquam in suis operationibus utuntur super sulphura pura quia frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora. Si ergo sulphur & argentum uiuum sunt principia naturæ sufficientia in generatione metallorum secũdum omnes naturales philosophos & alchimistas, ergo arsenicum erit superfluum inquantum sulphur est uel habet sulphuris naturam, quia duo agentia similia non debent contrariari simul ad eandem materiam informandam. Cum ergo arsenicum secundum Geber & alios alchimistas sit principium tertium naturæ in generatione metallorum, ergo non erit superfluum necessario, quia ergo repertũ est re uera arsenicum esse compositũ ex argento uiuo, tanquã ex materia & sulphure tanquam agente ut supra probatum est, ergo arsenicum similiter est principium naturæ in generatione metallorum sufficiens, quia dictum est, uirtutem & potentiam habet illorum duorum, cum sit ex eis, & quia ex duobus actu existentibus non potest fieri tertium, ut dicitur septimo metaphysicæ, ideo proprie & per se loquendo non potest arsenicũ dici sulphur nec argentũ uiuum, & sic patet quòd sunt duo principia naturæ, scilicet quæ dicta sunt. sulphur ergo uulgi cum non sit de intentione naturæ, ergo neque artis, ergo naturæ principium non est. Postquam ergo sic est quòd oportet mineras metallorum esse compositas ex sulphure & argento uiuo secundum modum quem diximus & sicut probauimus in quæstione nostra prolixa de inuestigatione huius artis.

In subtili statera omnia & singula qui sequuntur pondera.

IDEO ne uos præsumatis & errabundus temerarie credatis quædam alia composita, ex prædictis principijs esse principia artis sicut est magnesia, marchasita, tutia & antimonium & si qua sunt alia dicimus quòd ipsa non sunt principia naturæ, ergo nec artis si ars uere debet imitari naturã. Et ratio est quia natura à principio generationis metallorũ utitur sulphure agente sicut agente proprio usque ad finem generationis, & perfectionis quæ perfectio est in solo auro & separatur in fine sulphur sicut in omni actione naturali agens separatur à materia cum informatione materiæ quia sulphur in generatione non subijcitur per materia. Cum ergo in sublimatione marchasitæ primo sulphur separemus per ignem lentum manente suo argento uiuo mortificato in fundo quod argentum uiuum postea cum ignitione alludel sublimamus, sicut docet Geber capitulo de sublimatione marchasitæ quod sulphur est denigrans inficiens & comburens. Ergo marchasita non uidetur illud in quo operatio alchimica sit imponenda, separatur autem agens à materia absque informatione materiæ. In arsenico autem non possumus ingenio aliquo separare sulphur nisi in confectione & complemento quantumcunque dealbemus ipsum ante expoliationem sui sulphuris. Similiter suum argentum uiuum sublimatum non liquefit liquefactione metallica fixa sicut nec argentum uiuũ uulgi sublimatum propter earum similitudinem in natura. Similiter non reperitur in mineris auri nec aliorum metallorum aliquid quod sit marchasita uel obtinẽs naturas & proprietates eius ex quo natura generet aurũ uel metallum aliquod. sulphur etiam suum est ualde diuersum à sulphure arsenici & minerarum metallorum. Est etiam alia magna diuersitas quia sicut arsenicum ostendit naturam sulphuris in

manifesto sic marchasita ostendit naturam argēti uiui in ma
nifesto suum album siue rubeum, in occulto autem econuer=
so. Et ratio est quia quamuis elementa ex quibus componun=
tur sint similia in generatione, tamen diuersitas formarum
facit illa elementa diuersimode passibilia & diuersimode ter
minari propter diuersum finem quia eadem materia diuersi=
mode digesta diuersimode informatur: sicut satis patet in ge=
neratione diuersorum membrorum ex eadem materia pro=
pter quod non est mirandum si eorum quæ sunt composita
ex sulphure & argento uiuo, quædam exprimunt naturam
sulphuris in manifesto & quædam naturam argenti uiui, &
quædam naturam utriusque secundum maius & minus &
quædam liquefactionem & quædam non & quædam fixio=
nem & quædam nō cum diuersis coloribus. Si igitur ita est
de marchasita in comparatione ad arsenicum. Ergo, de ma
gnesia & tutia concludimus idem. Et quia rectum, non nisi
errore discernitur, ut dicitur in turba philosophorum. Ideo
pluries & in pluribus rebus errando et iterum erran
do peruenimus per dei gratiam ad hoc, quod
credimus esse rectum. Et quia rectum
est iudex sui et obliqui ut dicitur
tertio de anima. Ideo ar=
senicum est iudex
sui & alio
rum.
Et hoc suffi
ciat ad præsens.

naldo de Villa Noua quæ practicæ compositio
nem lapidis philosophorum continent
& exquisite docent.

POSTEAQVAM dictum est de metallorum principijs & eorum generatione, tam in generali quàm in speciali, nunc de lapidis compositione, tam Theoricæ quam practicæ, & præsupposita Theorica, per ea quæ iam dicta sunt, in practica principaliter consistit intentio nostra. Nam in ijs siquidem, sicut & in cæteris scientijs, experientia practicæ ueritatem Theoricæ habet roborare, nihilominus uero sapientiæ, & scientiæ est, res per causas intueri, quoniam experientia fallax est cuius notitia, non præcessit, philosophantibus enim inest fixa meditatio, ut ante operis inceptionem, quid fieri debeat pensitetur. Error nanque maximus esset, ad opus accedere sine iudicio mentalis practicæ, quam Theorica ipsa in anima operatur, studẽdum ergo prius, antequam ad manuum labores accedas, nam opus sequitur naturam & non uiceuersa. Quisquis igitur in rebus conatur quicquam efficere, animam disponat ad intelligendum, postea manus ad operandum emittat. Quamobrem, quia Arnaldus de Villa Noua in suo Rosario philosophorum, satis practicæ tractat de lapide philosophorũ, ideo ipsius dicta nunc commemorabo ea colligẽdo secundum hunc ordinem capitulorum.

I. Cap. QVO'D unus est lapis philosophorum, quia una est essentia & unus modus agendi tã in albo quàm in rubeo, licet in rubea medicina sit additamentum citrinantis coloris, per hoc tamen medicina non mutatur in substantia.

II. Cap. QVAERITVR ex quibus extrahitur lapis philosophorum. Nota responsionem.

III. Cap. QVO'D difficillimum est opus nostrum, tantum in prima metallorum materia inuenire.

IIII. Cap. QVO'D primum opus physicum est dissolue re lapidem in suum Mercurium ut in primam redigatur materiam, quæ quidem prima materia in metallis est argentum uiuum cum ipsum sit elemẽtum omnium ductibilium, unde dicit philosophus indiges quòd in solutione et sublimatione duorum luminarium primo labores, quia primus gradus operationis est, ut fiat argentum uiuum de ipsis, unde dicunt philosophi. Nisi corpora fiant non corporea, idest non corporalia seu spiritualia, nil operamini, corpora enim soluta in naturam spirituum sunt redacta, licet magis sunt fixa quàm spiritus, licet soluantur cũ eo. Nam solutio corporis fit per naturam spiritus & congelatio spiritus est cum solutione corporis. Et tunc commiscẽtur corpora cum spiritibus uel corpus cum spiritu. Cum

tu. Cum ad unam primam naturam sunt redacta.

V. Cap. DE inuestigatione modorum operationis lapidis physici in cōclusione, nota quòd quatuor sunt modi principales quibus regitur lapis physicus scilicet, soluere, abluere, reducere, & figere: Soluere est grossum subtiliare & in simplum redigere, abluere obscurum in lucidum, reducere humidum in siccum: figere uolatiuum super corpus suum, & fit resoluendo & coagulando &c.

VI. Cap. DE solutione lapidis & eius inhumatione & est primum regimē eius, ibi nota istam conclusionem, quòd lapis debet solui per Mercurium purgatum & reductum & post inhumari: & hoc ideo fit ut sulphur & Mercuriū habeamus de illa materia de qua aurum & argentum efficiebatur subtus terram, ut ex ipsis &c.

VII. Cap. DE secundo regimine quod est abluere, scilicet nigrum, corruptum, fœtidum, ut sit lucidum ualde & clarum & à sordibus uacuum. Quare oportet lapidem diuidere per quatuor elementa, & unūquodq; elementum lauare. Aqua separatur per distilationem in balneo Mariæ, aer per distillationem per cineres et similiter ignis. terra in fundo residet &c.

IT NANQVE Arnaldus de Villa Noua uerum quòd omnia liquabilia sunt
a naturaliter operata ex argento uiuo & sulphuris substantia eo quòd proprium est argenti uiui, ex calore siue uapore sulphuris coagulari: quoniam omne siccum ebibit naturaliter suũ humidum: uapore ergo solphuris argentum uiuum coagulatum ex sua substantia terrea subtili aerea & digesta actione caloris in sui commixtione prima sibi unita post eleuata decocta & digesta donec habeat uim sulphuream coagulandi argentum. Argentum uero uiuum in sua prima radice est cõpositum ex terra alba nimium subtili sulphurea cum aqua clara fortiter admixta donec fiat substantia una, non quiescens in superficie plana. Est enim homogeneum in natura, quoniam aut remanet totum in igne fixum aut totum ex eo uolat in fumum cum sit incombustibile & aereum & hoc est signum perfectionis. Et ideo cum postea in terra sulphurea decurrit calefactum superius ascendit, quoniam de natura sua est ut per calorem sublimetur. Veruntamen continua sublimatione nimium depuratur decoquitur & inspissatur, ac in sulphur album & rubeum gradatim congelatur, quod quidem sulphur dissoluitur multotiens & postea congelatur per argentum uiuũ illius sublimatũ caloris actione in tantum, donec uix in millibus annorum successiue, operæ naturæ in metallum congelatur perfectum. Et hoc quidem in uasis mineralibus seu artificialibus ipsa natura mediãte operatur metalla in paruo temporis spatio. in istis ergo operibus naturam imitare, quicunque uelis ad imperfectorum perfectionem perficere medicinam.

CONSEQVENTER dicitur quòd argentum uiuum est materia & elementum omnium liquabilium, quoniam omnia liquabilia cum liquantur in arg. ui. conuertuntur, & ipsum admiscetur ipsis quia est de substantia eorum, licet illa corpora differant in compositione sua ab argento uiuo eo modo quo ipsum fuerit purum uel impurum à sulphure immundo sibi extraneo, sic enim argentum uiuum coagulatur ex ui sulphuris non urentis. Nam ut dicit philosophus sulphur album non adurens congelat Mercurium, bonam Lunam, & illud est res optima quam possunt recipere, qui alchimiam operantur, & conuertant illud in argentum bonum. Si uero sulphur purum mundum & optimum fuerit, cum rubore clarum et fuerit in eo uis igneitatis, non adurentis, simpliciter erit res optima, quam recipere possunt alchimistæ ut ex eo faciant Solem. cum hoc conuertunt Mercurium in Solem. Si enim fuerit argentũ uiuum bonæ substantiæ & sulphur non purum adurens conuertit ipsum arg. ui. in æs. Argentum etiam uiuum si fuerit porosum immundum terreum & sulphur non mundum fiet ex eo ferrum. Stannum uero uidetur habere bonum arg. ui. & purum. sulphur autem malum & non bene mixtum. Plumbum uero grossum argentum uiuum & malum & ponderosum et luteum. sulphur autem malum & mali saporis & fœtidi ac uirtutis debilis. unde non bene cõgelatur. hæc de uerbo ad uerbum sunt uerba Aristotelis in libro meteororum, cui credendum.

CONSEQVENTER tertio in oratione dicẽdum quòd sulphur extraneum siue uulgi est causa imperfectionis metallorum. Pro quo dicendũ quòd duplex reperitur sulphur in quolibet metallo præterquam in auro scilicet extrinsecum

comburens & intrinsecum non comburens, quod est de substantiali compositione argenti uiui. Ideo illud extrinsecum est separabile ab eis scilicet calcinatione ignis tollitur uel deletur à corporibus, intrinsecum autem nullo modo tollitur, quia ipsum est in profunditate arg. ui. inclusum & est suæ naturæ, ideo argentum uiuum ipsum tenet & à combustione defendit. Alterum uero quod non est suæ naturæ respuit, et igni exponit qui ipsum inficit et cõburit. quod hẽat sulphur in se duas causas corruptionis puta inflãmabilem substantiam & terream fœculentiam, quia per primam naturam stare in igne non potest, quia comburit semper uel comburitur, aut nigredinem in omni tempore præstat per alteram neque fusionem habet, neque ingressionem, quoniam si fixum fuerit prohibet fusionem & ipsum nũquam figitur nisi prius calcinetur. quando uero calcinetur nullo modo funditur, quoniam in terrenam substantiam redigitur. Etiam quòd illud sulphur quod dicitur extrinsecum quocunque mõ præparetur per artificium semper comburit & comburitur & nigredinẽ in omni opere præstat, ideo dicit Auicẽ. ꝙ in magisterio nostro non intrat quoniam non est de argento uiuo uel de arg. ui. substantia uel de perfectione eius cum ipsum semper inficiat, denigret & corrumpat. Et ipsum est causa corruptionis ideo est quòd quædam corpora magis quædam minus comburuntur per examinationem ignis ut illa quæ pluris sulphuris sunt quantitatẽ cõtinentia magis, quæ uero minus, minus. Relinquitur ergo argentũ uiuum corporum esse perfectiuum et adustionis saluatiuũ, eo quòd corporis illa minus comburuntur quæ plus de sua natura participant & possident, unde patet quòd multa quantitas arg. ui. est causa perfectionis. Et multa sulphureitas est causa corruptionis. Ipsum etiam argẽ

tum uiuum sicut est adustionis saluatiuũ sic est fusionis effectiuum cum figitur ipsum etiam argentum uiuum est tinctura rubedinis, uberrimæ refectionis, fulgidi splendoris & non recedit à commixto donec est. & est amicabile & metallis placabile, ac medium coniungendi tincturas, quoniam permiscetur per minima cum ipsis, & etiam in profundo eis naturaliter adhæret quia est de ipsorum natura. Primum autem arg. ui. arg.ui. magis adhæret, & eidem magis amicatur. Post illud uero auro, post argento, ideo ex hoc relinquitur ipsa duo magis participare suam naturam, ideo cum eis miscetur faciliter, cum non submergatur aliquid in eo nisi Sol. Alia uero corpora non hẽnt tantam conformitatem ad ipsum, quoniam habẽt in se sulphur extraneum, terreum, immundum, fœtidum & ideo & ipsa minus puram participant naturam, quoniam sunt corrupta, fœtida, adustibilia. Ex prædictis hoc itaque secretum elicias, quoniam Merc. in se recipit, quod suæ naturæ fuerit & alienum respuit eo quòd sua natura magis gaudet quàm extranea.

EX hoc enim manifeste relucet corpora maioris esse perfectionis, quæ plus Merc. sunt continentia, & quæ minus minoris, laudemus ergo omnium opificem Deum gloriosum & benedictum Creatorem optimum & altissimum, qui ex uili creauit preciosum &c. Manifestum est igitur quòd arg. ui. continet in se sulphur suum bonum, quo coagulatur in aurum & argentum, sed diuersum digestionis modum. Nam secũdum philosophum: arg.ui. si fuerit album purum coagulabit illud uis sulphuris albi non urentis in argentum. Si uero sulphur fuerit optimum cum rubore clarum & fuerit in eo uis igneitatis similiter non urentis erit res optima ad aurum ut ex eo fiat elixir ad aurum. Nota quòd sulphur

album & rubeum habetur ex una metallorum materia ad plenum depurata, modo tamen diuerso decocta seu digesta, idcirco dicit philosophus quòd omni argento inest sulphur album sicut omni auro inest sulphur rubeum sed tale sulphur non reperitur super terram, ut dicit, Auicen. Nisi quod in istis duobus consistit, ideo illa duo corpora subtiliter præparamus, ut sulphur rubeum & argentum uiuum habeamus de illa materia super terram de qua aurum & argentum efficiebatur sub terra, ipsa nanque corpora lucentia sunt, quibus insunt radij tingentes cætera corpora albedine & rubedine uera secundum quod ipsa fuerunt præparata. Aurũ itaque cum sit pretiosius omnibus metallis est tinctura rubedinis tingens & transformans omne corpus. Argentum uero est tinctura albedinis perfecta albatione tingens corpora cætera. Cum illis nanque corporibus, scilicet Sole & Luna miscetur Merc. & figitur per ipsa maximo ingenio.

Quòd unus sit lapis philosophorum.
CAP I.

RNNALDVS DE VILLA NOVA,

a Ait quòd unus est lapis philosophorum & una medicina cui nil extranei additur nec diminuitur, nisi quòd superflua remouentur. Omne enim sulphur uulgi arg. ui. est extraneum: eo quòd sui ipsius est destructiuum, uel corruptiuum, econtra uero est quòd non est sibi extraneum, in quod habet ipsum cõuerti per magisterium nostrum: scilicet in aurum & argentum, nihil igitur conuenientius est ei nisi quod propinquius ex sui natura. Nolite ergo introducere, nec puluerem, nec aquam, nec ullam rem alienæ

naturæ, quia non intrat in eum uel eius compositionem quod non sit ortum ab eo, quoniam si aliqua extranea sibi apponãtur statim corrũpitur & non fit ex eo quod fieri quæritur. Ex rebus ergo corporalibus maxime conuenientibus in natura necessariũ est medicinã colligere, unde oportet quòd medicina illis in natura conueniat & illis in profundo maxime adhæreat, atque diminutum quodcunque perfecte compleat, & etiam quòd Mercurio per minima misceatur ante illius fugam. Sed nullum corpus in sua natura manẽs ipsum coagulat, nec firmiter adhæret, nec etiam ipse Merc. per se medetur infirmis corporibus, quoniam in examinatione separatur ab eis, nam grossa simplicibus & simplicia grossis minus bene conueniunt. Subtilioris ergo substantiæ & liquidioris fusionis necesse est illam medicinam esse quàm ipsa corpora, ac maioris fixionis ac retentionis quàm argentum uiuum in sua natura. Simile dicit Geber in sua summa cap. de modis coagulandi Mercurium.

Ex quibus extrahitur lapis physicus.
CAP II.

VAERITVR non immerito. Ex quibus rebus extrahitur lapis noster physicus, seu hæc nostra medicina. Respõdẽtes dicimus ꝙ in duobus est et ex illis elicitur, est autem tam in corporibus quàm in ar.ui. secũdum naturã cũ unius sint reperta naturæ. Sed in corporibus quidem difficilius, in ipso autem arg.ui. propinquius non autem perfectius, & illud, ideo quia non est corpus dignius sole aut purius, aut eius umbra, id est, luna, sine quibus nullum arg.ui. generatur tingens, qui uero absque isto, ar=

gentum uiuum tingere nititur cæcus procedit ad practicam: nam aurum aureum, argentum argenteum tribuit colorẽ. Qui ergo argentum uiuum cum Sole & Luna tingere nouit. uenit ad arcanum quod dicitur sulphur album, quod cũ rubeum efficitur erit sulphur rubeum optimum ad aurum. Ab istis ergo corporibus extrahitur sulphur nimium album, & rubeum cũ in ipsis sit purissima sulphuris substantia ingenio naturæ summæ depurata, quod secundum Albertum certius est & subtilius, quia in depuratione ipsius ars debilior est natura & sequitur eam cum magno laboret. Pater enim est sol, mater uero Luna, quia ex illis corporibus cum suo sulphure uel arsenico præparatis nostra elicitur medicina: ex corporibus similiter alijs elici potest medicina, ex solo autem arg.ui.propinquius faciliusq; inuenitur cũ ipsum sit pater illorum luminarium & radix omnium liquabilium. Ab ipso siquidem omnia fiunt, & ideo in ipsum omnia resoluuntur, quoniam natura naturam complectitur propriam amicabiliusq; gaudet cum ea magis quàm cum extranea. in ipso enim est facilitas extractionis illius subtilis substantiæ etc. Relinquitur ergo medicinã nostram esse purissimam & subtilissimam substantiam quæ ex arg.ui.materia originẽ suam ducit, & creata est, non est materia argentum uiuum in sua natura, nec in tota sui substantia sed pars illius: non autem quæ est nunc cum lapis noster factus est simpliciter est argen.ui. sed fuit pars eius quoniam ipsum illuminat & ab adustione conseruat, quòd causa perfectionis est. Consulo autem quod non opereris nisi cum Merc. & Sole ad Solem, & cum Merc. & Luna ad Lunam.

Quòd impossibile est lapidem perfici ex sola metallorum substantia siue materia.

CAP. III.

IMPOSSIBILE est lapidem nostrum perfici ex sola metallorum materia, quia si in sola prima naturæ materia, opus nostrum uellemus incipere, esset longissimum & incomplebile, etiam magnæ & infinitæ requirentur expensæ ad hoc perficiendum, & cum demũ per difficillimũ magisterium lapis esset factus de natura metallorum, tamen opus philosophicum nondum est inceptum, quippe quia est necessarium quòd lapis philosophorum possit elici de natura duorum corporum, antequam sit elixir cõpletum. Quoniam est necessarium quòd illud quod est elixir magis sit depuratum & digestum, quàm aurum & argentum, eo quòd ipsum elixir debet conuertere omnia à perfectione diminuta corpora in aurum uel argentum, quod ipsa minime perficere possunt, quoniam si de perfectione sua alteri darẽt, ipsa imperfecta existerent, eo quòd non possunt tingere nisi quantum se extendunt. Et ad hoc, ut fiet operatio in opere nostro ut melioretur eius tinctura in eo plus quàm in sua natura oportet ut fiat elixir iuxta sapientum allegoriam compositum ex speciebus limpidis condimentum, medicina & purgamentum, omnium corporum purgandorum, & transformãdorum in solificum & lunificum uerum. Sed moderni operantes finem turbant operis, tunc cum incipitur opus, quia cum tantum laborauerunt, quòd cum opus eorũ sit de prima materia & natura metallorum credunt compleuisse elixir perfectum, sed quando faciunt proiectionem nihil inueniunt ibi, quia operari desistunt ubi incipere debuissent.

De primo opere lapidis. Cap. IIII.

PVS enim primum physicum uel philosophorum secundum eundem Arnaldum, est dissoluere lapidē in suum mercurium, ut in primam redigatur materiam, unde philosophus in quarto meteororum. Sciant artifices alchimiæ species rerum transmutari non posse, quod quidem simpliciter uerum est, nisi species reducantur: ut postea subdit, in primam materiam, quæ quidem materia prima in metallis est argentū ui. cum ipsum sit elementum omnium ductibilium, tunc enim in aliam formam quàm prius erant bene permutantur non quidem species sed indiuidua specierum, quoniam ipsa indiuidua actionibus sensibilibus sunt subiecta eo quòd in se sunt corruptibilia. Species uero cum sint uniuersalia uel uniuersales actionibus sensibilibus non sunt subiectæ, ideo in se non sunt corruptibiles, species igitur argenti quæ est argenteitas non mutatur in speciem auri, quæ est aureitas, nec econuerso quia species naturæ permutari non possunt, sed indiuidua specierum bene possunt, quando in primam materiam rediguntur, quia cum forma illius indiuidui fuerit corrupta uel illius & in primam materiam resoluta bene permutatur & introducatur alia forma, quia corruptio unius ē generatio alterius. n. nulla materia potest ita destrui quin sub aliqua maneat forma &c. Ad propositum dicit philosophus indiges tu quòd in solutione & sublimatione duorum luminarium primo labores, quia primus gradus operationis est ut fiat argentum uiuum de ipsis. Cum non fiat transitus de extremo in extremum nisi per medium, extrema autem nostri lapidis in primo latere est argentum uiuum, in secundo uero est elixir completum: media uero isto

rũ aliqua alijs magis depurata digesta seu decocta quæ sunt meliora &c.

PRIMVS gradus operationis est ut fiat arg.ui.de ipsis: unde dicunt philosophi. Nisi corpora fiant non corporea, id est, incorporabilia uel econuerso nihil operamini. Verum igitur principium nostri operis est solutio nostri corporis, quia corpora soluta in naturam spirituum sunt redacta, & etiam quia magis sunt fixa quàm spiritus, quamuis soluantur cum eo. Nam solutio corporis fit cum congelatione spiritus & congelatio spiritus est cum solutione corporis, tunc enim miscetur corpus cum spiritibus uel spiritu & fit unum corpus cum eis uel eo, & nunquam separatur, sicut nec aqua mixta cum aqua, quoniam omnia tunc ad suam naturam homogeneam primam sunt redacta, prima uero homogeneitas metallorum est argentum uiuũ. Cum ergo in ipsam homogeneitatem soluuntur, coniunguntur & nunquam separantur, quoniam tunc utrunque agit in suum socium sibi similem.

De inuestigatione perfecta lapidis physici.
CAP. V.

Manifestum est ergo operationem medicinæ esse omnem operationem naturæ, ipsamq; medicinam esse eandem naturam, eo quòd ipsa medicina solum est composita ex natura. Certum quippe est omnem rem esse de eo in quod resoluitur ut gelu ex aqua in quam conuertitur. Sic omnis lapis noster resoluitur in argentum uiuum per magisterium nostrum, ergo prius ipse fuit argentum uiuum. Modus autem conuertendi ipsum in arg.ui.est conuersio ele=

mentorum, quæ de aptitudine sua sunt adinuicem conuersiua. Conuerte ergo elementa & quod quæris inuenies, quia nostra operatio non est nisi naturarum mutatio & eorum elementorum calidi cum frigido & humidi cum sicco amicabilis connexio. Veruntamen non conuertitur siccum in humidum, nisi prius fuerit factũ humidum .i aqua nec frigidũ in calidum nisi prius fuerit humidum, id est, aer, nam transitus non fit de extremo ad extremum nisi per medium. elemẽta media sunt aer & aqua. Si ergo siccum conuertatur in frigidum, & frigidum in humidum, & humidum in calidum, & calidum in siccum tunc totum habebis magisteriũ. Modi uero regiminis adinuicem conuertentis, sunt quatuor principales. Soluere, Abluere, Reducere, & Figere. Soluere grossum in simplum & subtiliare. Abluere obscurũ in lucidum. Reducere humidum in siccum. Figere uolatiuum supra corpus suum. Item soluere fit diuidendo, corrumpẽdo, & in materiam primam reducendo. Abluere fit distillando, inhumando, & calcinando. Reducere fit incerando, impinguando, sublimando. Figere fit desponsando, resoluendo, & congelando. Per primum mutatur natura interius. Per secundum exterius. Per tertium superius. Per quartum inferius &c. Soluetur ergo lapis cum Mercurio purgato optime à sua tereitate & humiditate per sublimationis modum & postea reducto. Cum quo conteratur bis & post inhumetur in balneo Mariæ ut dicetur infra.

Quomodo depuratur Mercurius & purgatur.

INGENIVM igitur ipsius terreæ substantiæ: i superfluæ remotionis est ipsum semel uel bis sublimare à uitriolo et sale donec ipsius albissima suma

tur substantia. Cum uero albissima ascenderit proijce in fer uenti aqua donec redeat in arg. ui. post tolle ab eo aquam & operare cum eo, quoniam non est bonum operari cum ipso, nisi prius hoc modo purgetur, unde dicit Auic. primũ quoque facere incipere est quod sublimetur Merc. postea solue eum ut redeat in primam materiam suam, & sublima totum, tunc in hoc Merc. mundo mitte corpora munda, æquali lance librata. ueruntamen non miscebis corpus album cum rubeo, nec rubeum cum albo, sed unumquodq; seorsum dissolues in partem, quoniam aqua alba est ad albificandum, aqua rubea ad rubificandum. Non ergo misceas aquã unius lapidis cum aqua alterius: aut cum alio lapide, quoniam uehementer errares & excæcaberis si secus feceris. Ab hinc uice post uicem, contere & imbibe & coque in balneo Mariæ post distilla per filtrum quousque transeat ipsum, collige tamen ad partem supereminens nigrum, quoniam illud est oleum ac uerum dissolutionis signum, quia quod est solutum peruenit ad sublimitatis finem, unde separatur ab inferioribus ascendens sursum & petens altiora loca, ut corpus aureum. Custodi autem ipsum caute ne euolet in fumum, & quod facis in albo facias in rubeo, quoniam hæc medicina in essentia est una, & in modo agendi similiter una, est tamen in rubea additamentum citrini coloris, quia sulphuris fixi substantia mundissima efficitur. Differentia tamen est inter solarem & lunarem medicinam eo quòd hæc quidem illud continet, illa uero non, quoniam indiget mundissimo sulphure albo, sicut hæc indiget rubeo. Sufficiunt hæc duo corpora eo quòd assimilantur quæsito uel illi quod quæris sed indiges quòd in solutione sublimatione & subtiliatione eorum laborés. Sunt enim fortia & indigẽt præparatione longinqua

& operatione continua, ut primo calcinentur & postea solu uantur quoniam cum calcinata fuerint facilius soluuntur, eo quia calor ignis penetrans partes corporis facit aquam ingredi post ipsum, & sic est magis solutionis susceptiuum, ue runtamen si calcinaueris corpus grossum, quod etiam dissolutiuum est pone ad partem, & quod remanet in filtrum accipias caute ipsum ne perdatur in fumum & pereat magisterium. Idcirco cum istud graue sit perficere & difficile expedit corpora grossa soluere per aquam solum, id est, per arg. ui. sine calcinatione, quoniam istud est securius licet in operatione sit tardius. Esto ergo longanimis & non festinanter extrahas tincturam, nec festinanter aut uelociter quæras perficere, quia primus error in hac arte est festinatio, quia comburit omnia & ad remotum perducit. Nam ignem si multum feceris, in principio mixtionis eius eueniet in tincturis detrimentum, quoniam comburuntur medicinæ per nimias caliditates: Vnde uersus.

Dissipa rem captam prius per partem satis aptam
Leuiter extractam, sic massam contere factam
Hæc non festine, sed temporis ordine siue
Albumen urinæ disponit membra ruinæ

PATIENTER igitur sustine contere & coque, reitera & non tædeat te hoc ipsum reiterare, quia quæ imbibuntur per aquam mollificantur. Et quãto magis teres tanto magis mollificas & quanto magis mollificas tanto magis partes grossas subtilias donec uniantur, & ab inuicem non diuidantur, quoniam spiritus cum corpore tunc inspissantur & omnia quæ impastantur dissoluuntur. & impastatio fit cũ nimia trituratione, & assatione. Nam per contritionem & inceratione, ac assationem diuiduntur partes ligatæ uiscosi

tate aquæ, quæ uiscositas est in corporibus. Corpora uero soluta ad naturam spiritus sunt redacta et nunquam separantur sicut nec aqua mixta aquæ. Quippe quia natura lætatur, quoniam sponsus cum sponsa copulatur. Quæ uero nõ dissoluuntur non habent partes subtiles, nisi mollifices, ideo charissime indiges quòd indissolutione lapidis labores, scilicet partes suas puriores disgregans ab ipsis, ut grauioribus partibus abiectis opus cum leuioribus perficiatur.

De lapidis inhumatione.

CAP. VI.

LAPIDE itaque dissoluto accipe totum & pone super calorem temperatũ, ut puta in balneo Mariæ ut putrefiat & digeratur melius & contrahatur plenum matrimonium, per mensem philosophorum, id est, per triginta dies, quoniam adustio per inhumationem tollitur & decoctionem, coquas igitur complete ut ebulliant omnia simul, leui igne et in suam primam materiam redeant, & uere sint sicut argentum uiuum. Hoc autem ita habito soluitur auctoritas Arist. Sciant artifices etiam, quod quidem uerum est nisi prius ut subditur in suam primam reducantur materiam, tunc enim in aliam formam quàm prius erant bene permutantur non quidem species sed indiuidua specierum permutantur quoniam ipsa sunt corruptibilia & actionibus sensibilibus subiecta, materia.n.nullo modo potest destrui quin semper sub aliqua maneat forma. unde soluta prima in Merc. forma immediate introducetur noua forma, quæ quidem forma in colore est nigra in odore fœtida in ta

ctu subtilis & discontinua. & hæc sunt signa perfecte dissolutionis, corporum, quia calor agens inhumidum primo inducit nigredinem, quæ quidẽ nigredo est caput corni sed est principium operis nostri, quòd est dissoluere lapidem in Mercurium uel aquã Mercurij quod est primum regimen.

ITEM postquã lapis dissolutus est in balneo Mariæ post poterit distillari per filtrum quousque transeat ipsum. Colligè tamen ad partem supereminentem nigredinem, quoniam illud est elementum ac uerum dissolutionis signum, ut dictũ est, & signum quod solutum uenit ad subtilitatis finem, unde separatur ab inferioribus ascendens sursum & petit altiora loca sicut corpus album.

Recapitulatio primi regiminis.

m ODO dicam breuiter totum solutionis modum, sublima igitur primo Mercurium & demum soluas ipsum, cum terra tota & igne & pariter decoque, quousque redeant ad primam suam naturam, & hoc ideo fit ut sulphur & Mercurium habeamus, de illa materia de qua aurum & argentum efficiebãtur infra seu subtus terram, quia si uerum sulphur fuit & argentũ uiuum bene possumus ex ipsis aurum & argentum facere, qui autem habet hoc magisterium, habet thesaurum sempiternum, ad quod magisterium tria sunt quærenda puta subtile ingenium artificis, operatio manualis, & arbitrium libere potestatis quod quidem requirit diuitias sapientiam & libros, & ideo non est nisi pro diuitibus &c. Et tantum de primo regimine quòd est lapidem dissoluere &c.

De

De secundo regimine quòd est abluere.

CAP. VII.

SECVNDVM regimen lapidis est abluere, scilicet nigrum, corruptum, fœtidum, ut sit lucidum ualde & clarum & à sordibus uacuum, quod quidem nullatenus fieri contingit sine elementorum diuisione & aquarum distillatione, & lapidis dissolutione, quia elementorum duo sunt sicca, scilicet lapidea, & duo humida, scilicet aquatica. Sicca sunt ignis & terra, aquatica sunt aer & aqua. Ignis ergo comedit seu consumit quod in exterioribus existit, quoniam deuastat sordes aquarum per distillationem, & subtiliat eas per aeris leuigationem, comminuit etiã grossitudinem lapidis per calcinationem & deuorat eorũ sulphuris salsedinem. Et ideo lapis noster in quatuor elementa diuiditur, ut magis subtilietur & ut à sordibus depuretur magis & ut postea firmius coniungatur. Sed nũquam fuit aliquid natum, nec crescens, nec animatum, nisi post putrefactionem & digestionem. Et ideo putrefiunt, ut magis digesta melius separentur, quippe si putrefactum non fuerit, fundi non poterit nec soluetur & si solutum non fuerit ad nihilum redigetur.

Diuisio lapidis per quatuor elementa.

CCIPE ergo lapidem sic corruptum & deinde ipsum per quatuor elemẽta, per distillationẽ, per leuem ignem æqualiter mensuratum & recipe suam aquam, deinde paulatim uigora ignem, donec totum

receperis aerem igne mixtum, quod uero remanet in fundo combustũ est terra nigra sicca. Et scito quòd distillatio aquæ habet fieri in balneo Mariæ eo quod subtiliores lapidis partes & sine calore ad naturam simplicis aqueitatis approximantes per eam distillantur, aer uero & ignis per cineres distillatur, eo quòd per ipsos cum ignitione, contingit colores & grossiores terreas partes inferius detineri subtiliores uero sursum eleuari. Subtilior ergo fit separatio per aquam cum nõ substineat ignitionem quàm per cineres elicitur cum ignitionem sustineant. Isto ergo modo diuides quatuor elementa eo quòd oportet extrahi aquam ex sua substantia humida & non ex alia uel alys, eo quòd in eis est, maior tinctura, de terra uero non cures cuius sit substantiæ dummodo fuerit fixa. Terra desiccat & figit, aqua uero mundificat & abluit. Aer uero & ignis tingunt, & fluere faciunt, ideo oportet quòd sit aqua multa & aer multus: quoniam multitudo tincture tanta erit quanta multitudo aeris erit. Studeas ergo charissime in omnibus operibus tuis Merc. superare in commixtione, ut satis habeas de aere: & si ipsum solum perficere poteris pretiosissimæ perfectionis naturæ uincentis indagator eris. Pretium uero ipsarũ medicinarum huius artis expresse non excedit quinquaginta argenteos ex prima operatione computando, oportet tantum ipsam medicinam diutius assari super ignem & nutriri sicut nutritur puer in uberibus.

De ablutione aquæ.

c VM autem habueris elementa lapidis ut diximus diuisa ablue ea, scilicet aerem & aquam septies distillando. Ignem uero & terram fortiter

calcinando, aquam tamen & aerem separatim distilles quoniam aer est melior quàm aqua, licet ipsa abluat, & dealbet terram, faciensq; matrimonium tinctrarum. Ac aer tingit terram & infundit animam & facit eam sensibilem. Vnde oportet quòd aer & aqua sint à sordibus mundata, & ab adustione tuta, donec sumatur eorum tinctura, iquoniam si comburantur, effectu priuantur, nisi postea in fimo perfecte coquantur. Idcirco inhumatio in fimo interposita inter distillationes multum iuuat ut ad perfectæ ablutionis signũ, melius deueniatur, quod quidem signum est splendor & crystallina serenitas, absque fœcibus nisi forte albis. Fœces uero aquæ quas faciet in omni distillatione, uice post uicem ad partem separa, & repone cum terra nigra superius collocata. Aquam uero septies distillatam serua ad partem quoniam ipsa est Merc. sola enim faciens medicinam, & aqua uitæ abluens latonem. Et sicut fecisti de aqua alba. Ita facias de rubea aqua quoniam unum & eundem modum habent ablutionis & consimilem effectum, nisi quòd aqua alba ad albandum ualet, & aqua rubea ad rubificandum, non ergo misceas unam cum alia, quoniã errabis si secus facias ideo etc.

De ablutione aeris.

B hinc autem diuide aerem ab igne per distillatio-
a nẽ scilicet per cineres quoniam quod distillatur est aer purissimus quod uero remanet in fundo est ignis siccus, considera ergo quæ dixi ut opereris lapidem humidum, ad aquam & terram solum. Et ut utaris lapide sicco, ad ignem & aerem tantum. Aer sane est oleum & tinctura & aurum & anima philosophorum, unguentum

quo totum perficitur magisterium. Intellige ergo quòd ignis cum aere distillatur, quia conueniunt in caliditate & non cũ aqua, eo, quòd aqua refugit ignem, quia contrariantur aer ergo distillatur cum igne, quia ipse est aqua cocta & eius tinctura est ignis, quoniam ipse corpus est, & aer est spiritus ignem deferens. Si ergo miscueris, cum igne lapidẽ statim erit rubeus, & semper diligent se: quodcunque ergo uolueris rubificare, rubifica cum igne lapidem & erit rubeus semper.

Quomodo ab omni re extrahitur oleum.

p ONE ergo super substantiam corporis cuius oleũ extrahere uolueris purissimi Merc. tantum quòd super natet quatuor digitis uel plus quod melius est, deinde accende sub eo ignem lentum donec uideris eius oleum, id est, aerem paulatim ascendere seu eleuari super Merc. collige eum cautæ & serua seorsum, si ergo minuatur Merc. adde alium Merc. mundum & calidum & repone ad coquendum, continuæ hæc facias donec sumas eius oleum & nil remaneat insolutum. Distilla ergo totum paralambicum septies quia ablutio eiusdem est eadem sicut ablutio aquæ. Quod quidem inhumando & distillando humiditatem debebit fieri quousque deuenerit ad crystallinã serenitatem absque fecibus nisi forte albis cuius signa sunt gutta spissior, abscolor, intẽsior et leuitas aerea, ita quòd si ipsum prædictæ aquæ miscueris, natabit aerem superius uero sic ablutum serua seorsum: quoniam est oleum tinctura & aurum anima & unguentum philosophorum quod colorat, & tingit, & figit, & fluere facit. Tingit omnem laminam in eo ter extinctam in

aurum uel argentum ſecundum quod ipſum uel album erit uel rubeum. Non ergo miſceas oleum auri cum oleo argenti nec econuerſo: quoniam oleum albi ad albificandum: rubeum ad rubificandum, iccirco ſi illorum corporum oleum multum fuerit multa erit tinctura: quoniam multitudo tincturæ tanta erit quanta fuerit olei multitudo.

Differentia inter aquam & oleum.

d IFFERENTIA eſt inter aquam & oleum ex parte tincturæ, quia aqua abluit tantum & mundat. Oleum uero tingit & colorat, exẽplum autem huius eſt, quia ſi pannus intingatur in aqua mundatur ab ea & quando deſiccatur recedit aqua, & permanet in ſtatu & colore ſuo in quo erat, niſi forte quia eſt magis mundus, econtra eſt in oleo quia ſi tingatur pannus in eo nõ ſeparatur ab eo per calorem igneum uel aereum niſi ex toto deſtruatur pannus, nec poterit oleum ſeparari ab ipſo panno niſi per ablutionem & ignis deſiccationem. Signa, quia gutta olei ſpiſſior eſt aqua, color intenſior & leuitas aerea, ita quòd ſi ipſum prædictæ aquæ miſcueris, natabit ſuperius. Aqua autem eſt ſpiritus, extrahens hanc animam quæ eſt oleum & tinctura earum, quando uero extrahitur anima ab ipſis corporibus, remanet in ipſo ſpiritu, quoniam ſpiritus locus eſt eius. Anima ergo eſt tinctura ſoluta in ipſo ſpiritu deportata ſicut deportatur tinctura tinctorũ per aquam ſuper pannum, deinde recedit aqua per deſiccationem, & remanet tinctura in panno fixa, per oleagenitatem. Sic ergo eſt de aqua, ſpiritus eſt in quo portatur tinctura aeris, qui cum reducitur ſuper terram albam foliatã

statim siccatur aqua spiritualis, & remanet in corpore anima quæ est tinctura aeris. Spiritus ergo retinet animam, sicut anima retinet corpus, quoniam anima non moratur in corpore, nisi mediante spiritu, cum uero coniunguntur nũquam separantur, quia spiritus retinet animam, sicut aqua retinet terram, unde præcepit Hermes animas uenari in lapidibus, est enim mansio earũ in ipsis. Non sis in uenando piger & lentus præcauens ne fugiant à te, si autem fugiant non accipies eas cum falcone, sunt enim retentiue fugitiuorum. Cum eis est coagulatio nostra, quoniam retinent fugitiuum. Seminate ergo animam in terram albam foliatam, quoniam ipsa retinebit eam, quoniam cum ascenderit à terra in cœlum. Iterumq; descenderit in terram recipiet uim superiorum & inferiorum. Non tamen misceas oleum auri cum oleo argenti, nec econuerso &c.

De ablutione ignis & terræ.

LEI uero feces, quas fecerit in sua ablutione, collige omni uice & repone cum igne, quoniam sunt ignis, ac nigredinem tenentes ac rubedinẽ, quasq; oportet cum aqua prima terere & suauiter comburrere donec fiat puluis omnino priuatus ab aeris humiditate. Sic ẽt oportet fœces aquæ cum terra coniungere, igne accenso fortiterq; calcinare, quousque sit alba humiditate uacua. Calcina ergo ignem cum igne, & terram cum terra, quousque fuerint munda & nigredine priuata, quod autem ascẽderit ab igne, illud est oleum rubeum, quod uero à terra est album pretiosum, quippe quia oleum quod tardius à corporibus separatur pretiosius habetur. Consequere ergo hæc

omnia, tempore suo & partem à parte serua singulariter unumquodque ipsorum.

De causa ablutionis secundum Platonem.

PORTET ergo te secundum Platonem pro
o posse tuo separationem elementorum exercere, aquã & aerem abluere per distillationem & terrã comburrere per calcinationem, quousque non remaneat aliquid in corpore de anima, quod non sentiatur in operatione. Cuius signum erit, cum nihil à corpore euaporabit si de eo parum laminæ ignitæ fuerit suppositum, tunc sanè erit appropriatum nomine spiritus subtile & purum, & nomine animæ tingentis erit appropriatum lucidum, ac appropriatum nomine corporis subalbidum & siccum. Quippe in nulla operatione nostra, nobis est necessaria aqua, nisi candida nec oleum nisi album subcitrinum, nec ignis nisi rubeus, nec terra nisi pallida sit, uel subalbida. Si autem ita præparaueris elementa erit terra habilis ad soluendum, aqua ad digerendum efficax, & oleum in quo portatur ignis superabundãs ad tingendum. Si uero elementa talia non habueris, est signum erroris. Corrige ergo errorem tuum, quoniam propinquior est operatio in eo, uel præparatio, quàm in opere nouo incipere. Elementa igitur soluta in uase sigillato singulariter reserua & maxime oleum, quoniam consumit ipsum aer, propter naturæ suæ uicinitatem. & scribe super totum sic quòd recorderis uirtutes, nomina, etiam colorum, ne unũ pro alio acceperis, cum operatus fueris & corrumpatur opus, & hæc quidem sufficiant ad elementorum completam ablutionem.

De tertio regimine quod est reducere.

TERTIVM regimen, quod est reducere, scilicet aquam humidam super terram siccam, ut recuperet perditam humiditatem, sed cum terra sit ex duobus corporibus, & duo elementa sint sicca dura lapidea ignis supple & terra in siccitate corcordant, quare insimul sunt præparanda, quoniam unam habent præparationem, coniunge grossitiem ignis cum terra post aeris extractionem & præpara insimul propter ipsius abbreuiationem, & etiam ut bene sit eorum commixtio & ne confundatur præparatio, & unum aliud bene tingat, & ne adurentur super ignis pugnam, unde præparare ea insimul est magis saluum, magisq; propinquum. Eorum autem præparatio est, ut maiorem recuperent humiditatem, quam perdiderant, corpus nanque calcinatum est discontinuatum, eo quòd ab aqueo est omnino priuatum, unde cum nudum sit & uacuum, ut multum sitiens ebibit suum humidum aqueum. Ideo &c.

ARNALDVS de Noua Villa hic ponit capitulum de modo albificandi & sublimandi terram, & quia terra albificatur ex multiplici. reiteratione imbibitionis cum forti contritione & frequenti assatione aqueitatis Merc. Assumit sublimationem Merc. in forma sicut ponit Geber in sua summa &c. Et in fine concludit, cum autem albissima ut nix ascẽderit, completum erit et ipsum est quæsitum bonum terra alba foliata, cõgelans & mũdificans & sulphur album, non adurens & inproximo seq. cap. dicit si ergo sulphur rubeum habere uolueris dissolue sulphur album superius collectum in

aqua rubea per contritionem & imbibitionem & bonam decoctionem, dissolutum congela in lapide, & coagulatum dissolue iterum in aqua rubea & iterum congela. Tertio uero cum eadem aqua dissolue & sublima totum per ignem fortissimũ quod quidem in sublimatione ascenderit sursum in similitudinem pulueris est sulphur albissimum, quod uero remanet in fundo est sulphur rubeum tinctum ut scarletum, et istud est sulphur optimum secundum Arist. hoc enim argenui. conuertit in uerissimum aurum secundum artificium. Ex ijs etiã patet quòd unus est lapis, una materia: unũ opus etc.

Modus uero reducendi aquam super terram fit talis.

NFVNDE igitur primam aquam per uices
i conterendo & post leuiter calcinando, quousque ipsa terra biberit de sua aqua quinquagesimã partem sui, sciens quòd oportet terram nutriri primo modica aqua & post maiori, sicut est uidendum in infantis educatione. Idcirco multum contere terram paulatim, imbibe cum aqua de octo in octo dies, decoque & postea mediocriter calcina in igne & non tædeat te hoc multotiens reiterare, ipsum enim fructum non gerit absque frequenti irrigatione, & si trituratio non fuerit bona donec aqua fiat unum corpus cum terra nihil proficiet. Non ergo suspendas manum à trituratione & assatione donec aqua sit sicca desiccata, & terra alba, quoniam exsiccatio cum forti trituratione & assatione terram facit albam. Caueas tamen, ne imbibas terram nisi paulatim & paulatim cum longa trituratione scilicet post exsiccationem terræ. Deinde est pondus in hoc ubiq; notãdum,

ne nimia siccitas, aut superfluus humor administrando corrumpant, ut uim tantum assando decoquas, quantum dissolutio adiecit & imbibendo dissoluas quantum assando defecit. Ideo omni uice post calcinationem terræ superfunde aquam tẽperate, neque multum uidelicet, neque parum quia si multũ fuerit fiet pelagus conturbationis, si uero parum uertetur in fauillam, quare suauiter & non festinanter, de octo in octo diebus terram irrigabis decoques in fimo & calcinabis donec biberit de aqua quinquagesimam partem sui. Nota q̃ post imbibitionem debet inhumari per septem dies. Itera ergo opus multis uicibus, quanquam sit longum, quoniam non uidebis tincturam neque proficuum perfectum donec sit completum. Studeas ergo cum in opere fueris, omnia quæ in qualibet decoctione apparent in mente tua recondere & eorum causas inuestigare. Tres quippe sunt colores, niger, albus et citrinus, cum autem terra egreditur nigra imperfecta est & non completa, quaque igitur uice paulatim & paulatim uigora ignem in calcinatione quousque terra egrediatur alba ex ignis fortitudine. Nam sicut calor agens in humidum præstat nigredinem. Ita agens in siccum præstat albedinem. Idcirco si terra non fuerit alba tere eam cum aqua, & itera to calcina, quoniam aqua & ignis latonem abluunt, & obscuritatem ab eo auferunt. Nam præparatio sua semper fit cum aqua, ideo qualis limpitudo aquæ talis limpitudo terræ, & quanto magis fuerit abluta terra, tanto magis erit alba, hæc tantum de tertio regimen quod est reducere &c.

NOTA recapitulationem tertij regiminis, quòd ista quæ sublimantur duobus modis sublimantur, aut per se, quia sunt spiritus, ut Merc. per se sublimatur &c. Aut sublimantur cum alijs, quia se incorporant cum spiritibus. Terra. n.

nostra cum sit ealx non sublimatur, nisi se incorporet cum Mercur. contere igitur calcem & imbibe Merc. & decoque donec fiat corpus unum, & non tedeat te hoc ipsum multotiens reiterare, quia corpus nisi cum Merc. sit incorporatum non ascendet sursum, Ideo necesse est inquantum poteris naturam suam subtilies & cum Mercurio fortiter pistes, quousque fiant unum, quia sublimationem non facimus nisi ut redigantur seu reducantur corpora ad subtilem materiam & naturam, scilicet ut sint sicut siccus spiritus, & quod corpus sit leue, ad redigendum in omnes res, siue in Solem, siue in Lunam, & hanc sublimationem facimus ut corpora redigamus ad suam primam materiam .s. in Merc. & sulphur. Facimus, ergo hanc sublimationem, tribus de causis, una est quòd corpus sit ut spiritus de subtili natura, secunda est quòd Merc. se bene incorporet cum calce, tertia est quòd totum sumat colorem album uel rubeum. Idcirco, quando calx sublimatur ad lunam debet esse alba & Merc. similiter albus. Et calx quando sublimatur ad Solem debet esse similiter rubea & Merc. similiter rubens igne calefactus, & debet esse puluis inceratus, quia non bene operatur Mercu. nec ad Solem, nec ad Lunam nisi tali modo. Et cum Mercurio quem sublimas ad Lunam non misceas ullam rem, quia color Solis non intrat ad Lunam, nec album ad Solem. Sed ponas unamquamq; speciem cum sua specie & pone ad ignem accensum & sublima totum. Et non misceas istud quod remanet deorsum cum illo quod ascendit sursum: sed pone unumquodque ad partem, quia illud quod in fundo remanet de corpore reiterabis ad sublimandum per Mercurium incorporandum, donec ascenderit totum. In sublimatione autem Merc. cum uideris terram albissimam sicut nix & quasi puluerem mor

tuum aludel ſpondilibus adhærere tunc ſuper eam reitera ſublimationem ſine fœtibus inferius remanentibus, quoniam adhæreret pars illius fixa & fixaretur cum fœcibus & nunquam poſſet ſeparari ab eis. Puluis autem aſcendens ſuperius à fœcibus, eſt cinis à cinere, id eſt terra extractus, ſublimatus, honoratus, quod uero remanet inferius ex eo adhærens eſt cinis cineris inferius. cinis inferior uituperatus, damnatus & fex, quod autem albiſſimum ut nix aſcenderit, completum erit. colliges igitur eum caute ne euolet in fumũ, quia ipſum eſt quæſitum bonum, terra alba foliata, & congelans congelatum mundificans arſenicum, & ſulphur album, & eſt res optima ſecundum Ariſt. quoniam eſt completum & de eo alchimiſtæ faciunt argentum, & hoc quidem modo perficitur ſulphur album non urens, id eſt, Merc. ſublimatus.

De quarto regimine quod eſt figere & fermentum uel fixum eſt neceſſarium ad figendum.

q VARTVM uero lapidis regimen eſt figere album ſulphur & rubeum ſupra corpus fixum, ſcilicet ut ſulphur album figatur ſupra argentum & rubeum ſuper aurum, quia ſecundum pythagoram, qui argentum uiuum à corporibus extractum non coagulat in ſulphur album patiens ignem, nullam uiam exigit ad rubedinem. Non igitur fatiges corpus tuum in huiuſmodi rebus altis ad quas peruenire non potes ſi iſta facere ignoras quoniam in deuio erras. Prudenter ergo & non caſualiter operare, quoniam ſine fermento nõ exibit Luna in ſolem, ſed ad aquã ſol & Luna, quòd non permaneat in eſſentia naturæ, niſi occultaueris ipſum cum corpore de quo præparaſti ab initio,

ſcilicet Luna & Sole. Coniunge igitur ipſum cum eo quod generet ſibi ſimile & fiet elixir illud quod componis, cum autem coniunctum fuerit cum ſuo corpore, non deſinet in aliud agere quouſque conuertit, totum. Idcirco quando uis fermẽtare miſce ſulphur cum corpore ut totum ſit fermentũ, quoniam fermentum rediget ſulphur noſtrum ad ſuam naturã colorem & ſaporem per omnem modum, quare fermentum ad album erit album, & ad rubeum erit rubeum, quod patet quia ſi poſueris fermentum argenti, cum ſulphure auri rediget ad ſuam naturam, ſed non ad ſuum colorem, ſimiliter ſi poſueris fermentum auri, cum ſulphure argenti, cõuertet ipſum nõ ad ſuam naturam, ſed ad ſuum colorem. Et econuerſo, non ergo commiſceas fermentum unius ſulphuris, cum ſulphure alterius, quoniam fermentum auri aurum eſt, argenti uero argentum eſt, & non ſunt alia fermenta ſuper terram, quia nunquam figit, quod fixum non eſt, nec fuit.

Quod ponduſ fermenti debet pondus excedere ſui ſulphuris uel eſſe æquale.

DCIRCO in omni fermento debet notari pon
ī dus utriusq; ut ſumma uolatilis ſulphuris, nõ ſupe
ret ſummam ſui corporis, alioquin ligamentum ſponſalitij uerteretur in ſpiritus fugam non fixi, unde dicit Plato ſi parum ſulphur proijciatur, ſuper multum corporis ita quòd ſuper habeat potentiam, cõuertet ipſum cito in pulueren, cuius color erit ſicut corporis ſuper quod proijcitur ſpiritus ſcilicet coloris auri uel argenti. Dicam ergo inferius pondera omnium. Sed quia ſulphura non poſſunt, ingredi corpora niſi mediante aqua, cum aqua facit medium inter

ſulphur & fermentum in omni deſponſatione. Primo ponas ut dicit Auic. terram, quoniam ipſa eſt iuxta fermentum. Secundo ponas aquam quoniam eſt iuxta terram. Tertio pone aerem quia eſt iuxta aquam. Quarto pone ignem quia eſt iuxta aerem, uerũtamen non ponas ignem in elixir ad album, quoniam elixir ad album tribus completur elementis. in quibus non eſt ignis. Rubeum uero omnibus quatuor utitur rotis. Aperi ergo & claude, ſolue & noda, ablue & deſicca, quoniam aqua eſt medium coniungens tincturas illorum, ſcilicet olei, aeris, & ignis. Et dicam modo uerbum phyloſophicum. Si prius mittas oleum & poſtea terram erit oleum mortificatum in terra, quoniam aqua intraret. Si autẽ poſueris aquam & poſt oleum ſtabit oleum ſuper aquã. Si autem poſueris aquam & poſtea terram, erit aqua ponderoſior quàm terra. Fige ergo aquam cum terra ut ei adhæreat. Et ſi unum de quatuor occidiſti omnes ſunt mortui, ſi unus habeat plus de anima quàm alius nihil ualet. Appropria ergo fermentum quod eſt anima, mitte fermentationem ut ſit puluis calcinatus ſolutus & induratus, quoniam ſi bene non præparas fermentum nil ualet magiſterium.

Conſequenter uide quæ ſunt utilitates diuiſionis &c.

Si non diuidas lapidem per quatuor elementa, non poteſt bene cõiungi anima ſcilicet ſpiritus cum corpore. Et ſi non miſceas de ipſo corpore cum eo, ſuper quod facere uis proiectionem, in elixir, & non mitigas, non diliget corpus ſpiritum. Et ſi non miſceas fermentum in elixir, non coloratur corpus ſuper quod debet proijci, ſicut decet. Et ſi non ſublimas totum hoc, quod mittis in elixir, erit

aurum & argentum acre, & si non præparas totum non sustinebit ignem. Et si non caueas tibi in mollificando & indurando, non erit habile aurum & argentum in operando. Idcirco calx quæ mittitur in elixir est sublimanda ut sit omnino simplex & una. Cum autem uis proijcere elixir, facies calcē de illa materia cuius fuerit corpus super quod proijcere uolueris, & mitte fermentum sicut supra dixi, & si est aurum de auro, si argentum de argento, quoniam sponsalitium non est aliud, nisi quod coniungas fermentum cum corpore supra quod uis proijcere elixir. Item corpus & fermentum quod misces in elixir debet esse puluis bis uel ter sublimatus. Nam quoties sublimabis aliquod corpus cum commixtione sublimati spiritus, toties lucraberis in proiectione mille partes. In quanto enim alleuias corpus tuum. In tanto habebis melius ut possis proijcere unum pondus supra centum & centum super mille, & mille super decem & decem super centum & centum, super mille millia & millesimum super infinita.

Quid debeamus seruare quantitatem uniuscuiusque.

CUM igitur uolueris lapidem nostrum præparare scias quantum est in ipso de aqua & de aere de igne, & de terra cum fuerit calcinatus, erit in eo siccitas maior, calor maior, frigiditas minor, humiditas minor. Cum soluitur redigitur in frigiditate maiori, caliditate minori, humiditate maiori, siccitate minori. Quando figitur reducitur in calore maiori, humiditate minori, siccitate maiori, humiditate minori.

Quomodo elementa sunt corrigenda & quomodo acquiritur fusio medicinæ.

IN coniunctione lapidis tres attendas colores principales, primo nigrum, secundo album, deinde rubeum. Obserua igitur diligenter ne opus tuum rubeat ante nigredinem, & pereat tinctura per combustionem, si uero rubuerit, ante nigredinem, corrige errorem, decoquens omnia simul in aqua alba, donec conuersa fuerint in nigredinem. Sic etiam facies si rubuerit ante albedinem. Non igitur negligas inhumationis decoctionem, quoniam ipsa tollit combustionem, & perditam restaurat humiditatem. Si uero medicina non commiscetur corrige per dissolutionem eius quod ingreditur & per mixtionem ambarum solutionum facit ingressum, in omne quod illi per minima coniungitur, hoc autem per solutionem non in aquam uulgarem complectitur, sed in aquam mercurialem, & complectitur similiter per solutionem fusio facilis in rebus non fusibilibus, ut apertius ingrediatur & alteretur cum complemento. Vnde medicinam calcinamus, ut citius soluamus, & ut melius mundetur figatur & fundatur, ac ut ab ea suscipiant corpora meliorem impressionem aut ingressum: & facilem fusionem dare materiæ, cum multiplici solutionis reiteratione spirituum non inflammabilium super illa uim aeris & aque Mercurij non fixorum: aut cum multiplici solutione medicinæ non fundentis. Est tamen cautela bona ad fusionem præstandam medicinæ non fundenti, ut soluatur corpus fermenti albi, scilicet uel rubei, de cuius intentione sit per eam immutari & alterari & soluatur similiter medicina alba, scilicet

uel

uel rubea de cuius intentione sit ingredi cum alteratione, non fiet tamen omnium istarum parcium solutio sed quarũdam, quoniam solutio earum non est aliud nisi quòd in humidum reuertantur & sulphuris salsedines auferantur. Dehinc idem corpus & non aliud corpus imbibetur uice post uicem donec fundatur citissimæ super laminam ignitam. Quin ex ijs artificiorum ingenijs necesse est medicinam quambibet & commisceri, & fundi & ingredi. Si autem metallum quod conuerti debet per medicinam, non fuerit sufficientis coloris addatur plus de ipsa medicina. Si uero de colore nimis habuit uim in sole, quia luna non potest esse nimis alba ponatur minus de medicina & plus de metallo conuertendo. Se autem medicinæ non bene remanserit quod est ex defectu fixionis, succurre per reiterationem solutionis & coagulationis atque per multiplicem non fixæ partis solutionem, super partem fixam, donec cum ignis asperitate quiescat, id est, non fugiat ab igne aspero. Si uero fundatur grauius quod est ex defectu cærationis succurre ei cum oleo, id est, aere lapidis, guttando guttam ad guttam super ignem leuem, donec fundatur ut cæra. Quoniam quando incæras misce magis de re calida & humida, quàm de re frigida & sicca. Et quando figis misce magis de re frigida & sicca quàm de calida & humida intellige quæ dico quoniam huius operis perfectio, est naturæ imperfectio.

De ponderibus obseruandis in fixione.

OMNIA sub termino diffinito & dispositione certa consistunt idcirco unicuique pondus & omnis mensure modus in omni opere opus est. Caue ergo

tibi in commixtione elixiris, & operare ibi sapienter ut scias quantum ibi apponere debes, de aqua, de aere, de terra & de igne. Alioquin si secus feceris, non ualebit opus: quia si ponas de terra magis uel minus quàm requiritur in elixir: quod magis poneretur mortificaret animas, quod minus faceret eas humidas & non figeretur. Similiter in aqua si plus uel minus poneretur faceret simile damnum: si plus poneretur faceret humidum & molle, si minus faceret siccum & durum. De aere si plus, coloraret nimis, si minus esset non haberet colorem. Ignis etiam lapidis simile faceret damnum quia si plus esset combureret, si minus & parum esset non siccaret totam humiditatem, quam debet desiccare nec calefaceret. Veruntamen ad album non ponas ignem, sed loquor hic de omnibus elixirijs. Idcirco pondus ubique est notandũ, ne nimia siccitas aut superfluitas humoris corrumpat, magisterium, quare fermentum iuxta adequationis incrementum est semper apponendum, non nulla erroris offensa nocebis, si ad illud pondus ubique recurras. Quicquid igitur in elixir est grauius & stabilius per ipsius ponderositatem sibi nomen terræ usurpat. Non minus quoque fermentum quod cum sulphure coniungitur, terræ nomen assumit: quæ uero subleuãtur & euolant aquæ & aeris sibi nomen appropriant. Cum ergo coniugis elementa ut figantur in terra si est ad album, semper sit de terra plus, qudm de aliquo aliorum elementorũ alioquin terra non figeret spiritum, immo secum euolaret in fumum, uerum illud fit plus secundum rationem iuxta æquationis mensuram, uerbi gratia, si est de aere unum pondus & dimidium, & de aqua duo pondera, debent de terra esse tria pondera minus quarta, & terræ fermentum sit ter tantum, quantum est sulphur album, ut si unũ pondus fue

rit de ſulphure albo, tria pondera erunt de fermento, quantum igitur fuit aer & aqua tantum debet eſſe de terra minus quarta. De aqua duo, de aere unum & dimidium & erit elixir completum. Ad ſolem uero cum ipſe ſit calidior luna debent eſſe duo pondera terræ, tria aquæ & tot de aere & unum pondus & dimidium de igne, nam pondus ignis dimidium eſt unum pondus aquæ, nec eſt in hoc additio nec diminutio, quoniam ſi ſit multa aqua & paruus ignis extinguetur ignis, ſimiliter ſi ſit multũ de terra & paruus ignis, econtra tamen eſt de aere, quia aer nutrit ignem ſicut aqua nutrit terram, nam ignis uiuit de aere, & aer de iuuamento aquæ & aqua de iuuamento terræ. Fige igitur aquam in terram ut aer poſſit figi in aquam, quoniam ſi aquam occidiſti, omnes ſunt mortui. Veruntamen aqua minime figitur ſine terra. Quia conſurgit nullus unquam ſine corpore fructus. In quo dum moritur ſemen fructum dare fertur. Quoniam cum terra ſit in ſe fixa retinet ſecum & figit alia elementa. Aqua uero cum ſit frigida & humida circundat, terram & conſtringit, & tenet cauſa, quoniam frigidum & humidum ſiccitatis eſt conſtrictiuum. Veruntamen impreſſionem cito recipit & cito dimittit. Siccum autem econtra grauiter impreſſionem recipit & grauiter dimittit. Ideo cum humidum & ſiccum ſeinuicem comparuerint, adipiſcitur ſiccum ab humido per partium conſtrictionem uel continuationem & facilem fuſionem acquirit ſiccum ab humido, & humidum à ſicco acquirit ut firmiter teneat impreſſionẽ & quòd omnem patiatur ignem unde propter hoc humidum prohibet ſiccum à ſua ſeparatione & propter hoc ſiccum prohibet humidum à ſua fluxibilitate. Aer uero circundat aquã & clarificat, uel rarificat terram & tingit ipſam, ut apta

ſit ad extenſionem & fuſionem. Ignis autem totum compoſitum maturat, ſubtiliat, rubificat, permiſcet aerem & conſolidat, ac terræ & aquæ frigiditatem ſtringit & obtemperat ut redeat ad æqualitatem complexionis. Elementa igitur grauia ut terra & aqua plus iuuant ad fixionem & quietē, elementa uero leuia ut ignis & aer plus iuuant ad fuſionem & tincturam. Non comedas ergo quòd non bibas, nec bibe quod non comedas, ſed comede et bibe unum poſt aliud ſecundum rationem. Non ſis prodigus non auarus, ſed moderata pondera ſerues ſecundum æqualem uel inæqualem complexionem.

De fixione, & elixiris compoſitione, ad album.

LLVMINA corpus antequam ponas animam,
i quia corpus niſi ſit ablutum, non retinet ſpiritum.
Sit autem potus poſt commeſtionem, non autem commeſtio poſt potum. Alioquin facies uentrem humidum, & non recipiet ſiccitatem, bene ergo fige bene commiſce, & bene tinge, & ſic totum habebis magiſterium. Idcirco ciba tres partes puriſſimæ lunæ minutim limatæ, cum duplo ſui Merc. albi, terendo totum inſimul fortiter. In mortario porphiritico, donec Merc. combibat totam limaturam & fiat quaſi butyrum ita quòd nil inueniatur de limatura. Hinc ablue fortiter cum aceto, & ſale communi ſeparato, donec acetum inde purum exeat, & clarum: tunc ablue ſalem, cum aqua dulci & clara & ad ignem deſicca. Abhinc uero unam prædicti ſulphuris ſublimati & congelati albi partē, unam conterendo inſimul fortiter, donec totum redeat, quaſi corpus unum, deinde incera ipſum cum una parte ſuæ

aquæ albæ et mitte ad ſublimandum uigorando ſubtus ignē paulatim & paulatim, donec ſublimetur ex eo quicquid ex eo fuerit uolatiuum: deinde infrigidatum extrahe, & quod ad latera uaſis ſupereuolatum fuerit, cum alia parte ſuæ aquæ redigæ ſuper fœces ſuas terendo imbibendo & aſſando, donec fiat ſicut paſta & remitte ad ſublimandum. Ita continue reitera contritionem, imbibitionem, aſſationem & ſublimationem uigorando ſemper ignem donec fungatur terra duplum ſui de aqua, & nihil penitus ſublimetur ab ipſa, & reducas ſemper quod ſuperius aſcendit, ſuper illud quod inferius remanet fixum, quouſque totum figatur deorſum, nā ſulphur fixum cum ſit congelans congelatum, naturaliter congelat ſuum Merc. per frequentem ſublimationem, uel ſulphuris reiterationem ſuper ipſum. Exemplum autem huius eſt terra & aqua, & cum aqua commiſcetur cum terra, terra abſorbet aquam ſua ſiccitate, & inſpiſſat eam ſcilicet aquam ſua denſitate & facit eam ſibi ſimilem ſua groſſitie, quoniam omne ſiccum naturaliter appetit humidum, ut in ſuis partibus ſit continuatum, unde oportet exprimere rem illius ſcientiæ et ad plenum cognoſcere uires naturæ et eiſdem firmiter adhærere, quoniam natura ſufficiens eſt tibi & ſibi et ſimiliter in omni quo indiget ad ſui perfectionem. ipſa ſiquidem cum ſit ſagax eſt ſollicita in creatione ſui corporis, cuius ſollicitudinis non eſt finis. Sufficit ergo uobis chariſſime naturam ſapienter diſponere extrinſecus, quoniam ipſa ſufficit intrinſecus ad ſui operationem. Motus ſiquidem ipſius ſunt adhærentes ſibi uiæ uni & ordini uni, modo meliori & certo quo poſſet excogitari, ut patet in creatione cuiuslibet generati. Idcirco additamentum diſpoſitionis & præparamentum, debent eſſe in magiſterio philoſophorū, id eſt,

operantium, quia natura motum suum præterire non poterit, nisi impedita fuerit per contrarium. Certum nanque tẽpus est quod ipsa habet ad impregnandum & pariendum, & nutriendum & operandum, unde cum terram habueris impregnatam expecta partum, cum uero peperit filium nutrias eum quousque possit, tollerare omnem ignem & tunc poteris de ipso facere proiectionem.

De reductione aeris super elixir ad album.

GITVR cum aqua fuerit, cum terra fixata,
I tere, imbibe eam imbibitione rorida, cum una parte aeris sui, & pone ad sublimandum faciens sub eo ignem primo lentum, postea fortiorem, quousque per continuam sublimationis reiterationem, totum figatur deorsum. Tunc per diem & noctem facias ignem sub eo fortem. Secunda die cum sua nocte fortiorem. Tertia die cum sua nocte facias fortissimum ignem sicut est ignis fundendi: sic enim aer figitur, cum aqua & terra, quia natura lætatur natura & natura docet naturam præliari contra ignem persequente nanque fugienti, obuianti perit fuga, quoniam auis plumata detinetur ab implumata deorsum in terra.

De inceratione elixir albi.

BHINC ergo extrahe & de lamina cristallina
a quam infundo reperies lucidam drachmam unam tere, & cera inceratione ultima guttando super ipsum guttam ad guttam in tenui crucibulo super ignem leuem, de suo aere albo, iam dicto, donec fundatur, sicut ce

ra sine fumo. Tunc proba super laminam ignitam, si se resoluerit uelocissime sicut cera cerata est. Si uero non, reduc ipsam ad cerandum, guttando guttam adguttam, de oleo suo albo, donec fundatur sicut cera sine fumo. Et hoc quidē est præceptū omniū philosophorū: ut postquā per sublimationes fixaueris mundissimam terræ partem, reiteres sublimationem residuæ partis non fixæ super eam fixam, donec ipsa similiter figatur. Hinc tenta super ignem si bonam dederit fusionem, tunc sufficienter reiterasti sublimationem. Si uero non, reitera super ipsam uice post uicem non fixæ partis sublimationem donec fundatur cito sicut cera sine fumo. Tūc extrahe & infrigidari dimitte, quoniam est elixir completū impretiabile pretium conuertens omne corpus diminutum in infinitū lunificum uerū, proijce ergo unum pondus de eo super mille partes Merc. cum sale in aceto soluti & fiet pura luna melior quàm de minera. Sic etiam si super imperfectorū corporum unumquodque de eo fuerit proiectum in uerissimum transferetur argētum. Modos autem compositionis huius uerissimi elixiris tradidi uobis completo sermone ad quas per illos potes peruenire indubitanter. Sollicite ergo ad hos ingenieris, modos regiminis exerceas & eorum uirtutem ad unguem inuenies, quod quidem nec per se nec forte putes miraculose sed arte perficitur in operatione, operare ergo quocunque uolueris quia ultra consiliū istud, non possum aliud.

De compositione elixiris rubei.

ODEMQVE modo fit elixir rubeum ad Solem sicut album ad lunam, nisi quòd pro qualibet re alba ponas rubeam & loco limaturæ lunæ pone

e

limaturam solis, & aquam Merc. rubificatam prius cũ igne lapidis. Nam in opere rubeo non intrabit nisi rubeum, sicut in opere albo nisi album. Solaris nanque medicine præparationi, non adurentis fit additamentum sulphuris rubei per modum figentem & calcinantem in triplo fermenti præparati cum astutiæ industria administrati perfecte per modum solutionis & sublimationis multiplicem cum reiteratione multa quousque non fixum cum fixo figatur deorsum: quoniam huius solutionis & fixionis modus est per reiterationem partis residue non fixe sublimationis, cum fixe ingeniose coniungendi per minima, quousque eleuetur cum ea & iterato figatur cum ea ut stet. Cum uero tres partes aquæ suæ rubeæ fuerunt secum per hunc modum sublimate uice post uicẽ cum eo donec figatur deorsum, tunc pone ipsum per noctem & diem in igne tepidissimo ut melius depuretur & figatur in eo. Hinc extrahe, & cera ipsum in crucibulo super ignẽ lentum, cum oleo suo rubeo, guttando guttam ad guttam, donec fundatur ut cera sine fumo cum eo stans & penetrans profundius, tingens & permanens. Proijce ergo unum pondus super mille partes Lunæ, uel Merc. ablute, cum sale & aceto & fiet sol uerissimus in omni examinatione bonus & melior ualde quàm de minera productus, quia argentum et aurum, huius elixiris excedit aurum & argentum de minera in omnibus suis proprietatibus. Vnde dicunt philosophi q̃ aurum & argentum eorum non sunt aurum & argentum uulgi, quoniam additur eis additio magna in tinctura & perseuerantia in igne & proprietatibus multarum utilitatum, ad omnem infirmitatem expellendam.

De *multiplicatione medicinarum*.

SI VERO medicinas istas cum fixe fuerunt & date oleis suis albis uel rubeis, donec fluxerint sicut cera, dissolueris in Merc. suo albo uel rubeo, donec fiant aqua clara, & postea in leui decoctione congelaueris, ac cum eorum oleis & super ignem denuo ceraueris, quousq; fluant citissime, duplicabitur uirtus earum in proiectione. Et si eas cum solute fuerint semel ad minus distillaueris in centuplo augmentabuntur uirtutes earum. Modus uero multiplicationis medicinarum est, ut dissoluas unumquodque spiritum earum in aqua sua per inhumationem singulariter, postea separa oleum earum per distillationem primo recipies aquam post oleum, deinde ignem & manebit terra deorsum. reduc aquam per sublimationem super terram donec bibat istam aquam totam & figatur cum ea: de inde imbibe eam ex oleo seu aere & tinctura donec figatur in ea & fundatur quasi cera, proijce ergo ex eo supra quodcunque corpus tantum quantum uis, quoniam in decuplo multiplicabitur eius tinctura, & si una pars sui primo conuertit cuiusuis corporis centum partes, secũdo conuertet mille, tertio decem millia, quarto centum millia, quinto mille millia in solificum & lunificum uerum. Vnde est notandum ꝙ quanto plus soluitur medicina & sublimatur et coagulatur, tanto melius & abundantius operatur, quoniam in omni sua sublimatione, acquirit sibi decem in proiectione. non est igitur fastidium in reiteratione solutionum, sublimationum & coagulationum, quoniam per eas medicina melius digeritur, unitur & figitur ac perfectus operatur.

Quomodo debes intelligere solutionem & sublimationem.

ERVNTAMEN non putes me hic docere solutionem ut elixir omnino redigatur in aquã, sed ut subtilies ipsum inquantum potes & diuidas suas partes in fixione coniunctas, suumq; siccum conuertas in humidum & grossum in simplum, quoniam opus solutionis inuentum fuit, ad subtiliandum & non propter aliud: unde coniunctio corporis cum spiritibus fit cum dissolatione, & nõ cum sublimatione, quia corpora non indigent nisi subtiliatione, ut melius cum spiritibus coniungantur. Ipsorum uero subtiliatio est in aquam dissolutio, quia distillatio uel dissolutio trahit lapidem de potentia ad effectum eo quòd facit eum omnino subtilem, unde cum corpora totaliter subtiliantur. Spiritus uniuersaliter cum eis coniunguntur, & per nullum genus ingeniorum abinuicem separantur, quoniam confirmatio spirituum cum corporibus, fit cum corpora fuerint subtilia ut retinere possint spiritus. Et ideo qui corpora poterit separare cum prima subtiliatione, finem consequetur opportunum & optatum, quoniam in coniunctione spirituum cum corporibus tota debet esse intentio operantis. Et coniunctio spirituum & corporum fit cum corpora subtiliantur, ut spiritus & corpora fiant subtiliata per contritionem & assationem eorum cũ spiritibus. Intellige ergo quæ dixi, quoniam utile est totum & nihil superfluum in dictis meis si uero non intellexeris itera lectionem multotiens ut totum intelligas, uide ergo & intellige & secundum ea operare, quoniam quicquid diximus à linea ueritatis uenit à

qua non debes in nullo declinare, quare nisi despicias nec labor priuabitur fructu. Idcirco si uera subscripta non intellexeris, non me reprehendas, sed tuam ignorantiam calumnieris, quoniam infortunatus es, sicut ille cui nunquam Deus aliquid tribuit uel concedit boni.

De modo faciendi proiectionem.

SED QVIA graue est mille milliũ partes simul fundere, cum uolueris facere proiectionem, hoc modo facies. R. centum partes M. cum sale et aceto abluti & pone in crucibulo super ignem, cum autem inceperit feruere pone unam partem, tui elixeris dicto modo præparati super C. partes illius M. abluti & fiet totum medicina, super alium M. ablutum: deinde proijce unam partem illius medicinæ congelatæ super centum partes Merc. abluti & in crucibulo feruenti ad ignem & fiet adhuc totum medicina. Postea pone unam partem illius medicinæ ultimæ congelatæ super centum partes Merc. abluti & fiet totum aurum uel argentum in omni iudicio, secundum quòd primo fuerit elixir uel album, uel rubeum, scilicet præparatum & compositum, ut dictum est. Et hoc quidem est Rosarium philosophorum ferens rosas odoriferas tam rubeas quàm albas, extractum breuiter ex libris, ipsorum, nil habens superfluum nilq; diminutum sed totum continens quod est necessarium, ad omne diminutum perficiendum in infinitum solificum & lunificum uerum, secũdum quod elixir fuerit præparatum. Sic etiam habet uirtutem efficacem super omnes alias medicorum medicinas, omnem sanandi infirmitatem tam in calidis quàm in frigidis ægritudinibus, eo quod est occultæ & subti

lis naturæ conseruat sanitatem & roborat, infirmitatem expellit & curat uirtutem confortat, de sene facit iuuenem, & omnem corporis depellit ægritudinem, uenenum declinat à corpore, arterias humectat, contenta in pulmone dissoluit, & ipsum alteratum consolidat, sanguinem mundificat, contenta in spiritualibus purgat, & ea munda conseruat. Et si ægritudo fuerit unius mensis, sanat una die, & si unius anni in duodecim diebus, si uero fuerit antiqua longo tempore sanat in uno mense. Et non immerito hæc medicina super omnes medicinas alias & mundi diuitias, est summopere acquirenda & perquirenda quia qui habet ipsam habet incomparabilem thesaurum.

Vltimum de recapitulatione totius operis.

PERTRACTATIS igitur regiminibus totius huius diuini operis secundum exigentiam sui sermonis, cum causis omnibus sufficientibus. Restat nunc breuiter & memorialiter totum recapitulare magisterium sub completa sermonis breuitate. Dico ergo quoniam totius intentionis operis, finis non est nisi ut sumatur lapis in capitulis notus, & cum operis instantia assiduetur super ipsum opus sublimationis primi gradus, ut mundetur ab impuritate corrumpente, demum cũ eo soluto soluatur ipsius additamentum album uel rubeum, donec in ultima subtilitatis materia perueniat, & ultimo uolatile fiat. Ab hinc uero cum fixionis modis figatur donec in asperitate ignis quiescat, demum uero fixum lapidem cum non fixa parte seruata, per modum solutionis & sublimationis uolatile facias, & uolatile fixum, & fixum solutum & iterato uolatile, ac itera=

to uolatile fixum, quousque fluat & alteret in complemento solifico & lunifico certo. Et in hoc completur archanum pretiosissimum, quod est super omne huius mundi archanũ impreciabile precium & omnium philosophorum thesaurus. Idcirco charissime exerciteris ad illud cum laboris instantia maxima, & diuturnitate meditationis immensæ, quoniam cum illa elixir completum inuenies & sine illa nunquam. Modos uero ipsius completo sermone uobis dedi superius non sub ænigmate, sed sub plana sermonis serie, discretionẽ uestram alloquendo, quoniam teste Deo & omnibus philosophorũ libris nihil in hac arte continetur melius & perfectius quàm ista antescripta, breuitate tamen truncata quamuis intelligentibus sint satis prolixa. Sit laus Trinitati & Gloriosæ uergine Mariæ.

Finis collactaneorum Arnaldi

EPITOME LACINII EX DIVO RAYmundo Lullo, quæ ſecundum eum epiſtola accurtatoria nuncupatur.

I TANTVM huius almæ artis amatoribus prodeſſe ualerem quantum ipſe cupio, omnia Diui Raymundi Lulli opera, in methodũ nunc nũc in lucem darem, ſed quia, quod uolo non poſſum, neceſſum eſt, ut id uelim, quod poſſim. Modo autem cum inter omnia Lulli opera, illud, quod Regi Ruberto in uicem epiſtolæ dedit, multis poſſit eſſe non minus charum, quam fructuoſum & utile, cum ſit præcipue breuiſſimum atque lucidum, & iudicio cuiuſcunque ſapientis omni exparte perfectum perpeti nullo modo potui, quin eo ipſo Raymundi compendio, una cum Bono, atque Rainaldo ſtudioſos omnes impartirem. In illo ſiquidem, omnis ipſius Raymundi breui ſermoue lucet intentio. Eſt etenim tractatulus ille accurtatio quædam (ut ipſe appellat) omnium ſuorum operum, & quia omnes fere breuitate gaudent, breuem tractatum, breuibus narratum, breuiſſimis quibus potero uerbis illuſtrabo.

EPISTOLA SIVE EPITOME Raymundi Lulli.

VM EGO Raymundus de insulis Balearibus. Præteritis temporibus plures libros secretos in arte transmutationem composuissem, & librum omnium secretissimum de lapidibus pretiosis secundum uirtutes suas compositas, quæ est pars difficilior omnibus quæ per artem fiunt tibi regi Ruberto uulgari sermone transiuissem, ut certior in laborando existeres, quia scientia omnium experimentorum est falax, cum inter quascunque operationes & omnino æquales atque similes tam ex parte influentiæ, quàm etiam ingenij applicationis artis uidemus errores occurrere: ideo ego omnes libros meæ compositionis tali stillo scribere uolui ut quantum esset ex parte scripturæ nullus in errorem cadere contingat ut tu nosti in libris testamẽti & apertorij, ubi omnia clarissimo sermone tractaui quæ per artem fieri contingit quos libros iam puto te plene perlegisse & supreme intellexisse, te tamen ad ea quæ ibi scripta inuenies admoneo te ut Deo summo studio placere labores & omnia tibi in secreto artis reuellata apud te retineas. ne tesaurum inter indignos depergas, & Deus super hoc iudicium à te deposcat. omnibus autẽ Deo dilectis præcipio, si possum, eis omnia communicare quæ tibi Deus ostendere dignatus est. Ego cum uienam transiui literam tuæ manus inueni mihi à te missam, quam legens te solerti studio percepi. Tuis autem mandatis propter certas occupationes aquiescere non potui. Deinde salernum, iui ubi quosdam libros medicinæ ex principijs artis derogatu quorundam extraxi: tu me continue litera uisi-

tasti. Vbi qaærere intendebas de ingenio artis lapidis, bene dicti. Si uia possit dari breuior uijs scriptis in alijs meis libris. Hoc autem quærere mihi otiosum uisum est: quia in quibuslibet intelligentijs principia alicuius scientiæ omnes syllogismi nunquam scripti in potentia sunt.

ACVTE (licet grosso uerbo) hic loquitur. Nam ex principijs primis cuiuscunque scientiæ diuersi fiunt syllogismi, & conclusiones similiter diuersæ. istud idem dicas tu in arte & scientia ista, ideo Raymundus alia uia processit multum subtili. Diuisit enim elementa & subtiliauit spiritus & corpora aliter quam fecerat ipse Arnaldus qui suus fuit in hac arte præceptor. Itaque cũ ijsdem principijs naturæ, cum quibus ipsemet Arnaldus operabatur alia uia illa depurando, subtiliando, coniungendo ac demum fixando ampliauit nimium medicinarum modos: ideo hic ait si uijs meis non es cõtentus elige tibi breuiorem præcepta tamen mea illis applicando &c.

QVARE ut existimo. Si tu mea scripta intelligis & non es uijs meis contentus, tibi elige breuiorem, mea præcepta applicando illis uijs. Quæsiuisti quis trium lapidum, utilior, breuior, nobilior, & efficacior: sit sicut plene alijs meis in libris hoc declaraui. tamen ut petitioni tuæ aquiescam. Dico uiam mineralium longam & periculosam fore. Tota enim uia mineralium consistit in duabus aquis quarum una facit lapidem uolatilem sine labore & periculo. Alia autem eum fixat & secum fixatur cum periculo. Quia hæc aqua extrahitur ut nostri ex quodam menstruali fœtenti in massa ti ex rebus quatuor & fortior est omni aqua mundi & mortalis. Cuius spiritus solam tincturam fermenti ampliant & magis periculum est ne in ablutione spiritus aufugiant cum

ingenio

ingenio laborantem, iste lapis cum breuiori tempore & cum magna fortitudine conuersionis producitur.

LAPIS animalis est illæ, quæ non habet finem propter regere elementa, in quo maior est scientia quàm in alio lapide, & quia ibi possunt maxima secreta naturæ extrahi, non solum quo ad lapidis compositionem: sed etiam quo ad cuiuslibet rei in alteram transmutationem, ut hoc in apertorio declaraui, unde effectus istius lapidis est infinitus.

LAPIS uero uegetabilis quanquam longus sit & quãuis sit supremæ compositionis, debet tamẽ sequi lapidẽ animalem quo ad rectificationem elementorum & si sic præparatur eius effectus transit in animalem. Sed elixir magnũ in uegetabili ita acurtare potest, quòd mirabile uideatur cum tãto effectu transmutationis, ut omne transmutatum per lapidem uegetabilem naturam in uirtute bonitatis et magnitudinis transcenderet, propter quintam essentiam de qua lapis impregnatur quæ in mundo infinita mirabilia facit. Nota

OMNE autem aurum alchimicum ex corrosiuis fit et ex quinta essentia incorruptibili quæ cum fermento fixatur per ingenium artificis. Talis autem quinta essentia est quidã spiritus in lapide minerali mortificatus & uenefícatiuus.

IN animali autem lapide aliquãdo etiam est summa medicina corporibus humanis, ut si ex sanguine humano extraheretur. In uegetabili autem lapide ipse spiritus quintæ essentiæ est restitutio iuuentutis & conseruatio corporis humani ab omni accidentali corruptione, & sic ut scis spiritus quintæ essentiæ est illæ qui tingit & transmutat, si cum debito fermento impastatur: & summum & nobilius est & efficacius & utilius opus uegetabilium.

QVAESIVISTI etiam de accurtatione, dico quòd

omnis accurtatio est diminuens à perfectione : quoniam medicinæ quæ per accurtationem fiunt minorem effectum transmutationis habent. Accurtatio lapidis mineralis potest esse multiplex. Sed mihi uidetur ut eius effectus non diminuatur, tunc cum post primam calcinationem & putrefactionē quæ fiunt per primam aquam bene limpidam & clarificatam uigenti diebus minori autē tempore nihil fieri potest : postea separetur puluis coloris sanguinis et distilletur secunda aqua summo ingenio ne spiritus euadent, scilicet secundum ingenium datum in testamento, & accipe solum ultimam partem aquæ post rubificationem alembici, & in ea aqua solue pulueres locando in aqua calida & ibi cooperto uasæ perseueret die & nocte una post solutionem, postea super pone alēbicum & distilla in eo balneo totam aquam donec non remaneat nisi quantitas aquæ in pondere puluerum hanc aquam distillatam abijce quia nihil de spiritu debet habere, reliqua quæ remansit cum corpore uase bene clauso in cineribus calidis congella, qua congellata fac aliam aquam & superfunde & procede ut dictum est distillando & congellando & hoc continua usque ad decem uices, quoniam sic est lapis completus, nisi eius uirtutem augere uelis in quantitate. Postea procede soluendo & congellando toties donec congellari tibi placeat uel donec amplius corpus congellari nō possit & scies quòd in qualibet congellatione decem complectis ablutionibus ut dictum est. Corpora in certa quantitate completæ transmutat in aurum, hāc medicinam in octuaginta diebus ad maximum complere potes.

IN animalibus non uideo accurtationem aliquam, nisi ut terra cum igne regatur & secunda aqua cum aere & idem ualebit & est accurtatio medij temporis. Nunc ad

uegetabilia uenio ubi est principale intentum & secundum ingenium magis securum quia semper timetur in minerali ne spiritus in ablutione aufugiant, propter aperire uassa hic non est timendum, quia uas ante fixaxionem non aperitur & ut te magis ad uegetabilia teneas, tibi hoc secretũ reuelabo.

ACCIPE nigrum nigrius nigro & ex eo partes decẽ et octo distilla in uassæ argenteo, aureo uel uitreo, per modũ dictum in testamento & in prima distillatione solum recipe partem unam cum dimidia & hanc partem iterum pone ad distillandum, & eius recipe quartam partem & tertio distil la, & huius recipe duas partes, & in quarta distillatione paucum minusquam totum, et sic distilla illam partem usque ad octo uel nouem uices postea habeas duo uassa facta in mo dum picturæ geminorum, quorum quodlibet habeat alembicũ annexum & in uno alembico sit ingenium ut bocia intret & sit æqualis spissitudinis ad unam palmam. Hæc autem ratio est, ut firmiter possint insimul colocari, pone ergo in qualibet bocia unam libram huius aquæ & unam untiam fermenti, bene & optime purgati & foliati & habeas furnum cum in genio factum, ubi unus ignis carbonum possit tantum per brachia ipsius furni temperatum, æqualem & continuum ca lorem partiri. ubi colloca tua uassa & fac ignem, & est hoc ingenium excellentissimum, quia hic ignis non potest fieri maior quàm necesse est. Tunc enim quando ampullæ sen tiunt calorem, statim soluitur fermentum. tunc liga circun quaque ad cannas alembici spongiam, quæ tamen canne sint ample circa alembicum & bene spisse & ubi intrant uassa sint stricta & illas spongias tene continuæ. madidas cũ aqua frigida, & solutione completa continua ignem & uidebis ascendere fermentum totum solutum cum aqua sua & distil

labitur de uno uase in aliud cõtinuæ & cum hoc ingenium apparenter uidebis qualiter quælibet libra, bis distillatur in die & bis in nocte & remanet continuæ una libra in quolibet uassæ, quia quantũ ascendit: in uno uassæ tantum intrat de alio & cum sic uideris ascendere & descendere cum æquali igne, continuæ uidebis qualiter ratione caloris inspissatur et subtiliatur spiritus. Et hoc est miraculum huius artis, quia si diu ita distillaueris continuæ semper aqua ascendet in gradu subtilitatis & acuitatis & continuæ propter fermentum inspissatur, ergo & quanto distillatio fuerit leuiori igne erit subtilior spiritu & fortitudine & ingrossatur fermentum, hunc autem modum tene usque ad uiginti uel uiginti duos dies, & inspissatur quinta essentia huius aquæ benedictæ sic quòd amplius non ascendet, sed cum fermento fixabitur & in lapidem conuertetur, & cum uideris hoc. ambo uassa extrahe sic simul & loca in fimo uel balneo. Et iterum statim in una nocte soluentur et iterum congella & hoc facias ter & amplius lapis manebit in dei uirtute & potentia exaltatus quod bene congellari non potest, quoniam ut oleum uidetur aliqualiter inspissatum, & hic est pretiosior modus omnibus.

TAMEN scire debes quòd si fermentum album posueris in decem diebus cõgelabitur quinta essentia super eo quod est res multum grossa & terrestris & firma est in luna. Sed non ita cito soluitur post complexionem fixionis quintæ essentiæ sicut in sole. Vnde quasi in fine complementi tempus non est diuersum in albo & rubeo, & Deus nouit quòd hic modus in effectu subtilitatis & uirtutis & bonitatis cunctis operibus mundi est subtilior & melior, quanquam illas proprietates elixir non habeat, quas philosophi elixir habere affir-

mant, puta quòd si hanc medicinam completam miscueris cũ quouis metallo, & postea hoc metallum metallo, scilicet quòd transformatio fieret secundum primum principium si iungeres medicinam luneam & lunam soli quòd sol in lunã conuerteretur. Hæc proprietas in nostra medicina sic confecta non reperitur. Quia iam quinta essentia quæ totum lapidem componit quo ad eius motum & tincturam est fixa & firmata in fermento sibi adiuncto & fixatur semper, atque firmatur secundum fermentum sibi adiunctum sic quòd facit transmutationem secundum hoc fermentum. Sed si uelles medicinam facere uniuersalem breuiorem secundũ dictum modum non opporteret te facere fixionem quintæ essentiæ super aliquo metallo alio. Sed super propriam suam terram & tunc cum metallo coniungere, tamen hoc mihi nunquam placuit, quia talis fixio est multum periculosa, & longa, & raro terra propria est bene naturalis, & si bene naturalis esset, tamen effectus ipsius post complementum esse non inuenitur tantæ potentiæ sicut hic quando quinta essentia super altero fermento fixatur ubi cito fit fixio, & effectus citius & fortius. Si causas scis ut puto, quare medicina transmutat meuerum dicere affirmabis. Tene ergo te hic et meum ingenium tibi notum feci.

ET scias quòd peracta decima distillatione si in ea aqua solueris aurũ, & postea euolare permiseris aquã lento igne. Et aurum demum in humido loco uel balneo locaueris statim in quatuor diebus per se soluetur. et hæc solutio est aurum potabile habens infinitas uirtutes ut in libro conseruationis humanæ uitæ scripsi.

INSVPER si cum illo auro sic soluto bene immiscendo impastaueris argentum uiuum septies sublimatum cum

uitriolo & si fuerit pars una auri : septem sint argenti uiui sublimati & postea sublimaueris impastatum aliquibus uicibus semper sublimatum super fœces reducendo fixabitur mercurius in medicinā penetrantem & tingētem. Item aliud miraculū si unciā unā huius auri sic soluti per se ponas in igne lentissimo octo diebus cum centum partibus mercurij congelat totum in aurum. hæc sunt mirabilia naturæ, & tamen hoc totum uenit ex parte spiritus aquæ quæ in solutione auri cum auro inseparabiliter fixatur. & postea per ingenium altum poteris miscere modos mineralium & uegetabilium & medicinam altam uia breui in hunc modum componere.

DISTILLATO lapide uegetabili usque in eam distillationem quòd tota aqua sine phlegmate sit. & hoc in quinta uice contingere solet, tunc habeas optimi uitrioli bene lucidi & optimi cinaprij in æquali pondere & simul miscendo optime tritura & in sole sicca & postea circa carbones sic quòd uideatur tibi quòd tota aquositas exiuit. tunc cum sic est proijce intra aquam tuam & distilla bene lento igne in principio & in fine forti ut moris est in aqua philosophorū acuta, & sic spiritus quintæ essentiæ uitrioli et cinaprij uel antimonij qui principaliter cōstituit lapidem mineralē miscetur et coniungetur cū spiritu quintæ essentiæ aquæ nostræ ardētis benedictæ qui spiritus est anima lapidis uegetabilis ut tibi notum est. & hoc continua usque ad decem uices puta à quinta distillatione incipiendo & sic cum istis corporibus cōtinua distillationē quinquies, & firmiter habeas menti quòd res tuæ sint optime siccatæ & aridæ antequam in aquam proijcias sic quòd tota aqua sit exiccata & solus spiritus remaneat, qui propter fortitudinem ignis, spiritui aquæ ardentis coniungatur & in qualibet distillatione nouas res im=

ponere debes. Cum autem perfeceris decimam distillationem computando à principio distillationis aquæ ardentis impone aurum in pondere ut supradictum est in uegetabili per se & loca infurno componendo singula ut dictum est. & tunc uidebis mirabilia, quoniam in decem diebus completur tota fixio quæ in simplici uegetabili in uigintiquinque non completur uel uix, & hoc est quia unus spiritus ingrossat alium, & quia spiritus quintæ essentiæ uitrioli est magis spissus & grossus quam spiritus aquæ ardentis & etiam quia magna est concordantia inter spiritum uitrioli & naturam auri, quia ambo sunt ex eisdem principijs cũ mineralia secum trahant originem, ideo spiritus uitrioli coniũctus spiritui aquæ ardentis spissat eum & adhærere facit cito auro ut secum fixetur & crede mihi, quia hæc accurtatio est præexcellens in arte quantum ad aurum alchimicum, non tamen quantum ad uirtutem medicinalem, Aduerte ergo quia multi philosophi dixerunt infinitas præparationes puta calcinationem solutionem &c. & hoc totum ad finem ut spiritus quintæ essentiæ bene posset coniungi cum fermento, & fecerunt multas reiterationes ut spiritus iam coniunctus corpori in alia operatione eam fortificarent per alium spiritum & sic fecerunt unam aquam & calcinabant spiritus & dixerunt spiritum adhærere & fecerunt aliam & soluebant & iterum coagulabant &c. & sic se fatigauerunt multis diebus antequam aliquam medicinam perducerent & hic tibi notum est qualiter hoc quòd ipsi diuersis operationibus & maximis periculis quæsierunt hic multo meliori ingenio puta unica actione completur, & necesse est hanc medicinam esse optimam & meliorem quam si per suos modos expleretur, quoniam in singularibus aquis pauci sunt spiritus, & quando agunt,

agunt ſolum in extremitates & alij ſpiritus cum illis fixantur et res groſſæ ſic ꝙ medicina erit aliquãdo fugitiua quia ſpiritus non ſunt in intimis fermenti ſed in extremis ubi ſpiritus fixari non poſſunt, ideo &c.

ET ſic facta fixione procede per ſolutionem per ſe in balneo ut dictum eſt in uegetabili. Sed eſt ſciendum. hic lapis ex mixtis non ſoluitur ita cito per ſe ſicut uegetabilis per ſe, tamen citius ſoluitur quàm mineralis per ſe, & ſic tenet medium & ſolutio eius eſt in nouem diebus & oportet reiterare has ſolutiones quæ in balneo fiunt per ſe aliquotiens & ẽt fixationes ut medicina plus penetret quia medicina bene penetrans & fixa eſt quæ bene tranſmutat, & quanto plus penetrat citius corporibus coniungitur & exit maius elixir. Iam enim omnia breuiſſime modo poſſibili tibi ſcripſi. Sed ut omnia breuiſſimo modo mihi poſſibili ſcribã. ſcire debes quòd ex plumbo fino nigro philoſophorum extrahitur quoddam oleum aurei coloris uel quaſi cum quo ſi lapidem mineralem uel mixtum uel animalem poſt fixionem primam ſolueris bis uel ter tribus aut quatuor diebus, excuſabit te ab omni labore ſolutionum & coagulationum ratio eſt. quia hoc eſt oleum occultum quod facit medicinam penetrabilem amicabilem & coniungibilem omnibus corporibus & augmentat eius effectum ultra modum ſic quòd in mundo hoc ſecretius eo nõ eſt. unde mirabilia dico quòd omnibus antiquis philoſophis incredibilia forent, ſcilicet ſi ſciueris hoc bene (ſcilicet oleum) ab aqueitate ſeparare & laboraueris in eo ex modo mixtionis iã dato poteris in triginta diebus lapidem componere. Hoc autẽ oleum non eſt neceſſarium in uegetabili per ſe quoniam ſolutiones ibi & coagulationes ut dictum eſt cito fiunt, tamen ſi fierent ſublimationes ibi credo tincturam lapidis multum am

pliari, non puto accurtationes esse quas iam ista parua epistola tibi certissime non declaret. elige ergo ex ea intentum tuum laudans Deum semper. Amen.

Methodus lacinij super epistolam Raymundi.

ON me latet difficillimum opus aggredi si Lulli
n epistolam nunc exponere uelim nam discolis & illis, qui nimium sibi assumunt placere, esset impossibile, & si omnibus placere non ualeo, paucos ne derelinquam? Dicam igitur quæ sentio & ex bonis autoribus collegi, & primo notes uolo omnia ipsius Raymundi opera isto suo sale uegetabili ferè esse plena, quod sæpissime Mercuriũ uegetabilem, aquam uitæ, Menstruum & sanguinem menstrualem appellat, dicitq; quòd habet corporis proprietates, & producitur ex semine tanquam ex fœmina, estq; generatiua & nutritiua, & crescere facit dura uidelicet aurum & argentum, deducitq; ea in actum, scilicet quousque in lapidem conuertantur. Si igitur crescere facit aurum & argentum clarum est, quòd fiet hoc mediante eorum solutione, per consequens ergo soluit corpora: quæ tamẽ debent prius physicæ calcinari, solui & in naturam spirituum reduci & tunc ipsa uocitat foliata, opus tamen hoc non fit cum uegetabili ut multi fatui putant, sed fit cum rebus sui generis, ut ipse Raymundus in suo codicillo amplissime demonstrat. Ideo hic dicit Raymundus, quod tota uia mineralium consistit in duabus aquis quarum una facit lapidem uolatilem, & iam dixi tibi in præcedentibus, quòd alchimici uocant lapidem, illud quod non euaporat ab igne, opus est ergo talem lapidem facere uolatilem, & cum alia aqua illum fixare, quæ secum

etiam ipsa fixabitur per ingenium artificis, uti ipse hic loquitur, dicēs, quòd hæc sua quinta essentia cum fermento fixatur, nam quinta essentia quæ totum lapidem componit quantum ad eius, scilicet modum & tincturam, fixatur & firmatur secundum fermentum sibi adiunctum sic, scilicet quia faciet transmutationem secundum illud fermentum. posset tamen fixari quinta essentia super propriam terram & illā coniungere metallo, & hoc Raymundo non placet, quia quādo fixatur super altero fermento, sit illud A, uel B, tunc tale opus fit citius & effectus eius erit fortior & magis naturalis.

SIMILITER de isto sale loquens Rhasis in lumine luminum ait, quòd scilicet sine isto sale (quem armoniacum uocat ipse) impossibile est finem huius scientiæ possidere. Cōfirmat hoc Vincentius historicus in suo speculo philosophiæ naturalis dicens. Ampliantur enim tincturæ metallorum sale mediante, quomodo autem fiat hoc, secretum est. Raymundus tamen in plerisque locis docet modum, & cum tali menstruo atque sale extrahit à metallis animas quas naturæ sulphur appellat eosq; per ignis expressionem à suis terris uolare facit ad latera uasis tanquam folia talchi, & uocat sæpe illud, quòd euolauit metalli sperma, ex quo ipse extrahit quatuor elementa cum suo menstruo celico circulato mediantibus auxilijs digestionum & distillationum. Demum ipsa elementa fixat super terram suam, soluit & coagulat, sicq; lapidem illum magnum philosophorum componit. Nos autem minus auri famelici, hac sola Raymundi epistola cōtenti, magnum elixir altioribus ingenijs relinquimus, nisi aliter Deus optimus maximus, sua pietate bonitateq; ordinauerit, cui sit gloria sempiterna. Amen.

PRO nunc autem sic operare poteris. Facito aquam exuitriolo siccato sale nitro atque cinabrio ad medium illorũ, qua facta reitera libram unam huius aquæ cum libra media cynaprij tribus uicibus semper addendo de nouo cynaprio, tunc eam per se rectifica ut bene sit purificata. Demum accipe istam aquam claram, & cum ea misce tantundem aquæ uegetabilis acutæ cum terra sua sublimata uel fixa non est curandum, modo per aeream distillationem cum ea sit distillata, & caue in actu mixtionis, ut paulatim & caute misceas, cum diligentia, & sic stent per diem naturalem uase sigillato ut simul bene misceantur. Tunc stilla in balneo totam aquam, & iterum superinfunde atque iterum distilla, & opus hoc itera quousque bene sit unitus spiritus mineralis cum spiritu uegetabili & uideas eos unitos in fundo botiæ in forma glaciei. Abijce aquam distillatum quia amplius nõ utimur ea, si uis hunc spiritũ seu glaciem multiplicare multiplica cum nouis aquis, semper tamen in balneo distillando ut fecisti prima uice, ponas tamen librã unam aquæ fortis super unciam unam istius salis, & illud idem fac cum aqua uitæ summæ rectificata & sic poteris multiplicare hunc glaciem siue (ut rectius loquar) ignem quantum libuerit.

RECIPE de isto spiritu, seu sale, siue glacie, seu G. uegetabili, quod idem est libra una, & contere cum uncia una solis uolatilis, seu foliati uel soluti, & in naturam spiritus reducti, mediante sua aqua menstruali suæ naturæ cõformi. Et noli esse fatuus nam aqua, quæ facit lapidem uolatilem non est aqua uitæ (ut iam dixi) cum autem tu habebis aurum uel argẽtum sic foliatum habebis illum dispositum ad dissoluendum & uniendum cum glacie supra notato, pone ut dictũ est ambo in balneo per dies octo & totum

dissoluetur in aquam coloris auri, fac insimul circulare in uasæ germinorum per dies uiginti uel circa & congelabitur in lapidem coloris rubini, dissolue in balneo, & congela in cineribus & erit medicina, cuius una pars cadit supra centum mercurij uel Lunæ et uertet in Solem sicuti ab ipso Raymundo iam narratum est.

Tu uero non excuseris per hæc quæ tibi tradidimus ut nil huic operi addas de his, quæ Raymundus ipse plerisque in locis docet, sed ingenieris ut ad nobiliorem gradum, medicinam hanc conducere ualeas.

FINIS.

COLLECTANEA LACINII SIVE BREuia excerpta ex libro luminis luminum Rhasis.

VIA radix scientiæ quæ dicitur alchimia in solutione principaliter cõsistit. Circa hoc
q insistendum ut sciamus, quæ in natura sunt quæ possunt cuncta dissoluere, & soluta postmodum coagulare, nisi enim in uaporẽ naturalia cuncta transeant, in illis per sui naturam, frustra erit operatio in hac arte, quòd si solutum propositum fuerit, artifex multipliciter gaudebit. hinc est, quod dicunt naturales totam artem in solutione & coagulatione consistere, pariter & in operatione. Ad culmen ergo scientiæ hic uolentes accedere, quæ soluuntur in hac scientia practicemus. De atramentis ergo & aluminibus, istorum uim habentibus, de spiritibus mineralibus de ipsis metallis & lapidibus preciosis, Dei fauente gratia dicere non dubitamus. Quæ natura eorum sit, quibus & quot modis solui habent & coagulari ad complementũ, intelligenti & operanti fideliter reserabimus, quam ob causam & tincturas inseparabiliter studere uolentes, docebimus. unumquodque præmittimus quod sub testimonio artis huius quam experti sumus et quicquid diximus fideliter operanti in operatione manuum manifestemus, ut operatio quælibet elucescat. Et quæ de atramentis tractare promisimus tractabimus & in ijs studeas & non cesses.

De atramentis.

TRAMENTVM multiplex est, quoddam ni
a grum, quoddam subrubeum & quoddam sub uiride uel uiride, & quodcunque sumatur calidũ

& siccum est. Et est sibi occulta natura & mirabilis. Atramentum quidem uiride mixtũ argento uiuo facit ipsum coagulari & facillime sublimari, unde scire potes quòd cum nullo alio argentum uiuum sublimari potest sicut cum atramento. ipsum enim atramentũ arg.ui.de facili mortificat ut sublimetur, & de facili soluatur & redigatur in aquam currẽtem. Crede ergo mihi & aperi oculos tuos & tempta. Et ut facias aquam atramenti præparetur primo sic. Recipe de atramento uiridi ultramontano: quassa ipsum & pone in olla & claude ollam fortiter cum argilla, & postea sepeli ollã totam inter carbones & fac ignem lentum à principio per duas horas. Postea fac ignem fortem sufflando fortiter cum follibus per alias duas horas & postea dimitte ignem usque ad consumationem sui spiritus, & refrigerata olla aperiream & inuenies atramentum rubeum rubedine ualde intensa, accipe illud & pone in uase uitreo & superpone in triplo de urina puerorum clara & reseruata ad octo dies & si fuerit distillata, melius ualebit, uel de aceto distillato uel de aqua dulci clara & pulchra, cooperi ergo uas illud pro pluuere & reserua donec tibi necesse fuerit.

De aluminibus.

LVMINVM multa sunt genera. Aliquod di
a citur Iameni & illud est plumosum & est ualde
candidum & ad soluendum habile est natura acidum unde sic cognoscitur ab alio, quia plumosum est candidum & acidum. Et istud alumen laudauerunt philosophi dicentes, quòd hic est lapis lapidum & inter omnes lapi-

des primatum tenet, quia non est ita durum aut molle quod per ipsius naturam de facili non dissoluatur & est augmentatum, unde propter hoc uoluerunt dicere quòd est de natura uegetabilium. Est autem aliud alumen uiride & in puluere, & quodā est citrinum quoddam subalbidum & hoc est admodum calcis. Est & quoddam alumen in lapide admodum salis gemmæ. Et siquidem omnibus ijs utimur, quod tamen melius est in arte alumen dicitur Iameni de quo primo fuit mentio facta. Recipe ergo de alumine Iameni quantum uis, & suauiter tere in mortario æneo, & pone illud in olla enea, & superfunde illi in sextuplo de urina puerorum reseruata & clara & pone ad lentū ignem & dimitte quousque consumetur medietas urine uel duæ partes, & postea remoue ab igne & cola per filtrum & quod colatum est pone in uasæ uitreo & cooperi illud & serua.

NOTA quòd alumen præparatur cum urina puerorū distillata, ita tamen quòd sit una pars aluminis & quatuor partes urinæ distillatæ, contere ergo alumen bene & pone in urinam & soluetur, cum autem solutum fuerit distilla per filtrum & congela & fac hoc sæpe & habebis eum ad uelle tuum. Eodemmodo fac de omnibus consimilibus.

PRAEPARATIO salis communis, quia illud sal est origo omnium salium. Recipe ergo ipsius salis communis quantum uolueris & quinquies tantum de aqua dulci calida & in ipsa aqua sal commune & distilla per filtrum & congela, reitera hanc operationem sæpe et inuenies ipsum in modum crystalli & serua.

De ſalibus.

SALIVM multa ſunt genera quoddam armoniacum & in ipſo ſunt abſcondita omnia ſecreta philoſophorum, & ipſum appellauerunt aquilam, quia ſicut aquila uolat ſuper omnia uolatilia altius, ſic ſal armoniacum altius exaltatur ſuper omnia alia. Quidam uocauerunt ipſum ſagittam ex eo quòd nullus poteſt conſequi operationem huius artis ſine hoc ſale ſicut etiam ſagitta non poteſt emitti ſine arcu, & eſt ualde intenſum in caliditate & ſiccitate. Et nil aliud eſt niſi uapor inſpiſſatus, componitur enim ex uapore collecto in balneis ex fuligine. Eſt & ſal gemmæ quod eſt pretioſius alijs, & eſt ualde candidum, & eſt quaſi criſtallus & eſt bene ſolubilis & multum ualet ad operationē huius artis ut eius efficacia declarat. Eſt & ſalnitrum, & aliud eſt ſal commune, & illud diuerſificatur ſecundum diuerſa loca, quia quoddam magis amarum quoddam magis album, & quod albius eſt, eſt magis ſolubile & efficacius. Illud quod diximus de alys intelligas ſecundum magis tamen & minus hoc unum ſcito in omni genere ſalium, quòd quāto purius eſt tanto efficatius. Aperi oculos tuos ut uideas & cor ut intelligas quoniam loqui uolo. Eſt quoddam ſal quod abſconderunt philoſophi & illud eſt ſal alchali. Et ſi iſtud habere poteris ſufficiet tibi in arte. inſiſtamus ergo huic.

RECIPE de ſale communi partem unam, tere, pone in olla, & bene cooperias, pone ollam in furno figuli, à ſero uſque ad mane, tunc accipe ſal & tere, & pone in uaſe uitri, & ſuperpone de aqua atramenti ſuperius reſeruata, & hoc ad rubeum, uel de aqua aluminis ad album, ſuper

pone

pone ergo in duplo uel in triplo, & dimitte ad octo dies. Constans est quòd aliquid indissolutum remanet. Et quòd solutum est tendit superius & super natat, quasi oleum, & est candidum & ut uerum dicam mirabile in oculis cuiuslibet. Et istud appellauerunt philosophi oleum philosophicum uel aquam sapientiæ, quia nunquam nisi philosophus potuit apprehendere, quia cum uideatur aqua pura esse, latet ibi crystallinus uapor, quia illa aqua coagulata reperitur lapis ualde splendidus & ille lapis dicitur sal alchali. Quod ergo melius pateat, sic facias. Accipe sal commune sicut dictũ est, assa illud, & illud assatum pone in uase uitri & super pone in triplo de aceto distillato uel de aqua clara & pulcherrima, & iterum accipe de alumine zucharino medium quantum fuerit sal, & tantundem calcis uinæ, mistis cum alumine, tere simul & pone in uase uitri, & superpone illi de aceto distillato uel de aqua clara in triplo. Et si uis pone uncias duas mellis apum, & dimitte per tres dies, tunc accipe illud quod solutũ est, uidelicet quòd enatat super sal clarum & limpidum & omnino sine fece, & pone illud in parua ampulla habente strictum collum. Similiter accipe illud quod enatat super calcem & alumen et pone illud in eadem ampulla, cum aqua salis. Illud autem caueas quòd nullo modo de fœce imponas, frustra enim teneres opus tuum. Cum ergo habueris ampullã plenã duabus istis aquis uidelicet aqua salis & aluminis & calcis debes illam coagulare, qua coagulata inuenies lapidem candidum admodum cristalli, hunc absconde à puluere. Illud autem quod diximus de solutione salis communis, intelligas de sale nitri & gemmæ. Et sicut à sale cõmuni per solutionem habet fieri sal alchali, sic ex alijs tribus multo melius & efficacius. Et sic cum fuerit solutum

& coagulatum, id quòd solutum est iterum soluas & coagules, & si hoc tertio, uel quarto feceris, quod de facili fieri potest, uere in manibus tuis uidebitur laudabile opus. Experto crede quòd ipsum sal sic ter uel quater solutũ currit ut aqua si cõmisceatur metallo, ita ut uncia una super centum, uel ducentum, uel etiam trecentum cuiuscunque metalli. Nimirum quia cum sit solutum multotiens facit laudabile opus. Quod ergo dixi de sale nitri si sic intellexeris inferius in alijs uidebis mirabilia mundi.

De sale armoniaco.

VNC ergo circa sal armoniacum insistamus.
n Accipe de ipso quantum uis & tere et pone in olla. cooperi illam, & pone in furno ad assandum & illo assato, accipe iterum & tere & pone in uase uitreo & superpone illi in duplo de aceto distillato uel de aqua pura et clara. si posueris de aqua atramenti ad aurum, uel de aqua aluminis ad argentum fiet laudabile opus, dimitte ergo ad octo dies postea sequestra illud quod solutum est, ab eo quod non est solutum: debes enim accipere solũ quod enatat, quod clarum est & limpidum, ita quòd nullo modo fœces commisceas. Non debes credere quòd totũ sal soluatur, sed illud totum quod solutum est accipere debes. Accipe ergo illud solutum & pone in ampulla per se quæ habeat strictum collum, & coagula & postquam coagulatum fuerit, accipe illud et custodi à puluere quia clarum est & candidum. Modo tere illud, postea pone illud in alludel sed debes supponere ei de sale communi assato in fundo alludel. claude illud alludel in iũcturis cum luto sapientiæ & pone ad soblimandum in furno

suo & fac ignem subtus à principio à mane lentum usque ad tertiam. Postea fortiorem aliquantulum à tertia usque ad meridiem, tunc remoue ignem, & refrigerari dimitte. Postea aperi & inuenies sal armoniacum totum in coopertorio alludel clarum & ualde candidum. Accipe illud & recon= de & custodi à puluere donec cum cooperari uolueris et erit opus non deficiens.

ALII *ad sublimandum sal armoniacum, recipiunt de ipso quantitatem quam uolunt, & tantundem salis communis bene præparati. hæc omnia conterunt cum aceto boni uiini quater assando, imbibendo, & conterendo, & postea ponũt in uase sublimatorio ad sublimandum & dãt ei in primo ignem ualde lentum & per nouem horas inuenies ipsum in prima sublimatione sublimatũ. Secunda autem uice sic sublimabis. Recipe ipsius quantum uis semel sublimati & tantundem salis communisbene præparati, & hæc contere cum aceto boni uini & assa semel, & exicca, & pone ad sublimandum & inuenies ipsum album & reiterare poteris fæces renouando &c.*

De *spiritibus.*

VNT *autem spiritus minerales tres argentum*
s *uiuum, sulphur & arsenicum. de omnibus dicendum. Et primo de arsenico. Est autem arsenicum calidum & siccum, maxime uirtutis ac potestatis & uilis pretij. Nescit enim aliquis quæ sunt occulta in ipso, nisi enim hoc solum esset argentum uiuum maxime obtineret primatũ inter alia. Et est combustiuum omnium aliorum corporum, de facili enim comburit æs & alia. Est autem duplex arseni*

cum, quoddam pallidum quoddam rubeum, & quod rubeum est multum ualet ad combustionem corporũ quòd pallidum est ualet ad solutionem quorũdam corporum & etiam ad tincturam, & eius condimentum est cum argento uiuo, ad hoc ut lunam faciat. Et quia naturam habet igneam & in uaporẽ est statim eleuatur, quia spiritus est. Ad hoc niti uolumus cum philosophis omnibus ut ipsum de spiritualitate in corporalitatem redigamus, & sicut in igne non sistit, sed ab ipso fugit. Ita niti uolumus ut in ipso remaneat, nec fugiat unquam, & remanendo colorem faciat ijs quæ sibi pariter sunt admixta. Sciendum quòd maximam affinitatem habet cum aceto & cum ipso decoquitur admixto sale & à spiritualitate sua reddit incorporalitatem.

ET est sciendum quòd ipso tripliciter depurato facit opus ex se mirabile. Primo siquidem debet lauari. Secundo sublimari. Tertio exaltari. Et cum exaltatum fuerit faciet, opus quòd nemo poterit credere, nisi expertus. Decoquetur ergo primo sic. Accipe de ipso quantum uis, & de pallido foliato & non de rubeo. tere illud fortiter in mortario, postea in marmore. Ita quòd sit bene tritum, & sit sicut puluis: & pone in ollam uitreatam & superpone illi in quadruplo de aceto forti & claro. In quo fuit solutum sal per tres dies. Postea dimitte ad ignem lentum donec recedat humiditas & fortiter desiccetur. Postea extrahe illud & pone in scutella & lana fortiter tum aqua dulci & clara donec recedat salsedo postea desicca ad solem. Et iterum pone in olla uitreata & superpone in quadruplo de aqua aluminis supradicta et dimitte ad ignem donec desiccetur. Postea pone in alludel & superpone in duplo sui de sale communi assato et claude alludel & iuncturam eius fortiter cum luto sapientiæ.

Postea pone super ignem ad sublimandum à mane usque ad meridiem. Postea remone ignem, & refrigerato uase, aperi inuenies illud in coopertorio ualde candidum. Accipe ergo illud: & pone in uase uitri & superpone illi de aqua aluminis quantum est ipsum dimitte per octo dies. Postea accipe quod enatat & pones in ampulla parua habente strictum collum, postea coagula & inuenies ipsum lapidem admodum crystalli reserua ipsum, donec tibi necessarium fuerit, & custodi à puluere. Et si arsenicum coctum fuerit cũ lacte uel oleo amygdalarum amararum, et postea cum aqua aluminis reperitur ualde clarum & pulchrum in sublimatione. Hoc unum scito quòd si in sublimatione reperis ipsum clarum & candidum de facili soluetur, & sine defectu operaberis cum eo. Et si ipsum cõiunxeris cum argento sicut postea dicetur, facit opus ad mirabile. Et si fuerit coctum arsenicum cum oleo oliuarum & postea cum aqua atramenti reperitur ipsum in sublimatione clarum & ualde rubeum et de facili soluitur & si admixtum fuerit cum fermento facit gaudere oculos alchimistæ. Arsenicum autem rubeum multum ualet ad combustionem corporum sicut postea patebit. Non tamen ita de facili sublimatur sicut pallidum foliatum, nec etiam de facili soluitur. Et propterea cum operari uolueris in arsenico ad sublimationem & solutionem circa pallidũ & foliatum insistere debes. Et si uolueris ipsum sublimare cum argento uiuo bene poteris facere, debes enim decoquere sicut prædictum est, & in libra unam arsenici pone unciã unã, arg. ui. & sic sublimabitur cum ipso ad modum perlarum.

De sulphure.

ONSEQVENTER dicere debemus de sul
c phure. Et est sciendum, quòd omnino & eodem
modo easdem decoctiones recipit sulphur sicut arse
nicum. Multum enim transmutatur ipsum sulphur per deco
ctionem aceti & salis, etiam si decoquatur in oleis multum
ualet. Sed quia sulphur in caliditate & siccitate habet ad
mixtam uentositatem: propterea non de facili sublimatur.
Veruntamen curandum non est, si sublimari non possit. In=
sistas ergo ut bene decoquas & decoctum soluas & cadet in
terminis tuis opus super omnia opera: quia sicut dixerunt
philosophi hoc ipsum facit aurum cum argento uiuo, & si
intellexeris quæ sequuntur cum ad perfectionem, id est, ad
ueram decoctionem & ueram solutionem ducis, perficies opus
tuum. sola hæc tria sufficient tibi & consulo ut abscondas.
Argentum & aurum sine ipsis fieri non potest. Quiddam
dixerunt, quòd si immisceatur sulphur calci uiue, poterit cũ
ipsa de facili sublimari. Nolo tamẽ ut frustra labores si enim
feceris quæ præcepi sufficient tibi, hoc unum scito, quòd ar=
senicum maxime ualet ad argentum, sulphur uero ad aurũ.
Est enim sulphur album à parte extra & rubeum à parte in
tra. Arsenicum uero econtrario ut in effectu patet.

SVLPHVR album si uolueris habere rubeum dissol
ue in aqua rubea per contritionem & imbibitionem & bonã
decoctionem dissolutum congela in lapidem & congelatum
dissolue iterum cum aqua rubea & iterum congela. Tertio
uero cum eadem aqua rubea solue et sublima totum per ignẽ
fortissimũ, et quod in similitudinẽ est pulueris ascẽdit sursum,

est sulphur albissimum, quòd uero remanet infundo deorsum est sulphur rubeum tinctum uti scarlatum & istud est sulphur optimum secundum Aristotelem. hoc autem sulphur conuertet arg. ui. in uerissimũ aurum per artificium non leue'.

De argento uiuo.

EQVITVR de argento uiuo, circa hoc insti-
5 terunt philosophi nimium & laborauerunt quàm plurimum ad hoc ut ipsum in igne sistere facerent cum ab ipso semper fugere cupiat. Nullo enim modo sistit in igne, de hoc testes sunt omnes artifices alchimistæ. unde si argentum uiuum alicui commisceas statim ignis uirtute remouetur ab ipso. Nimirum quia spiritus est & naturam suam consequi concupiscit. Vnde de ipso dixerunt philosophi quòd argentum uiuum est nubes nubium, est pater ditans filium, est sapientiæ oculus, est fœmina prægnans in eadem die concipiens & pariens. Est ditans pauperem. Fuit dicens auro. Ego te genui cum sulphure. Dixit etiam, argentum cum arsenico generaui. Et post hæc omnia dixit. Ego sum qui ab igne fugio, & omnia quæ ex me sunt in fecem reliquo. Ego sum qui sisto in igne & omnia quæ ex me sunt candida & purissima reddo. Ego sum qui coagulatus coagulo, & qui solutus soluo & qui me habuerit non frustra tenebit. Quod autem de ipso dicit quòd sistit in igne. Et pro maiori parte habeo testes quòd ab igne effugit. Aperi cor tuum & occulta ipsius reserabo tibi, & dicam eius coagulationem in rubeum & eius coagulationem in album. dicere non dimittã eiusdem solutionem & sic si feceris uidebis constantiam eius & in igne ipsum solui sicut sistit metallum. Lauetur ergo

primo cum aceto & sale, secũdo sublimetur uel coaguletur, tertio ad solutionem ducatur. Et si solueris ipsum ab a, usque ad g, scies me inter philosophos nominari & semper arti huic credens, nec unquam separaberis à credendo. Accipe ergo de ipso quantum uis, & tantum salis communis tere simul in mortario æneo & pone totum in olla uitreata, super pone de aceto in quadruplo, & dimitte ad lentum ignem donec consumetur totum acetum. tunc remoue ab igne & pone in scutella & laua ipsum cum aqua clara & dulci, & separa ipsum à sale. Postea accipe tantundem atramenti uel uitrioli, tere simul & pone in alludel & impasta illud totũ cum aqua clara agresta, uel cum aceto distillato. Postea pone ad lentum ignem & sicca postea pone in alludel & cooperi & firma bene iuncturas cum luto sapientiæ. Postea pone ad ignem lẽtum à mane usque ad tertiam. Postea ad fortiorem à tertia usque ad meridiem seu nouam. Tunc remane ignem & refrigerato uase, aperi & inuenies illud totum in coopertorio alludel album sicut niuem ad modum camphoræ. Accipe ergo illud & tere & pone in uase uitri & superpone de aqua atramenti in duplo & dimitte per 8. dies. Postea accipe aquam quæ enatat & pone in ampulla parua quæ habet strictum collum & coagula & inuenies coagulatum ipsum clarum & rubeum in modum granati reserua & custodi à puluere, donec tibi necessarium fuerit. Item accipe uncias tres olei communis, scilicet oliuarum, & pone in olla uitreata & pone ad ignem lentum usque bulliat & statim cum bullire inceperit, pone ibi mediam unciam sulphuris crocei & clari, & moue illud ut liquescat ibi sulphur statim remoue ab igne & dimitte infrigidari. Postea ponas ibi unciam unam arg.ui. & iterum pone ad ignem & dimitte

quod deſiccetur, poſtea extrahe illud de olla & pone in allu del bene cum luto ſapientiæ clauſo. Poſtea pone ſuper ignem à mane uſque ad nonam & ſublimabitur ualde bene, aperi & inuenies illud in coopertorio rubeum ualde tũc tere illud & pone uaſe uitri & ſuperpone de aqua atramenti in duplo & dimitte ad octo dies poſtea accipe quòd enatat, & pone in ampulla & coagula ſicut prædictum eſt, & inuenies illud coagulatum, clarum & rubeum ad modum granati. ſerua il lud & cuſtodi à puluere. Hoc ergo modo argentum uiuum coagulatur in rubeum. Si autem uis in album, coagula ipſum ſi uolueris ut argentum faciat, ſerua præcepta mea & nemini dicas. Accipe de argen. ui. quantum uis & tantundẽ ceruſæ, tere ſimul in mortario & pone in olla uitreata, ſuperpone de aqua aluminis uel aqua calcis uiuæ in quadruplo pone ad ignem lentum & dimitte à mane uſque ad tertiam. Poſtea extrahe illud de olla & tere & pone illud in alludel & claude fortiter cum luto ſapientiæ. pone in furno uitri uel panis, uel melius pone ſuper ignem & dimitte à mane uſque in ſero refrigidato aperi & inuenies illud non in coopertorio, ſed inferius admodum cineris. Accipe illud & tere & pone in uaſe uitri & ſuperpone, de aqua aluminis primo dicta in duplo dimitte per octo dies, poſtea accipe oleum philoſophicũ quod enatat & pone in ampulla parua & coagula, & inuenies illud album tanquam glaciem coagulatum in modum criſtalli, reſerua & peſtea ſcies quãtum ualet. Item alio modo ſic coagulatur in album. Accipe unam cannam groſſam & fortem quæ habeat nodos propinquos, & facias ibi foramen paruum. Poſtea impleas ipſam arg. ui. prius loco ſicut prius dictum cum ſale & aceto. Poſtea claude foramen canne cum cera, & præpara ceram per totam, tenue tamen.

Postea super ceram luta totam cannam luto sapientiæ fortiter, & bene undique siccetur. Postea fac foueam in terra, & in fundo foueæ pone laminas plumbi fusas seu liquefactas, & ibi submerge cannam & habeas clauum unum & fige in terram fortiter ut teneat cannam, ita quòd sic canna possit circum uolui & moueri huc & illuc, nec exire extra. considera ergo quòd bene firmes, & quòd optime sit canna perlutata, quia si non, frustra facies. Et si sapienter feceris istud sufficiet tibi ad argentum faciendum. Pone adhuc plũbum super cannam & imple foueam plumbo, ita quòd canna sit tota infra plumbum pone postea ignem carbonum desuper, & suffla fortiter cum follibus à mane usque ad tertiam. Postea remoue ignem & aperi cannam & inuenies argentum uiuum coagulatum durum & forte & album, sicut aliud argentum tere illud & pone in uase uitri & superpone de aqua aluminis in duplo & permitte ad octo dies. Postea accipe illud quod enatat, & pone in ampulla una per se, & coagula & inuenies illud pulchrum & candidum et reserua illud quousque opus fuerit.

DE AVRO.

E auro philosophi dicunt quòd aurum est effectus
d solis in hoc ponunt ipsum bene complexionatum in qualitatibus & quando perfecte est depuratum tunc ipsum non recipit decrementum in igne, sed colorem recipit ab igne. Voluerunt aliqui aurum componi posse per artificium, tamen natura nihil facit de auro, nec artificium transponit ipsum, unum tibi dico, quod necessarium est si aurum componere uis, ut aurum fermentes & nisi fermentaueris frustra tenebis omne opus suum, & ad hoc quòd sit fermentum & quòd aliqua eius operatio ualeat, oportet q̃ sit purum, & quia est purissimum in sua propria natura parum sufficit ei ut amplius depuretur, non enim oportet ipsum multum lauari, quia satis est pulchra materia & pura, sed oportet ipsum præparare ut possit incorporari solum & fermentari, oportet autem ipsum calcinari ante ut infra patebit.

DICIT Rhasis in hoc capitulo quòd philosophi. Multa posuerunt experimenta, multiplicando uerba & occultando dicta sua ut non intelligeremus. Et dicit quòd Deo teste per contrarium uult se habere eis. Sicut ipsi occultauerunt, ita omnia quæ occultarunt & uane dixerunt uult aperire. & subdit quòd non ab aliquo philosophorum ipsorum hanc artem, sed à Deo habet, & subdit, necessarium est si aurum componere uis ut aurum fermentes &c.

ET dimissis multis experimentis aliorum in quibus est labor & dolor. Nos sic incipimus loqui. Accipe aurum pu-

rum & fac inde laminas subtiles uel folia. Postea accipe arsenicum rubeum, fac puluerem et pone ibi tertiam partem salis communis quantum arsenicum est & habeas ibi uncias septē limaturæ calibis & tere ista tria simul uidelicet arsenicū sal & limaturam, tunc accipe unam paruam ollam uitreatā & nouam & pone de isto puluere in fundo olle parum, & superpone ibi laminam auri, postea cooperi laminam puluere, & iterum superpone laminam aliam & postea puluerem & sic per totum. Postea habeas aliam ollam uitreatam, pone ibi librā unam olei oliuarum & pone ad lentum ignem ut bulliat, & pone ibi postea uncias quatuor sulphuris clari boni & crocei & remoue ab igne statim & moue cum ferro uno ut liquescat sulphur cum oleo, & dimitte refrigerari. Postea pone parum de illo oleo in olla, ubi sunt lamine cum puluere & pone ollam cum laminibus ad ignem lentū donec illud bibat. Postea iterū pone de oleo & da sibi ad bibendum & dimitte ad ignem donec totum oleum bibat parum & parum. Postea dimitte fortiter desiccari, ita ut omnis humiditas recedat. Postea cooperi ollam bene cum luto sapientiæ, totum istud potest fieri una die. Sequenti mane, pone ollam inter carbones & sepeli ibi totam postea fac lentum ignem à mane ad tertiam, uel à tertia usque sero fortem sufflando fortiter cum follibus, uel si non uis ferre laborem pone in furno figuli uel in furno panis à mane usque sero uel à sero usq; mane. Postea accipe ollam & ipsa infrigidata aperi & frange illam & tere illud quòd intus est in mortario, tunc aurū teritur, tunc pone illum puluerem totum in scutella una & pone ibi de aqua dulci satis & clara & frica fortiter cum digitis & cum puluis fecit residentiam in fundo, remoue aquam quia salsa est, iterum pone aquam & iterum laua

atq; iterum ut omnis salsedo recedat. Postea desicca ad solem uel ad ignem, & tunc pone illum totum puluerem iterum in olla parua & adhuc claude luto sapientiæ & pone in furno dum ibi est panis & non plus. Cum ergo fuerit sic aurũ puluerizatum & fermentatum gaude. Accipe ergo puluerem illum & multum puluerizа & bene & pone illum totum puluerem in uase uitri uel in cyatho claro & mundo et superpone illi tantundem de aqua atramenti, quantum ipsum est, ad pondus & caue ne plus ponas uel etiam minus, & dimitte per octo dies & moue cottidie bis uel ter. Postea accipe illud clarum quod enatat solum & pone in ampulla paruula per se & illud debet esse limpidum & clarissimum, et si ita fuerit uere beatus eris in arte illa. Et si habueris argentum uiuum solutum sicut te docui in capitulo ipsius arg.ui.et si habueris salem armoniacum solutum, sicut te docui ibidem, tunc accipe tantundem de aqua arg.ui. et tantundem de aqua salis armoniaci quantum est aqua auri et iunge aquas illas cum aqua auri in ampulla, coagula sic aquã illã mixtam, accipe ollam unã plenam cinere cribrato et sepili ibi ampullam illam usque ad collum ipsius et pone ollam super tripodem et fac ignem de subtus à mane usque de sero & ita coagulabitur illud quod est in ampulla tunc accipe ampullam postquam infrigidatum fuerit & frange, Accipe lapidem qui intus est & pone untia semis illius lapidis super octuaginta argenti & conuertet ipsum in aurum optimum irreprobabile.

De argento.

E argento hoc notandum, quòd argentum eodem
d modo componitur quo & aurum, quamuis non
æque sed minus depuratum & minus digestum,
& post aurum est melius & perfectius metallis cæteris. Habet tamen infirmitates aliquas, quia non omnino depuratum est ab humiditate, prima sulphurea. Neque à secunda quæ est flegmatica, & euaporans. Vnde ex prima nigrescit si cũ adurentibus scilicet sale communi & auri pigmento & latere sit contritum. Quod autem argentum purum, ab igne album egrediatur: per multas fit fusiones & post cineritiũ, & signum est quòd parum habet humiditatis sulphureæ: sed quando coquitur cum sale & latere, & nigrescit, cum tamen nigredo non sit in latere & sale, constat ipsum aliquid habere de humiditate prima unctuosa, licet parum. Vnde quia pauca est non egreditur, nec apparet exterius per calorem ignis &c. Hæc est ergo infirmitas ipsius. Prima quæ est ex defectu depurationis humiditatis primæ. Secũda est q̃ in igne euaporat atq; minuitur, quod est ex defectu depuratiõis secũdæ humiditatis quæ est flegmatica & euaporans, & sibi non radicaliter adhærens: quoniam non est de ipsius substantia, post egressum ipsius remanet argentum purum & perfectum. Non est autem in eo alia infirmitas, nec sanum, nec ægrum sed quasi neutrum, potest enim sanari & in melius conuerti scilicet in aurum, per maiorem depurationem & digestionem, ut depuratum perfecte non nigrescat, ex humiditate prima. Nec minuatur ex secunda, nec ex defectu digestionis frigidum dicatur, sed temperatum nec album

dicatur sed citrinũ. Quod quomodo fiat aut fieri debeat uel possit immediate dicetur.

PRAEPARATIO igitur argenti in aurum conuertẽdi quæ ipsum depurat, à duabus primis humiditatibus et iterum melius digerit, prima enim ablata non nigrescit amplius, secunda uero amota non minuetur. Ista præparatio talis est. Recipe salis communis cum sua humiditate & tere optime & inter duos lectos salis fac lectũ unum lunæ subtiliter laminatæ, & sit in uase terreo forti, ipsum superius claude sed modicum foramen in medio dimitte, & sic cubet in medio ignis mediocris & dimitte in igne per duodecim horas. Post extrahe & inuenies laminas tuas corrosas & diminutas quantitate & pondere. Ideo si eas bene albas uideris, scias primam humiditatem esse consumptam, lunamq; tuam bene calcinatam & frangibilem. Si igitur nigra fiat in superficie adhuc habet de prima humiditate. Si uero non faciliter frangitur adhuc habet de secunda. Signum depurationis primæ humiditatis est cum non nigrescit cum plumbo. Signum depurationis secundæ humiditatis est, quando non plus minuitur in igne. Vtrunque tamen fiet cum dicto puluere & igne, quoniam dictus puluis ignitus utranque consumet & ebibet humiditatem & tunc erit bene præparatum sed frangibile. Tunc reduces ipsum ad malleum, & erit dulcissimum & molle ut aurum atque flexibile, & non mutabit colorem plus nec pondus & erit compactum magis atque ponderosum. Hæc autem complebit puluis iste dans malleum & dulcedinem, auro & argento, si est combustum & calcinatum. Recipe salis armoniaci, salis petræ & boracis, ana de singulis et tere optime et commisce et solue in modico uini, et desiccari permitte. Et de puluere quartum pon

dus pone cum tribus cuiuſcunque calcis uolueris, trium præ=
dictorum et reuertetur ad malleum multum bene.

Documentum.

NIMADVERTENDVM eſt hoc in lo=
a co. Nam Rhaſis præmiſſo ſermone de argento &
de eius natura atque ſubſtantia, ibi Argento &c.
Subdit quomodo aliqui nituntur argentum componere ex cu
pro & ferro ſimul cum iſta duo mixta ſint impuræ ſubſtan
tiæ & dicit quòd ex illis non poterunt iſta duo fieri, ſcilicet
a, & b, id eſt aurum & argentum niſi forte in apparentia,
ſicuti ex aſino uel capra non poteſt fieri homo. Et in capitulo
de ære ipſe remittit ſe ad tractatũ experimentorũ & ſubdit.
AES ut quidam dicunt eſt ca. & ſi. & fortis ſubſtantiæ
& cito tranſmutabile in colorem, & eſt eiuſdem ponderis
cum argento & libenter recipit mixturam pulchri argenti,
& fit cãdidum de facili, ita ut non poſſit cognoſci, niſi quòd
ſit argentum eſt tamen ipſum impuræ ſubſtantiæ reſpectu ar
genti, & propter hoc multum denigrat, & ex ſua duritiæ,
cito ab igne deſtruitur & comburitur, & eſt in eo magna
malitia, quæ tollitur quando calcinatur & bene lauatur, &
ſubdit ipſe Rhaſis, hoc unum ſcito quòd ex cupro non fit au
rum ſicut nec ex plumbo argentum, melius tamen fit ex cu=
pro argentum quàm ex plumbo aurum, ſi ergo cuprum cal
cinetur, lauetur, ſoluatur ſicut prius dictum eſt dabit colo=
rem ſimilem auro, non tamen faciet aurum. Propterea ait
(in capitulo de argento) ſtulti illi omnes alchimiſtæ, qui ur
ſos in mari, & piſces in terra capere putant, ſciendum, ergo
quòd ex plumbo facies aurum, uel ex ære argentum, ſicut ex
aſino

asino lupum considera ergo & uide, quæ tibi dixero &c. Quid ergo ad hæc nos respondebimus? ponemus ne secũdum Rhasim artem non esse ueram, sed tantum sophisticam? Cũ tamen ipse in capitulo præcedenti de auro dicat, quòd aurum factum ptr modum, quem ipse docet, sit aurum obrizon et irreprobabile. Ad hoc facile erit respondere. Dicimus ergo, si uis scire totum lege totum, nam soluit ipsemet hanc dubitationem in capitulo de ære, quando dicit. Non enim dicitur cuprum fermentum (uel aliquod aliud, adde tu, imperfectorum.) Cum non sit de intentione huius artis, cuprum facere ex auro uel argento. sed econtra, ideo subdit ipse ibidẽ, si ergo cuprum lauetur, calcinetur, soluatur &c. dabit colorem similem auro, non tamen erit aurum, quia semina rerum non sunt nisi in proprijs speciebus, ex imperfectis ergo non potest fieri fermentum, ergo nec uera transmutatio.

Sequitur opus de argento secundum Rhasim.

d E argento de quo. Nos dicimus, recipe laminas argenti subtiles & accipe libras quinque arsenici et uncias tres salis & unciã unam limaturæ calibis, tere simul, ista tria fortiter. postea accipe de illo puluere & pone in una olla & superpone laminam & super laminam puluerem, & super puluerem laminam, sic per totum, sint autem lamine cooperte puluere. Postea pone ad ignem lentũ super carbones & pone ibi de aceto fortissimo & dimitte ad ignem à mane usque ad tertiam. Postea dimitte desiccare fortiter. Postea cooperi ollam luto sapientiæ. Post sepeli ollam inter carbones. Postea accende carbones & fac ignem fortem per duodecim horas. Postea remoue ab igne & refrigera

ta olla aperit inuenies laminas mixtas cum puluere, sapienter separa argētum à puluere pone in mortario & tere quo trito laua ipsum fortiter cum aqua dulci & clara in patella una. Postea desicca ad Solem uel in furno. Postea accipe tātundem salis armoniaci sublimati quantum est puluis argenti & tantundem argēti uiui sublimati coagulati sicut superius dictum est, & tantum arsenici sublimati in album hoc unū dico tibi quòd si ista quatuor sic acceperis mirabilia facies. Accipe ergo illa quatuor & tere & pone in una ampulla, & superpone de aqua aluminis in quadruplo, quantum illæ puluis est totus dimitte ad duos dies. Postea pone ampullam in olla cineris & sepeli ibi totam usque ad totum collum & sit eius collū strictum & coaguletur totum illud quòd est in ampulla & ampulla debet stare discooperta. Postea cooperi ampullam luto sapientiæ & dimitte super ignem per diem et noctem. Postea dimitte refrigidari & frange ampullam & accipe illud quod ibi est & si aliquid sublimatum est ad collū iunge totum simul. Postea tere illud & pone in uase uitri et superpone de aqua aluminis in duplo & non plus & dimitte ad octo dies mouēdo cotidie bis uel ter. Postea accipe aquam quæ enatat & pone illam in ampulla paruula habente strictum collum, desicca fœces quæ remanent, & pone unciam semis illius super uiginti æris & erit argentum irreprobabile omnibus. Aperi ergo cor tuum, quia quod dixi tibi expertus sum de fœcibus & si fœces hoc faciunt, quid ergo faciet illud purum quod separasti positum in ampulla. Coagula ergo illud sicut scis in olla posita in cineribus, & postea pone untiam semis super C C L. æris, super stannum C L. Supra L. plumbi & uidebis admirabile philosophicum & nullo modo uidebitur irreprobabile omnibus. Alio modo sic facias.

Recipe limaturam argenti puri & boni quãtum uis & tantundem crystalli tantundem auri cadimiæ uel cachimiæ seu litargiri argentei, & tantum arsenici sublimati & tantundem salis gemmæ tere simul totum & pone in uassæ uitri scilicet in ampulla superpone de aqua aluminis in duplo dimitte per octo dies. Postea pone in uassæ cineris & ollam pone supra ignem dimitte usque ad aliud mane, tunc dimitte ampullam apertam usque dum desiccatum fuerit illud quod intus est, id est, à mane usque ad meridiem uel etiam minus, quando autem desiccatum fuerit. Postea debet ampulla cooperiri fortiter & dimitte super ignem per residuũ diei illius & per totam noctem sicut prædictum est. Postea frange ollam & tere quod intus est, & pone in alia ampulla & superpone de aqua aluminis in duplo et fac omnino sicut prius fecisti nullo mutato penitus & ita fieri debet quinquies uel ad minus ter. Postea accipe illud & tere diligenter & pone ibi tantundem salis armoniaci sublimati quantum fuerit argentum & tantundem argenti uiui calcinati cum plumbo, tunc simul totum & pone in ampulla uitri quæ habeat largum os, & superpone illi quantum ipsum est de aqua aluminis & dimitte per octo dies uel per quindecim mouendo cottidie bis uel ter, & postea accipe illud quod enatat & pone in ampulla parua habente strictum collum & coagula fœces per se & pone unciam semis super uiginti æris & fiet argentum irreprobabile. Coagula autem quod est in ampulla per se sicut scis in olla posita in cinere &c. & pone unciam semis super quingentas æris & fiet argentum irreprobabile omnibus hominibus.

De ære seu cupro.

c VPRVM eodémó cóponitur quo & argentũ sed minus depuratum & non æque temperatæ digestum, sed quasi combustum calidum, & siccũ. Est autem compositum ex argento uiuo & sulphure non depurato ab humiditate prima, qua multum abundat, sed digestum combustumq; cum ea, & propter hoc nigrum egreditur ab igne, & excoriatur ex nimia siccitate cum ignitum proijcitur uel extinguitur in aquis acutis. Est & porosum ualde & sulphureum. Ipsum igitur purgatur à prædictis humiditatibus sulphureis. Nam ex primis statim nigrescit in igne & comburitur & excoriatur, & comburit & denigrat alia metalla, & ex secunda in igne nimis euaporat, & consumitur, & ex sua sulphureitate ignem nigredine inficit flammam quasi nigram faciens. Cumq; purgari incipit flamma magis est citrina minusq; nigra. Purgatur autem omnino ut luna & cum eodem puluere reducas ad malleum quo & lunam. Postea uero extinguatur ignitum uicesies in aceto, & postea decies in sanguine porcino recenti & erit bene præparatum. Oportet autem ipsum morari in sua calcinatione diutius quàm argentum & fortiorem ignem requirit, sit ergo in igne per tres dies & postea reducatur ad malleum ut de luna dictum est. Si autem post calcinationem uis extrahere quod in eo uel in argento remanserit de sale uel alterius metalli habeas lixiuium calidum & pone intus & resoluetur quod separabis deguttando lixiuium.

De plumbo.

LVMBVM autem eodem modo fit sicut & cæ
p tera metalla imperfecta. Est enim ex sulphure im
mundo, & argento uiuo obscuro & immundo, debilis digestionis & compositionis. Vnde necesse est quòd extrahatur ab eo nigredo & immunditia et digeratur melius. Hoc autem sic fieri potest, funde plumbum & proijce intus quartam parte Mercurij. Postea pulueriza & tere in mortario uel super marmore, cum æquali pondere salis communis combusti, donec sal nigrescat tunc eijce sal, cum aqua & tere iterum puluerem cum æquali pondere salis, donec sal iterum nigrescat, & tunc iterum eijce sal cum aqua, & iterum tere tertio cum nouo sale & hoc totum cum ipso sale pone ad bulliendum in aceto fortissimo & bulliat per diem primum, & egredietur nigredo eius & depurabitur magis à sulphure & nigredine, & tunc eijce salem cum aqua, et habebis puluerem plumbi & Mercurij mediocriter purgatum. Reitera ergo contritiones & bullitiones ipsius ut prius dictum est, donec inuenies plumbum album & mundum, quod quanto pluries feceris, tanto magis depuratum habebis.

De stanno.

TANNI corpus compositum est sicut Sa=
s turnus ex argento uiuo mediocriter depurato & sulphure non puro. Album est sed immundum, debilis digestionis, atque intus omnia metalla uariæ compo=

ſitionis, ſiccum nimis & poroſum quod ex ſuo ſtridore perpenditur. Ipſum autem purgare conuenit eodem modo, quo de Saturno prædictum eſt, quarta pars Mercurij ſtridorem ei aufert & Saturni tertia. Ipſum autem oportet imbibere cum aliquo oleo rectificato, uel cum ſanguine porcino diſtillato, donec reſumpta humiditate ſtridorem ei auferat. Purgetur autem ſicut Saturnus cum ſale combuſto & per bullitiones cum ſale & aceto, & imbibatur cum oleis rectificatis donec humectetur & ſtridorem amittat. Rhaſis autē dicit quòd uix poteſt conduci ad perfectum ut ex eo per aliquam mundationem fiat aurum & argentum. denigrat enim intantum quòd corrumpit alia metalla quibus coniungitur, & uix cum eo poteſt fieri aliqua bona mixtio, & ſi quis hoc attentauerit experimento certificabitur ſicut illi quì eum tentauerunt &c.

De ferro.

FERRVM componitur ſicut & cætera metalla ex ſulphure & argento uiuo groſſis et immundis. Sed tranſit in chalibem non alterius quidem ſpeciei quàm ferrum. In argentum autem, uel aurum uix aut nūquam tranſferri poteſt. Poteſt autem fundi cum ſola ceruſa aut puluere prædicto qui calces reducit ad metallum ſed poſt fuſſionem malleabile non eſt. Ipſius autem utilitas maior eſt in croco extracto, ab eo qui colorem habet fixum in opere ſolis, quomodo autem extrahitur eius crocus alibi dicitur & mille ſunt uiæ.

COLLECTANEA LACINII EX ALBERTO Magno atque diuo Thoma aliisq; autoribus non uulgaribus.

d OCENT Quamplures philosophi medicinarum modos componere, & licet prima fronte uideantur diuersi hoc non fit nisi illis, qui in superficie cuncta considerant. nam omnes in uno concordare uidentur, & primo Hermes philosophorum pater dicit quòd corpus solutum est aqua perennis & congelat Merc. perpetua congelatione. Item alius dicit præparate corpora & soluite ea & ex illa aqua imbibite spiritus ablutos, tunc ipsi spiritus in corpora submerguntur & corpora in spiritus, sicq; figuntur spiritus cum corporibus ipsis, fixione firma. Item Rhasis dicit conuerte corpora in aquam & illam aquam coniunge Mercurio, & ex illis duobus facito iterum aquam. Item alius, Nisi corpora solueris in uanum laboras, Vnde uersus. Si fixum soluas, faciasq; uolare solutum, Et uolucrem uoluas. Hæc tria si iungas facient te uiuere tutum. Itē alius: Tu qui gliscis donum Dei contemplare huius rei fontem amabilem. Lunam Solem transmutare tibi mando uoce clara, Limpham instillabilem. hæc est prima radix rara, nobis data multum chara Hermetis cōprobamine. Ideo ipse Albertus ait. Collige diuersos flores plenos odoratu omnium bonorum. In quibus redolet suauitas & relucet pulcritudo mundi, decus & gloria. Hic est flos florum & rosa rosarum ac lilium conuallium. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & disce colligere flores, quia introduxi te in hortum paradisi. facias ergo ex ipsis coronam capiti tuo, gaude & u-

taris delitijs huius mundi, collaudando Deum, atque oppressum proximum subleuando. Nunc aperiam tibi scientiam uel secretum faciamq; te intelligere huius artis obscura, & quòd diu cælatum est nunc tibi manifestatur in lucem.

DOCET ergo Albertus primo colligere flores, id est, purgare spiritus, secundo illos fixare per iteratam sublimationem in uase clauso, demum soluere, ultimo illa coagulare, dicatur ergo de purgationibus spirituum, sed primo de illis in communi.

De Spiritibus.

PVRA metallorum corpora post præparationem ipsorum per spiritus minerales perficiuntur, quorũ puritas et digestio in ultimis perfectionis gradibus eẽ dẽt: ut in eis sit uis depurandi et digerendi. Isti aũt sunt spiritus, qui uirtutem naturalem habent uiuificandi & immutandi. sunt elementa ductibilium, id est materia metallorũ, & substantia eorum sicut essentia elementati. Nunquam mirari debes intelligens si spiritus summæ depuratus atque digestus, metalli corpus magnum mutat. Licet spiritus quo ad metalli quantitatem est Minor, Maior tamen est molis magnitudine uirtualis, cuius est agere, metalli uero pati. Agit enim spiritus ex natura propria & ex qualitatibus suis. Ex natura quidem propria in corpus agit metalli, quando coniungitur sibi tanquam magis depuratũ ac magis digestum, magisq; igneum & subtile & minus habens de materia, plus uero de forma: & propter huiusmodi diuersitatem depurationis & digestionis sequitur diuersitas specierum. Agit &

ex qualitatibus ſicut dicitur in quarto meteorum. Apparent in uniuerſis caliditas & frigiditas terminantes & permutantes, homogenea & non homogenea: ut magis actiue &c. de quo ibidem. Cum autem dignius opus harum uirtutum in naturali generatione & permutatione rerum pertineat digeſtioni, ut tamen ſpiritus ad hanc uirtutem deueniat, oportet ipſum ſumme purgare atque digerere: in metalli corpus introducere, & introductum fixum eſſe & non recedere, quòd ſi in uno trium horum neceſſariorum aliquid obmiſeris, propoſito fruſtratus, tuam ignorantiam aut negligentiam lacrimabiliter, condemnabis.

PRIMO ergo debet agi de ſpirituum præparatione quæ in arte neceſſaria exiſtit. Hæc autem præparatio ſpirituum ſatis nobis exemplificata eſt in operatione naturæ in metallorum procreatione. In naturali enim auri procreatione, natura ſpirituum per calorem minere terræ ſublimatur: Vbi inuentum, quòd calor uaſis mineralis in talibus mineris metallorum ſulphureitatem ſpirituum eleuauit longe altius à minerali uaſe, & ipſos ſuperius inuentos mundos & puros per tranſitum terræ calefactos & depuratos. Nam terra ſicca calefacta calefacit immundicias & ſuperfluitates bibit & conſumit, & partes groſſiores retinet & acceptat. Aqueæ uero aereæ atque igneæ ſubtiles & puriores, ex uaſis calore uaporantes ſurſum aſcendũt. Ars igitur imitatur naturam. Et ex hoc inuenta eſt artificialis ſublimatio, per quam ſpiritus depuramus cum rebus ſiccis atque conſumentibus ſuperfluitates, ut nobis remaneant, puriſſimi atque lucidiſſimi ſupra omnem naturæ operationem, & hoc ideo, quia ibi ſolus curſus naturæ operatur. Nobiſcum autem, & communis atque proprius naturæ curſus, operatur, quia operamur

ex ijs ex quibus natura operatur, & ex quibus iam uirtus hic agendi largita est, & ex ijs quæ addimus ex ingenio in rebus naturaliter operantibus, quæ ad agendum hoc uelocius & melius requiruntur. uerbi gratia. Contingit ferrũ procreari in minera sua, contingitq; ei ex communi cursu naturæ suum sulphur, suumq; argentum uiuum prius esse congelatum, quàm purgatum: natura autem quæ sibi non contradicit, non prohibuit frigiditatem aduenientem, circa materiam, non adhuc depuratam, quin ipsam congelauit. Estq; ferrum congelatum impurum & immundum. Ego autem qui arg.ui. & sulphur uel arsenicum depurare uolo: possum congelationem omittere quantum uolo: & sublimationes iterare quantum oportebit quousque huiusmodi spiritus purissimi & lucidissimi absque omni humiditate superflua efficiantur: tunc quoque, ipsum uel ipsos congelare possum quando mihi placuerit. Ideoq; potentior est natura cum humano ingenio, & congrua potest addere & necessaria seu utilia, & potest subtrahere nociua &c.

De purgationibus spirituum.

PRIMO igitur dicendum est de purgationibus spirituum, quæ semper fieri debent ad consumptionem superfluorum absque corruptione necessariorum. In alijs aũt triplex spiritus inuenitur uidelicet mineralis uegetabilis & animalis. Et propterea de omnibus est dicendum. Et primo de mineralibus, quoniam ex ipsis natura cõmunis operatur. Spiritus autem minerales proprijssime sunt tres sulphur, argen. ui. & arsenicum, quæ in metallis naturaliter operantur, & ijs metalla per naturale artificium

præparata naturaliter coniunguntur. Inter ista autem sulphur est principaliter agens. Argentum autem uiuum, principaliter patiens. arsenicum uero arg. ui. secundarias actiones tenet. Vtrunque uero istorum trium conueniunt præparata ad compositionem elixir, uirtutem actionis retinent super corpus cuiuslibet metalli patientis. Sulphur autem inter hæc, actionis & immutationis primum obtinet principatum, quare de ipso primo & principaliter est agendum.

SVLPHVR est corpus oleagineum compositum ex terra subtili & aqua imbutum fortiter, humiditate aerea, pingui & unctuosa, fusibile à calido, coagulabile à frigido. Omnium metallorum pars materialis in actione, ut ipsum est agens et coagulans sicut dictum est in capitulo de materia lapidis. Tres autem habet humiditates, quarum duæ sunt superfluæ, tertia autem necessaria. Necesse est igitur ipsum purgari à superfluis humiditatibus, tertia remanente, ut remaneat substantia ipsius pura fortiter coniuncta & substantia terræ & aque depurata et completa. Huiusmodi autem purgationis à natura capimus exemplum, quoniam ars imitatur naturam, ut patet intelligentibus qui artem & species suas cognouerunt.

IN nomine domini accipiatur sulphur mundum & bene lucidum & teratur minutissime & tritum incorporetur optime cum æquali pondere salis communis, & sic ponatur super ignem & sit ignis mediocris & coquatur ibi et assetur cum ipso sale ad duas horas & moueatur optime ne ad patellam adhæreat, & ne comburatur, sed incorporetur optime cum ipso sale, donec bene commixta in massam conuertantur nigram, tunc dimittatur infrigidari, & habeatur lixiuium optimum & fortissimum factum ex aqua simplici

& calce uiua, & cineribus uitis uel alia aqua acutissima, sicut est urina uel acetum & sulphur cum suo sale prius bene puluerizatum. Præparetur & bulliat super ignem fortem, donec totum sal extrahatur cum sua unctuositate & mouea tur sæpe aqua donec nihil remaneat, salsedinis in aqua, deinde siccetur sulphur. Iteretur iterum cum æquali pondere salis cõmunis, & assetur iterum ut prius & remoueatur salsedo & infrigidatum puluerizetur et bulliat ut prius in aqua acuta sæpe renouata, quousque sal extrahatur & sic fiat ter & tunc aptum erit ad sublimandum tunc sublima ipsum sic. Accipe alumen quod uis & pone ipsum in olla terrea & pone in igne forti per dimidiam horam, & erit calcinatum. Hoc alumen cum æquali scoria ferri uel limatura cupri pone & rora cum aceto, & bene commisce & cum duplo harum fœcum tere sulphuris pondus unum & incorpora hæc tria rorando cum aceto. Postea sicca in sole uel lento igne & pone in sublimatorio sic. Fac primo lectum, de prædictis fœcibus inferius & in circuitu ad spissitudinem unius digiti, ne sulphur tangat sublimatorium & tunc pone sulphur tuum in medio, & ipso posito superasperge lectum de dictis fœcibus & sic undique includatur inter fœces suas et tunc ponatur ad lentum ignem per tres horas, & cum humiditas egressa fuerit luta optime iuncturas uasis et fortificetur ignis paulatim usque ad uigesimamquartam horam, & tunc infrigidari permitte & collige quod sublimatum est, multum necessarium est quòd fiat ignis lentus in principio & postea fortis & quòd alludel sublimatorij multum eleuetur ab igne, ne comburatur quod sublimatum adhæret ei. Per hunc modum sublimetur septies cum talibus fœcibus donec fiat omnino album, & mundum clarum & siccum absque omni humidi-

tate corruptibili, cuius perfectionis signum est splendor & chrystallina serenitas. Igitur cum tale fuerit gaude, quia pretiosus thesaurus est. Illud ergo repone quia uirtutem habet tingendi, ingrediendi & in melius conuertendi.

TVNC ad eius fixionem, & completionem hoc modo deuenies. Recipe acetum fortissimum ter distillatum & distempera cum eo sulphur prædictum adiungēs illi quintam partem sui ponderis salis armoniaci ter sublimati & incera omnia simul cum dicto aceto in porphirico lapide: & repone in fiala uitrea cum longo collo in modum longi brachij, et clausa fiala in fimo equino repone, quousque totum soluatur, quo soluto congela in cineribus orificio uiolæ aperto, & continua ignem lentum quousque totum sit congelatum, tunc inuenies sulphur tingens & ingrediens fixum in igne, quod si in aliquo defecerit, complebitur per iterationem solutionis & congelationis ut supra factum sit. Cum ergo deueneris ad hoc poteris operari, ad album, super Mercurium, Iouem, & Venerem, & ad omnem utilitatem, ut immediate post in fine ostendetur.

De Argento uiuo.

XECVTA breui narratione de sulphure, & eius præparatione sequitur tractatus de Mercurio, tanquam de principaliori et post ipsum dignio ri. Est autem argētum uiuum corpus minerale compositum ex terra subtili sulphurea, & aqua fortiter commixta, quod est in parte elementum & pro altera parte natura metallorum. Substantia autem sua terrea purganda est à grossa terrestreitate sulphurea. Aquæ uero substantia ab humiditate

duplici superflua. Et sic cum sulphure præparato conuenit in compositione nobilissimi elixiris, uel etiam in metalli auri uel argenti completam perfectionem, tanquam sanguis mulieris qui uirtute uirilis seminis coagulatur, & corpus fit humanum & tunc consequuntur digestiones completæ, sicut in operatione naturæ sic & in operatione artis: quoniam ut dicitur quarto meteororum. Nil differt an in organis naturalibus, aut in artificialibus fiat. Oportet igitur, quemadmodum dictum est de sulphure sublimare ipsum in uase artificiali, quemadmodum sublimat ipsum natura in uase naturali, quod est uas continens uerum minerale, ut purgetur ab humiditate & sulphureitate superflua.

De eius præparatione.

N dei nomine accipiatur argentum uiuum & proijciatur in medio patris sui & coaguletur aliquantulum & sic optime teretur, & incorporetur cum duplo suarum fœcum infra contentarum, & sic incorporatum ponatur in sublimatorio. Inter duos lectos earum, & cessante uapore humido lutetur uas & detur primo ignis mediocris, postea fortis. Fœces autem iste sunt salis cõmunis partem unam, atramenti nigri uel uiridis partem unam, seu uitrioli uiridis partem unam, cuperosæ partem unam, cum ijs fœcibus sublimetur septies uel pluries donec omnem humiditatem superfluam terrestreitatis amiserit & superfluitatem & albissimum sit atque lucidum. Conteratur primo cum fœcibus suis quousque moriatur. Roretur cum aceto uel urina seu agresta uuarum. Ignem facias mediocrem quia cito comburitur. Priusquam aperias sublimatorium

permitte ipſum infrigidari quia fumus ualde nociuus eſt, & quamuis Mercurius bene purgetur, per ſublimationem, tamen ita faciliter non ingreditur corpus metalli uel ipſum remanet, quemadmodum ſulphur uel arſenicum, quoniam corpus eſt ualde ſiccum & uix funditur. Quòd omnia metalla fundantur reuera magis eſt ex ſulphure quàm ex argẽto uiuo. Sulphur autem arte præparatum & cum metallis coniunctum ipſa quidem remolliuntur & faciliorem faciunt fuſionem. Ideo ipſum oportet cerare & laxare, ut iterum metalla ingrediatur, & etiam nec in ipſo remanet ceratio id eſt, partium remollitio, quæ fit per aliqua ſalia, boracia & olea. Inter ſalia, ſal armoniacum, cerationis & remollitionis obtinet principatum: poſt ipſum ſalpetræ. Item boracia cum quibus conſolidant auri fabri. Inter olea oleum capillorum, poſt ipſum oleum ouorum. In ceratione autem contritio eſt ualde neceſſaria quoniam per contritionẽ multum ſubtiliantur partes & inuicem ingrediuntur. Accipe igitur Merc. puriſſimum optime depuratum, cum ſeptimo pondere ſalis armoniaci, ter ſublimati cum æquali pondere ſalis communis, & rora ſemper cum oleo capillorum rectificato in loco in quo ſiccetur & cum bene & optime contritum fuerit & unitum, quaſi ſalſa. Iterum fac deſiccare in uaſe uitreo inter cineres calidos uel ad ſolem in uaſe uitreo, ſi tempus ſolis fuerit & ſiccetur uſquequo de eo ſit materia dura. Tunc iterum tere ipſum optime & rora cũ oleo capillorum ut prius donec optime uniatur, & fiat iterum ſicut ſalſa & deſicca fortiter, & tunc poterit eſſe ceratum. Huius probationis ſignum eſt ſi ſuper laminã uel denarium argenti ut cera fundetur, & ſi non ſic. Iterum incera & imbibe cum oleo iam dicto & ſicca uſque ad hoc deuenies.

Hoc cito eueniet, ipso sic cerato habeas acetum fortissimum ter distillatum & si non sit bene acutum pone decimam partem salis armoniaci, ter sublimati & cum isto aceto cera totum prædictum, donec fiat sicut salsa clara, optime trita & incorpora, tere & distempera & pone in uase uitreo clauso cum stupis in fimo æquino continuæ calido per uiginti sex dies uel circa, sitq; fimus subtus & supra & in circuitu ad spissitudinem unius cubiti & die 26. extrahatur & distilletur, per filtrum & coaguletur inter cineres calidos in massam duram & siccam aperto uase, donec humiditas recesserit. Ipsum sic coagulatum proba si super laminam ignitam fusam non fumauerit uel fugerit, ipsum habes purgatum ceratum & fixum. Si uero fumauerit non est fixum. Reitera ergo per eudem modum solutiones & coagulationes. Nam per ipsas cito figetur. Mercurio autem sic completo ut ære super cuprum sicut de sulphure dicetur, & uertetur in lunam. Et si in dicta Mercurij congelatione, æquale Mercurij pondus posueris cum decimo uel septimo pondere salis armoniaci ter sublimati & oleo capillorum uel saltem ouorum ut prædictum est ceraueris & solueris & coagulaueris citius figetur & abundantius operatur. Si autem ad rubeum fuerit præparandum, ceretur cum oleo, quarta pars sulphuris prædicti & ceretur cum septimo pondere salis armoniaci & tertio pondere calcis solis & oleo rubeo in capitulo sulphuris post dicendo & ceratum soluatur & coaguletur sicut prædictum est, & si proiectum fuerit super lunam, præparatam ut dictum est in suo capitulo quantum sufficit ad oculum, conuertet ipsam in solem uerum.

De arsenico.

De Arsenico.

EXECVTO tractatu de argento uiuo, consequenter de arsenico tractandum est. Est autem arsenicum corpus minerale compositũ ex terra & aqua fortiter commixtis: oleaginum quidem ut sulphur minus autem in oleo, plus in terra abundans, sulphure grossius atque terrestrius. Huius autem purgatio est pro prima sublimatione, sublimare ipsum cum rebus desiccantibus & consumentibus oleaginitatem eius, quæ est humiditas prima. Aquositatem superfluam quæ est humiditas secũda euaporãs.

IN DEI nomine. Accipiatur arsenicum bene lucidũ ponderosum rubeum uel citrinum & tere minutissime, cum æquali pondere & dimidio limaturæ cupri uel scoriæ ferri, roreturq; cum aceto & bene incorporetur & siccetur, & cum suis fœcibus ponatur ad sublimandum inter duos lectos pulueris cum quo sublimatur, ad spissitudinem digiti circum circa. Et sic detur ignis, quousque fumus humidus cesset, tunc claudatur, & lutetur uas optime & detur ignis primo fortis, deinde fortissimus usquequo totum sublimetur: postea dimitte infrigidari & colligatur quod apparuerit extra fœces, & remisceatur cum nouis fœcibus & pulueribus, sublimeturq; iterum ut prius, donec sit album & mundum, lucidum & christallinum omni humiditate & superfluitate consumpta. Hoc autem fieri potest cum dictis pulueribus in quinta uel sexta sublimatione: & hoc habito utere eo soluto & congelato, omnino eodem modo quo & de sulphure dicetur, siue ad album siue ad rubeum fuerit.

NOTA tamen quòd arsenicum non tantum ualet in

conuersione & coagulatione Mercurij, quantum sulphur, nec ita naturaliter & abundanter operatur in cæteris sicut sulphur. Potest autem ex eo extrahi uirtus ignea: & idem opus ad rubeum fieri sicut de sulphure dicitur, Minoris tamen uirtutis est & efficaciæ, cum sulphure autem omnia metalla comburi possunt, quandiu unctuositatem suam retinēt donec calcinentur & puluerizetur: nigrescunt tamen cum eo de sua unctuositate.

Quomodo sulphur præparatum seu purgatum ut supra dictum est, operatur ad album super Mercurium, Iouem, & uenerem.

SVPER Mercurium sulphur præparatum operatur, hoc modo. Accipe Mercurij uiui librā unā. Iouis mundati fusi libras quinque, & compone simul & puluerizа totum in mortario marmoreo, cum tantundem salis communis assati, & tandiu cum pistello ligneo ducantur simul absque ulla humiditate, donec sal fortiter denigretur. Postea laua totiens cum aqua dulci, donec tota nigredo exeat, desicca ab humiditate aquæ, & iterum atque iterum, totiens cum sale fricando ut prius & lauando reiteres: quousque nec in sale nec in aqua aliqua appareat nigredo. Vltima uice adiuncto sibi tantundem salis assabis lento igne, hæc tere simul in patella terrea per horam ut sal desiccetur, & cum Mercurius uolare cœperit in mortario proijce ut prius & tere optime ut prius, donec sal ualde denigratus, ex humitate & nigredine sulphurea ab eis extrahatur. Tunc cum aqua ut prius laua & desiccetur. Et per hunc modum purgatur Mercurius à nigredine sulphurea

& stannum similiter per contritiones & assationes. Toties reitera tu artifex donec ab eis omnino humida atque sulphurea extrahatur ipsorum nigredo. Ego autem duodecies ut dictum est triui cum sale, & duodecies assaui & extracto inde sale fudi simul & inueni massam albissimam & mundissimam sed frangibilem ualde, & hoc ideo quia argentum uiuum non erat adhuc digestum, nec coagulatum nec fixũ, sed erat tantum mundum & purum, & cum eo tenebatur Iupiter sine stridore, quia nube nigra atque citrina carebat, & hoc fuit signũ quòd minus sulphureitatis habuerat, quod specialiter mollificaret. Ambobus sic præparatis sulphur paratum & fixum ut prius dictum est, coniungendum est hoc modo, fundantur ambo simul, & super ipsa fusa atque fortiter ignita proijciatur pars septima prædicti sulphuris immersa omnino in medio amborum fusorum, & teneatur ibi sulphur, cum tenaculis quousque dissoluatur cum eis, & cito fiet, quo incorporato statim ab igne deponatur, & proijciatur in aceto distillato & inuenietur massa alba mollis et frangibilis. Scias tamen quòd hoc ideo est, quia cruda & indigesta & non bene coagulata est materia, quia argentum uiuum, quod est crudum & indigestum & stannum, quod omnino non coniunctum nec coagulatum, propter quod ab ignis uiolentia statim per nubes seiungitur sicut in sua fusione patet. Sulphur autem munde compositionis est, nec utrũque sine magna decoctione et longa coagulat. Fiat ergo uas terreum in modũ paropsidis coopertæ in superiori habens foramen, in quo uase ponatur massa huiusmodi & clauso uase ponatur ad ignem, & sit in illo per tres dies naturales: ut massa coquatur & digeratur, beneficio ignis & sulphuris componentis, & ne Mercurius à Ioue & sulphure subli-

mando discedat, qualibet hora reuertatur uas, capite inferiori superius posito, ne Mercurius sulphuris coagulantis & componentis eum, eiusque tactum effugiat. Per hunc autem modum procreabitur massa argentea, alba, pura, malleabilis & fixa. Hanc autem congelationem Mercury, à natura & minerali congelatione, ut potui breuius & leuius faciliusq; exemplaui. Cætera intelligenti dimitto. Hoc tamen addo, quòd boracem præ omnibus in consolidatione & ductibilitate exaltandam prænuncio. Iupiter absque dubio faciliter & cito præparatur ut dictum & dictum sulphur corrigitur & nobiliter emendatur & dealbatur et incorporatur, fœtorem amittit, humiditatem assumit nigredo cum fractione temperatur, lunam imitatur.

Quomodo prædictum sulphur operatur super Iouem.

f UNDE Iouem & ignem fortem da ei, nubem superficialem semper auferendo usque dum totus consumetur per nubem. Tunc collige illam & bullias in accto fortissimò per dimidium diem & tunc cola per pannum & exprime & tere cum æquali pondere salis usquequo nigrescat & laua ut supra dixi duodecim uicibus renouando pondus salis & sic erit Iuppiter optime præparatus ad medicinam suscipiendá. Da ei sulphuris prædicti pondus septimum imponendo ipsum in ipsum fusum, & tenendo ipsum, usque dum dissoluatur, & incorporetur cum eo. Iuppiter autem difficilius funditur quàm prius quia calcinatus est. Sed reducitur ad fusionem & malleum sic. Recipe boracis calcinati in tegula super ignem & dissolue ipsum in

optimo uino qua dissoluta merge calcem Iouis intus & fac bullire tandiu quòd tota exhalet uini humiditas & statim imbue calcem istam cum sanguine porci & suffla fortiter & fundetur statim, & tunc paratus est ad duram medicinam suscipiendam qua suscepta inuenies Iouem dulcem & bene cõpositum, sine stridore lunæ præparatæ tanquam socium & amicũ. Luna sic præparatur. primo purgetur cũ plumbo, postea proiciatur in uirgis. igneatur decies, & qualibet uice extinguatur, in porcino sanguine, & post laminetur tenuiter & fundatur cum modico boracis de nouo, & iterum proiiciatur in uirgis, & igneatur decies ut prius & postea laminetur & remaneat laminata, & fundantur lamine tenuiter. Et pro certo scias te habere lunam dulcissimam & purgatam qua fusa adde ei decimam partem prædicti sulphuris, & habebis lunam Iouis amicam, prædictiq; stanni uel plumbi uelocitate fundetur, & super laminam ignitam extinguetur eam & coniungentur. Hanc uiam aperui & quæsiui & per eam ambulaui & ad optimum terminum perduxi, quãuis ad effectum diminutum, eo ꝙ ad cinericium nõ posui pro eo quòd sulphur non habui. Scias pro certo quòd istud capitulum est uerum per me probatum. Et nota hic præparationem Iouis bonam.

Quomodo dictum sulphur operatur super Venerem.

ISO qualiter utendum est sulphure super Mercurium, & Iouem. Videndum est quomodo utẽdum est super Venerem. Venerem accipe & eam præparatam sicut dictum est de Venere præparanda, funde,

ſuper ipſam fuſam decimam partem ſulphuris prædicti proij ce, & egredietur ſtatim citrinum, tunc proijce per uirgulas in ſanguine porcino immerſas, & inuenies quòd uenus eſt fere in lunæ proprietatem conuerſa, lunæ habens albedinem uel fere & dulcedinem in fuſione & malleo & compoſitionē bonam, ita ut non ſentiatur igneitas, & lunæ coniuncta fortiter ſe commiſcet cum ea, uixq; per cineritium euelletur ab ea, nam fere in naturam ipſius conuerſa &c. Sulphuris huius pretioſitas intantum in lunam operatur, ſed in ſolem per amplius inuenimus, cum enim debite præparatur, lunam debite præparatam certiſſime conuertit in ſolem.

IN DEI nomine, Accipe ſulphuris quantum uis & tere minutiſſime & fac ad ignem lentum & in olla terea aſſare & bullire per ſeptem dies uel donec citrinitas quæ eſt intus, egrediatur lento igne, bulliatur autem in urina deſpumata & diſtillata. Ita leuiter ſeruato ordine ignis, ut per nimiam caloris uehementiā non egrediatur aliquid de unctuoſitate, ſed tantum tinctura ſcilicet citrinitas. Hoc uerbum eſt ſecretum. Remouetur enim ſemper urina quàm cito fuerit tincta, & ſic remouetur ſemper uſquequo tota citrinitas ſeu tinctura receſſit cum urina. Humiditates autem omnes extractæ cum urina & tinctura, ſimul ponantur, in uno uaſe & diſtillentur cum igne lento, uſquequo incipiant exire aqua citrina & demum rubea, quoniam in illis erit tinctura & eſt illud quod quærimus uel ſaltem pars eius. Aqua autem quæ prima exit alba, non eſt nobis neceſſaria & diſtilla uſque ad nigras fœces ut prius & illas ad aliam partem ſerua, quoniam in illis eſt tinctura, & iſte eſt ignis chibric, & hoc eſt uerbum ſecretiſſimum. Iſtum ignem ad partem accipias, & aqua quæ fuit citrina & rubea ſecundo diſtilla

& serua. Ignem ergo prædictũ bulli in aceto fortissimo, distillato cũ igne temperato illũ decoques ut quod ibi est de causa adustionis, quamuis modicum sit, si bene egerit destruatur, & post bullitionem & decoctionem, modicum de ipso siccum, fusæ lunæ superiacta, quoniam si denigrauerit, uel combusserit, scito quòd cum igne aliud extraxisti, si rubefacit eam uel citrinat absque combustione & nigredine bene quidem factum est. Si ergo causa combustionis, ibi est, decoque in igne cum aceto usquequo consumetur, tunc ignem suum siccum & præparatum iunge & cera ut dictum est cum triplo prædicti sulphuris præparati albi & mundi, uno addito puluere salis armoniaci. Hæc tria quidem cera & cõple ut dictum est in compositione albi & solue & coagula & proijce quantum uis ad oculum super lunam præparatã, ut in capitulo suo dictum est & uertetur in solem optimum ad omne indicium sustinendum. Aliqui libri inueniuntur, quibus credendum existimo, quòd perfectum esset elixir si hæc quatuor in eadem compositione ponerentur, scilicet chibric purissimi & albissimi pars una. Ignis prædicti pars alia & ista simul terantur cum una parte salis armoniaci ter sublimati & prædicta aqua rubea distillata, unum tamen istorum bonum æstimo. Et tamen inueniuntur libri, quòd quidem certum est, unctuositatem sulphuris non posse auferri ab eo totam per corruptionem eius in ipsum, scilicet assando cum rebus desiccantibus, sed & per extractionem quæ sic fit bulliendo, tamen cum aquis acutis uel oleo donec extrahatur ab eo supernatans, ex acritate sua, quod uerum est. Aquæ tamen acutæ si quis nouerit illis uti uertent illud ad optatum & auferẽt ab eo omnem imperfectionem, & uolabit cum ipsis & utinam hoc bene notes.

De uegetabilibus & animalibus.

T quia diuus Thomas postquam in suo opere tra=
e ctauit de corporibus superioribus tractat de infe=
rioribus & diuidit illa in animalia plantas & mi=
neralia & loquitur de singulis singulares lapides ex illis com
ponendo colligunt, ergo multi dicendo quòd lapis philosopho=
rum est triplex, scilicet mineralis uegetabilis & animalis.
Materiam autem propinquissimam horum lapidum, philoso
phi nunquam expresse nominauerunt, in minerali tamen po
suerunt argentũ uiuũ in uegetabili, quintam essentiam uini.
In animali sanguinem humanum præparatum. Ne igitur
huic operi aliquid deficiat illa ponemus breuiori uia qua pos=
sumus.

IGITVR Executo breuiter tractatu de spiritibus mi=
neralibus, de uegetabilibus & sensibilibus est agendum. In=
ter uegetabilia frumentum obtinet principatum. anima ui=
ni & sal tartari. Inter sensibilia, capilli humani, sanguis
& urina ouaq; galline legimus meliora. Est autem ferè idẽ
modus operandi in omnibus. Oportet autem hæc munda eli
gere & electa putrefieri ut dissoluantur partes elementales,
ut sint apta ad extrahendum & partiendum per quatuor
elementa, uel quasi per dissolutionem & distillationem ipsis
putrefactis per 21. dies, extrahantur & in cucurbita ponan
tur, aptentur & distillentur cum lento igne & seruetur or
do, ut aqua tota qua alba exierit ponatur sola ad partem.
deinde quæ citrina exierit uel rubea similiter ad partem pona
tur: & sic continuetur distillatio, & distilla quousque cesset
fumus & remaneat in cucurbita terra nigra & sicca. Itaq;

liquor qui albus exierit, & distillatione uocatur aqua: inhumatio autem in fimo interposita distillationes iuuat, ut ad signum perfectæ defecationis & desiccationis deueniat, & est splendor et christallina serenitas & absque fœcibus nisi forte albis, & hæc aqua uocatur aqua uitæ, & cum hac aquà spiritus cerantur, soluuntur, coagulantur & figuntur.

Aqua tota quæ citrinitatem habuerit & ruborem usque ad siccas fœces, aquam aerem ignem & oleum continet. Hanc autem sic præparabis, pone totum liquorem clarum absque nigredine & fœcibus in cucurbita & distilla, cum lento igne usque ad fœces nigras. Hoc ordine aquam exeuntem albam in hac secunda distillatione ad partem pone, quousque uideas egredi oleum, cuius signa sunt gutta, spissior, color, intensior & leuitas aerea, quia si prædictæ aquæ miscueris super natabit, tunc scias oleum egredi quod ad partem ponas. Sic separabis ignem & oleum. Ignem uero in hac secunda distillatione inuenies siccum & rufum uel nigrum sicut terra in prima, & sic quatuor elementa separabis. Rectificatio autem aquæ & olei eadem est & eadem signa habet. horum quidem inhumando distillatio debet fieri ut ad christallinam serenitatem & splendorem deueniant, absque fœcibus, & tunc custodiatur.

IGNIS autem sic rectificatur, tere ipsum & permite desiccari in sole uel lento igne successiue usque dũ igné calcinationis sustineat: tunc ipsum calcinabis moderato igne, quousque siccus, citrini rufi uel rubei coloris deueniat. Si autem fuerit ualde citrinus uel ualde rubeus, erit melior, tunc erit rectificatus. Tunc hoc modo ad rectitudinem terræ accedas, tere terram siccam, & terram imbibe aqua sua siccando ad solem uel ignem lentum, terendo & imbibendo,

donec biberit sui duplum, tunc ipsam bene siccatam prius, cum lento igne, calcina cum igne forti, usquequo, sit ualde sicca, deturq; ignis quasi ad sublimandũ Merc. & ipsam quoque sic siccatam tere iterum & imbibe alio duplo aquæ suæ & hoc facto sicca lente & postea fortius donec sit ualde sicca, & tunc iterum eam imbibe septuplo suo aquæ suæ, & eam desiccatam calcina tertio, augmentando ignem calcinationis, imbibe & quarto alio septuplo aquæ suæ, desicca & calcina & tere optime cum tertia parte illius septupli, quousque sit quasi salsa optime trita & distemperata & posita in fiala uitrea cum modico bombacis obturata pone ad soluẽdum sub fimo ualde calido per tres dies uel plures tunc solutam extrahe & fac eam bibere residuum eius septupli & sicca & calcina eam cum igne solito. Nam tunc erit ualde citrina, tunc omnino est agendum ut prius scilicet imbibendo eam bis cum quintuplo sui &c. & iterum bis cum triplo sui, ex siccando & calcinando post, quamlibet imbibitionem, & sic bibet unum pondus terræ quinque aquæ & tunc, erit rectificata albior & lucidior myrrha & thure incomparabilis omni thesauro.

TVNC in nomine domini rectificatis quatuor elementis ad elixir completam operationem & perfectionem, hoc modo deuenias, terram prædictam siccabis bene & optime tere & imbibas cum oleo suo, id est, aere suo rectificato, siccando, & imbibendo quousque sicca super cuprum ignitũ posita fundatur, & fluat ut cera, & in lunæ conuertet proprietatem, & tunc simul tere eam cum aqua sua donec sit quasi salsa bene clara & bene trita, & pone ad soluendã in fimo calido, ad minus, ad tres dies & solutam coagula inter cineres calidos & habebis thesaurum pretiosissimum.

Et de hoc dicunt philosophi proijce unum pondus super centũ cupri præparati & conuertetur in argentum uerum & purum. Tu autem proijce quantũ sufficere uidetur oculo tuo, quia quanto melius & perfectius egeris tanto melius & plus de eo in metalli speciem conuertes. Hoc autem secretum maximum totius philosophiæ ab omnibus philosophis semper est absconditum. Si autem ad aurum operari uolueris ut prædictum est omnino facias, hoc addito, quòd tribus partibus terræ rectificatæ, unam ignis addas, & hoc totum cera cum oleo suo, ut dictum est, & ceratum solue & coagula ut prædictum est & proijce unũ pondus super 50. lunæ, ut dictũ est in capitulo suo, præparatæ, & conuertetur in solem uerum absque dubio.

LICET hæc absurda uideantur, nemo tamen omnia nouit, Nam scriptum est stulti aliquando sapiunt. collige tu, si quæ tibi placent, quæ uero displicent abijce. sed si recte rerum ordinem atque essentiam nosti, & qua nam uia, quo ue pacto actiua passiuis conueniant, & quam lata, quam ue profunda sit hæc magica et naturalis applicatio, forte ea, quæ in hoc capite leges non condemnabis.

CAPILLI & oua sunt putrefacienda sub fimo calido equino, non contemnat quis putrefactiones spirituum in fimis & solutiones eorum, quia pro certo ex hoc accipiunt, bonitatem digestionis. Nota quòd melior spiritus ouorum dicitur esse in testis exterioribus & dealbantur per calcinationem solam, debentq; primo purgari à tela & postea teri. Postea ablui quando munda sunt in simplici capitello, et ablui poni in forti uase tereo cooperto propter alios cineres & dimissis aliquibus foraminibus paruis in circuitu uasis & in co operculo ut fumus exire possit. debetq; uas poni in igne fortis-

ſimo ſicut ex ignis uitreariorum per diem & noctem uel uſ=
quequo ſatis de candore recipiant tunc imbibenda eſt calx
aqua ſua & oleo ſuo uſquequo fundatur ſicut cera habita
hac calce albiſſima teres eam ſuper mundum marmorem cũ
aqua ſua rectificata donec ſit quaſi ſalſa. & permitte eam ſic
cari in ſole uel lento igne, ſemper eam terens & imbibens, do
nec biberit, æquale pondus: tunc ſiccata maſſa accipe tere
& reſolue in aqua propria ſicut ſalſa bene clara & optime
tere, & commiſce ſuper marmorem diſtemperando cũ maſ=
ſa prædicta. Nam in uelocitate funditur & ſi intrat totum
ſiue fumo completum eſt, negocium. Sciendum tamen eſt
quòd quanto pluries ſoluitur medicina tanto melius operatur
& figitur & perfectius intrat. Sciẽdum eſt etiam quòd me
dicina tãtũmõ dat colorem & in fuſione metallum à confu=
ſione cuſtodit. Si uero aliquo caſu uel defectu operantis me=
tallum quod conuerti debet poſt medicinam proiectam, fuerit
nimis durum & non bene dulce operationi, ſuccurres ei pro
malleatione, ſic ipſum extingue decies in ſanguine porcino,
poſtea tenuiter laminatum cubat inter duos lectos ſalis com=
munis & tartari boracis tere cum modico ſanguinis porcini
& ſic totum funde per hanc uiam. ſed oportet iterare & de=
uenies ad mollitiem, & dulcedinem quàm uolueris. Si autẽ
nimis molle fuerit & nimis cito fundatur extingue ipſum de
cies uel quotiens uideris oportunum & durius efficietur &
tardius fundetur. Si autẽ non fuerit ſufficiens addatur plus
de medicina, uel commiſceatur metallum ſimile præparatum
& purgatum. Si autem de colore nimis fuerit in ſole, quia
luna non poteſt eſſe nimis alba ponatur minus de medicina et
magis de metallo conuertendo. Si ex toto colorem bonum nõ
habuerit, fumus capillorum colorem emendabit ſal commu=

ne & cepa marina seu squilla colorem meliorant. Si autem medicina non bene intrat corpus metalli quòd ex defectu cerationis cõtingit, succurre cum oleo ouorum uel capillorum & cum sale armoniaco. Si autem bene intrauerit & male remanserit, quod ex defectu fixionis est, succurre per incerationem & coagulationem & solutionem. Si autem bene intrauerit & bene remanserit & non bene tinxerit, quod ex defectu purgationis uel corporeitatis est: sublimationes reitera & corpus metallicum auge in medicina. Scimus autem quòd diuersitatem metallorum secundum speciem depurationis & digestionis diuersitas operatur, diligenter ergo purgentur et digerentur metalla, & medicinæ multum magis quàm ipsa quoniam ipsorum est supplere defectum depurationis & digestionis metalli, quod quidem facere non possunt in tam modica quantitate suscepte, nisi summa in eis fuerit purgatio et digestio. Summa autem depuratio haberi potest in spiritibus uolantibus per sublimationes in uno uolantibus per calcinationes, ablutiones & imbibitiones. Summa autem digestio haberi potest in utrisque spiritibus per cerationes cum oleis calidis & humidis & solutiones in aquis prædictis acutis.

SCIENDVM est quòd spiritus ad hoc ut perpetuam dent tincturam. Primo debent lauari, deinde sublimari, post incerari & tunc dissolui: ultimo in formam christallinã reduci. Sublimantur autem ut mundificentur. per sublimationem enim abstrahitur purum ab impuro, etiam sublimantur spiritus ut apti ad medicinam efficiantur. Corpora autẽ ad hoc ut tincturam recipiant perfectam, purganda sunt per aquas acutas, uel per ipsorum calcinationem uel in aqueæ substantiæ reductionem, unde corpora calcinantur ut deleãtur accidentia corrumpentia ipsum spiritum & impedientia

tincturam. Spiritus calcinantur ut melius fixentur & citius. Soluuntur autem corpora ut melius possint coniungi spiritibus & retinere eos. Ad hoc etiam soluuntur ut aqua clara efficiantur, & ideo cōgelantur quia pulueres melius possunt, deferri quàm aqua.

SPIRITIBVS igitur & calcibus resolutis uehementer. Omnes permisceantur simul in aquea & fluida substantia, ut ex liquore omnium substantiarum fiat, una res stās, tingens, profundans, consolidans & perseuerans. Postea cōgelabis totum in hunc modum: claude os uasis diligenter & pone super cinerem calidum & permitte biduo donec congeletur & tunc proijciatur, parum de hoc congelato super laminam ignitam & si summa uolatilis uincit summam fixam scias quòd bene operatus non es, sed erasti in calce. ingenieris ergo ut addas de calce, pone ergo plus de calce in totali congelato, & pone sub fimo ut prius & fiet aqua currens & postea congeletur & probetur eius perfectio cum experientia in proiectione, unde recte docet Rhasis in libro perfecti magisterij dicens. Hi enim spiritus super ignem non perseuerāt, sed deficiunt paulatim, & ab eo fugiunt & euolant, nisi ad ipsum, quibusdam inenodalibus uinculis & artificiosis ingenijs indissolubiliter constringantur, quæ diuturna constantia, subtili meditatione indefessa simul instantia & operatione, quæ post multiplices laborum fallacias & operationum diuersa sophismata, est philosophia perfectissime consecuta, & eorum archana, suis postmodum reliquit filijs, sed ut nos finē collectaneis imponamus, quæ necessario huic operi colligantur annectemus, & primo scias quòd uolenti in hac arte proficere, necesse est ut sciat, sublimare, calcinare, soluere, distillare, congelare, inhumare, atque cerare & breuiter bal=

nea, furnos & uasa singula præparare. Ideo de singulis breuiter dicamus & primo.

De inceratione.

INCERATIO est quando aliqua imbibuntur
i cum liquore aliquo ut partes melius uniantur uel etiam dissoluantur. Vnde fit triplici de causa prima ut res dissoluantur una per aliam, ut quando spiritus uel corpora imbibuntur, cum aqua salis armoniaci. Secundo ut uniantur & unita retineat una aliam ut cum spiritus sublimati imbibuntur cum aquis corporum quæ ipsos retinent & figuntur. tertio ut melius admisceantur, & depurentur, quod fit cum res antequam sublimantur imbibuntur cum liquore desiccante & penetrante, sicut sal commune & similia.

De sublimatione.

VBLIMATIO est cum res aliqua ab inferio
s ri parte uasis in quo est per aera ad superiorem partem leuigatur. Et fit tripliciter seu tribus rebus competit. Competit enim aquis in distillatorio positis, ut in alembico cum suo recipiente, quæ propter fortitudinem ignis conuertuntur in aera quæ non ualentes exire conuertuntur in aquam. Competit etiam spiritibus ut apti ad medicinam efficiantur & huic debet dari à principio ignis lentus & inde augmentetur. Tertio competit corporibus ut uniantur spiritibus ut ipsos retineant, & debent corpora primo calcinari & tunc cum spiritibus sublima

tis etiam sublimari et huic debet dari primo ignis fortissimus à principio, ut spiritus secum deportent corpus &c. de qua prius dictum est.

De assatione.

a SSARE est res inceratas in uase uitreo positas, posito super cineres calidos prope ignem desiccare, sæpius uertendo uas admodum assaturæ mouendo materiam aliquando cum baculo.

De calcinatione.

c ALCINATIO est rei per ignem pulueriza= tio ex priuatione humiditatis partes consolidantis, quod fieri in arte necesse est. Non enim fit plena & perfecta mixtio corporum & spirituum, nisi utraque in aquam redigãtur. quæ est enim metallorum prima materia, quod nequit fieri quandiu habent humiditatem naturalem, quæ ea facit fundi, liquefieri & moueri in igne, ad modum aquæ & tenet partes corporum in eis continuas & firmat et nihil potest eis admisceri per quod possint in aquam redigi. Vnde necesse est ꝙ talis ab eis humiditas admoueatur ut pos= sint fundi & ingredi & stent in igne ut cinis uel lapis calci= natus et tunc possunt imbibi super marmor seu incerari cum aquis ipsa potentibus dissoluere. Vt aqua salis armoniaci uel aquis acutis toties donec solui possint, quia tunc quælibet pars aquæ dissoluentis potest bene misceri cum qualibet parte corporis dissoluendi.

De dissolutione.

De dissolutione.

d ISSOLVERE est corpus calcinatum in aquā redigere unde ad hoc tria sunt necessaria. Ipsum corpus calcinare & calcinatum incerando cū aqua dissoluente imbibere, & imbibitum assando desiccare, & postea in uase ponere in loco dissolutionis, & cum diu steterit ibi si quid remanserit non solutum iterum imbibatur cum soluto & hoc totiens donec totum soluatur in aquam. Modus solutionis talis est ut facias foueam in aliquo loco humido rorido uel in stabulo equorum ad mensuram profundam duorum cubitorum, & si locus non sit bene humidus perfundatur ipsa fouea cum aqua donec sit bene humida per totum postea pone arenam spargendo eam in quantitate sicut tibi uidetur & aquam desuper spergendo donec sit bene humida & pone ampullam ibi cum re humida soluenda, seu medicina postea claude ampullam optime cum cerā, & circa ampulla palleam & super cerā pone arenam humidam & dimitte ibi esse per septē dies uel plus si uolueris & soluetur in aquam. Alij soluunt aliter. s. cum lento igne in balneo Mariæ. Alij in loco frigido & humido. Nota quòd nō ita de facili solues sicut uelles sed fortiter desicca & calcina & multiplici ter incerando tandiu quòd totum soluatur. Non sis ergo tardus nec putes uice una totum fieri. Fac ab a, usque ad g, nec credas unquam ab a, usque ad b. Quomodo autē res solute, debent cōgelari satis patet. Quidā uero soluere uolentes recipiunt amphoram & ponunt parum de aqua in fundo & ponunt amphoram subtus terram & suspendunt ad fundum aquæ ampullam ubi est illud, quod debet solui

postea cooperiunt amphoram arena frigida & postea cooperiunt totam foueam et dimittunt à sero usque mane, inde recipiunt quòd est solutum.

De distillatione.

d ISTILLATIO est aquarum guttatim cadẽtium mundificatio & hoc quidem fit per filtrum scissum admodũ ferri lanceæ quod ponitur in scutella ubi est aqua distillanda &c. Fit etiam per ignem cucurbita uitrea cum suo alembico bene obturata &c. ponitur super fornacem, in uase terreo ubi sint cineres medij inter uitrum etc. Tertio fit per aquam ut in balneo Mariæ.

De inhumatione.

i NHVMATIO est rei soluende uel solute in fimo positio quod fit duplici de causa, una quia ponitur aliquid in fimo equino ut id quod ponitur soluatur, ut quando cũ duabus partibus fimi equini ponitur una pars stercoris columbini & misceantur fortiter cum aliquantulo aceto irrorando. Secundo ut res ibi positæ plenum ibi matrimonium recipiant, ad instar embrionis in matrice. Et fit tali mõ. fiat fouea in profunditate & latitudine duorũ cubitorum in loco ubi uentus non possit flare nec sol radiare, & fac ibi ignem de carbonibus per 6. horas ut foueæ frigiditas consumetur. Post abijce abinde carbones & cineres & pone in fundo foueæ de simplici fimo equino ad spissitudinẽ unius pedis. Et post in medio foueæ de fimo equino mixto cũ fimo columbino ad spissitudinem 5. digitorum. Et in medio

foueæ pone formam de ligno admodum urinalis, & circum quaque pone de fimo equino mixto ut supra ad 4. digitos et ita potes ponere 4. uel 5. formas post extrahe formas, & pone ibi urinalia de uitreo cum rebus suis & sint bene obturata, primo cum panno lineo post cum panno cerato & post cum bitumine facto de albumine ouorum & calce communi post iterum cum panno cerato, & post ponatur una parua scutella super quodlibet urinale, & super quamlibet ponatur unum canale per quam proijcias bis in die naturali aquam calidam, ut semper maneat fimus calidus & humidus. Post imple foueam de fimo equino simplici & renoua de septimo in 7. diem. Hæc dicta immediate, est præparatio balnei calidi & humidi ad rerum dissolutionem quæ calido & humido habẽt dissolui sicut sunt res inceratæ cum aquis acutis uel etiam tales possunt dissolui in balneo Mariæ, & quomodo fit patet.

Præcepta Alberti.

SUPER omnia moneo te ut sis cautus, in tuis operibus & non deficias in aliquo, ut uenias ad tuum intentum. Et primo in contritionibus. Secundo in sublimationibus. Tertio in fixationibus. Quarto in calcinationibus. Quinto in solutionibus. Sexto in distillationibus. Septimo in congelationibus. Et sic fac per ordinẽ & non deficies.

SI enim tu uis tingere post sublimationem & soluere et congelare sine distillationibus, tu perdes pulueres tuos, quia cum proieceris non remouebunt, sed euolabunt certissime. Si etiam cum fixis pulueribus, qui non sunt soluti neque di=

ſtillato uolueris tingere, id eſt, cum elixir, non ingrediuntur cum permiſcentur corporibus, & ſic non peruenies ad rei ueritatem.

Vnde ait Albertus.

CIAS autem quòd ego antequam ueritatem inueniſſem uidi multos errores et defectus. Et ideo in temptando & errando, uigilando, & ſtudendo ueritatem inueni & iſtum libellum ab omnibus philoſophis qui fuerunt inuentores huius artis defloraui ſcilicet ab Hermete, à Morieno, ab Ariſtotele, à Platone, & ſic poſtquã temptaui & erraui ſicut prius dixi ueritatem inueni. Et ideo tibi decreui ſcribere uera & probata opera & meliora omnium philoſophorum in quibus laboraui & ſum expertus & nil aliud ſcripſi niſi quòd oculis uidi & probaui. Oſtendi tibi theſaurum abſconditum & illud quod multi quærunt & inuenire nõ poſſunt. Manifeſtaui tibi quod in tenebris latuit, lapidem qui uincit omnem lapidem pretioſum, lapidem ſanctum, de quo ait Hermes lapis qui eſt benedictus, de animata re fit, quia ipſe uiuificat et illuminat omnia corpora et tranſmutat ipſa in ſolem, qui eſt melior omni naturali in omni examine.

Finis collectaneorum Alberti, & diui Thomæ, & aliorum.

QVAESTIO CVRIOSA DE NATVRA SOLIS ET LVNAE EX MICHAELE SCOTO.

ET FINIS per omnia suo correspondeat principio quæritur utrum secũdum Artem possit fieri uerum Aurum aut non & uidetur primo quòd non: quia Aurum eo quòd ipsum est corpus perfectũ requirit sibi proprium locum suæ generationis uidelicet uentrem terræ uel uenas sicut uinum uentrem uitis, ergo non potest fieri nisi in proprio loco. Item nulla forma substantialis potest introduci ubi propria actiua proprijs passiuis non possunt artificialiter inueniri. Sed forma substantialis solis non est à calore solis uel ignis quo utuntur tales artistæ. Sed est à calore solis, ergo &c. Circa istam quæstionem est sciendum: quòd nihil aliud quæritur nisi utrum ex aliquo minerali puta Sole uel Luna possit aliqua uirtus seminaria artificialiter procreari, quæ statim & in momento Mercurium induret usque ad duriciem solis. Hoc tamen primo ostendemus. supposito quòd talis uirtus seminatiua inueniatur, tunc potest conuenientius ex sole elici & rationabilius elicitur. Secundo dicendum est, quomodo ipsi soli uirtus pullulandi in est. Tertio dicendum est: quomodo seminatur in terra & in quali nutritur, id est, augetur seminatio. Quarto de signis uirtutis mineralis, quæ eadem accidentia in Mercurio uiuo introducuntur. Vltimo est ad omnia argumenta dicendum.

Circa primũ sciẽdũ ꝙ talis uirtus seminatiua cõueniẽtius elici põt ex auro. Quod probatur per beatũ August. super Genesi,

ubi dicit. Insunt ei rebus corporeis omnia mundi elementa, quædam occultæ seminariæ rationes quibus cum data fuerit oportunitas temporalis atque causalis prorumpunt in causas debitas & species suis modis & finibus, & sicut non dicũtur angeli qui ista faciunt animalium creatores sic nec Agricolæ segetum quorũcunque in terra gignentium creatores dicendi sunt, quamuis nouerint præbere quasdam uerisimilies oportunitates & causas ut illa nascantur. Deus uerus unus solus creator est qui causas ipsas & rationes seminarias rebus inseruit. Hoc idem in libro de Ciuitate Dei & transumptiue in capitulo trigesimoprimo, quæstione quinta. Nec mirum has igitur argumentationes uariæ philosophi & diuersimode nominant. Quidam appellant eas uirtutes cœlestes, ut in secũdo de generatione dicitur. Formæ omnium sunt in cœlestibus &c. Alij autem uirtutes elementares: quia subito in actum prorumpunt sicut ignis uel aliud elementum. Alij uirtutes minerales & proprie uocãt quia ex propria minera in esse sunt productæ. Alij dicunt ipsas uirtutes esse radices solis, quia sicut granum mediante radice nutritur sic aurum mediantibus uirtutibus istis, sicut infra dicetur. Nos autem ipsas dicimus spiritus esse fermentatos, quia admodum fermenti massam, id est, spiritus purificatos corrumpunt, sed naturalissimum omnium opus est alterum facere quale ipsum est si sint perfecta, nihil aliud reperitur in opere nisi quòd fermentent & tingant. Si autem obycitur quòd philosophi figuraliter sunt locuti probamus hanc quæstionem esse de ipsorum radicali intentione. Sicut enim patet secundum omnes philosophos quòd uolumus uirtutem prædictam mineralem esse uniuersalem naturam non in sua natura uidelicet nec in tota substantia eius est Mercurius sed pars eius. Ad hoc

enim laboret ſublimator ut Mercurio humiditatem flegmati cam auferat & fœtulentam ſubſtantiam, & ſic mortificatur, non enim ſic mortuus perficit opus niſi fixetur, ad quod inſudat præcipitator cũ ignis tanta uiolentia. Similiter oportet eſſe fluxibile. ad hoc ſudet reſolutor, quia quod non infunditur non ingreditur et quod non ingreditur non perficitur. hæc autem per diſſolutionem auferuntur. Aurum eſt totum minerale quod patet ex ipſius pondere & ex ipſius Mercurij imbibitione. Igitur in ipſo eſt totalis & radicalis philoſophorum intentio & uoluntas, has enim uirtutes & excellentias acquirit mediante calore tali & intelligentiarum motu quas per ſe errare eſt impoſſibile niſi per accidens. Ad hæc autem omnia in Mercurio ſi ibi inciperet peruenire poſſet tamen ſuffragio ignis & ingenij quod eſt laboris copia.

Opiniones de materia prima Solis & Lunæ.

VANTVM ad ſecundum ſciendum eſt quòd
q philoſophi uidentes naturam Mercurialem puriſſimam fixam & fluxibilem quæ eſt ipſum aurũ ingredi & non perficere in ſtuporem ſunt adducti, ita ut à pluribus ars negaretur. Aliqui prudentius conſiderantes ex principio philoſophiæ quod nihil generatur niſi nutriatur, quia uis generatiua ſuperfluum eſt alimenti, autumati ſunt ipſi in auro uirtutem nutritiuam aliqualiter inſerere ut ſic ſuo modo pululet & germinet. Hoc autem nihil aliud eſt quàm ipſas ſeminarias rationes actiuare in uirtutes radicis. Sic enim oportet ut granum frumẽti fructificet & quod moriatur, & quod uirtute ſolis illa ſubſtantia ſit corrupta quæ non eſt plus ſubſtantia triticea quàm ordeacea uel lapidea,

ſed ſit magis apta ad recipiendum formam tritici quàm lapidis. Quia quædam aptitudo quæ eſt de natura formæ tritici oportet quòd in radice uirtute ſolis conuertantur ita ut dicũt iſti. oportet aurum corrumpere, ſic quòd fiat reductio ad materiam primam quod poſtea poterit germinare, hanc autem primam materiam quidam ſulphur & Mercurium eſſe dixerunt, quia ex Mercurio & ſulphure omnia metalla procreãtur, quod eſt falſum. Quia ſulphur & Mercurius ſunt diſtinctæ mineræ, nec ibi inuenitur aurum ubi illa reperiuntur. Alij dixerunt. Quod prima materia omnium metallorum eſt ſolus Mercurius, quia in ipſo ſunt ſulphureæ partes admixtæ ſecundum Geberũ, & illud non uidetur eſſe uerum, quia ubi eſt minera Mercurij ibi nunquam eſt ſol. Et ideo alij bene dixerunt. Quod uapor unctuoſus humidus utriuſque naturam in ſe continens eſt prima materia ſolis, quod patet in ſaxis ubi inuenitur aurum puriſſimum, quod impoſſibile eſt ibi generari niſi cum uapore groſſo aſcendente, ut habetur quarto meteororum. Oportet etiam ut talis uapor ut ſupra dictum eſt eleuetur ſimul et ſemel, ex groſſo autem fit lapis, ex unctuoſo fit corpus metallicum. Et hæc ſententia eſt uera. Cauſa autem quare oportet aurum ad naturam uaporis reducere eſt, quia uidemus generare omnia metalla à Merc. uiuo, mediante quo ipſum genitum fuit, uerbi gratia. Homo genitus à patre mediante ſpermate, generat filium mediante ſpermate. Similiter uidemus in tritico quod mediante ſpica generat granum ſibi ſimile & aurum generat. Aurum mediante natura uaporis, quia ſic genitum fuit ut dictum eſt. Aurũ ergo corruptũ & in primam materiam conuerſum philoſophi, ſulphur & Mercurium nominauerunt.

De reductione auri in materiam primam.

MODVS autem reducendi ipsum aurum in pri=
m mam materiam oportet quòd sit certus & in de=
terminatis uijs per determinata media, aliter es=
set corporis destructio et non emendatio. Inter omnes autem alios ille philosophorum rectius præ cæteris amplectitur qui magis consonus est rationi & dicta philosophorum in illo cõ=cordant, scilicet ad aurum, eo ipso quod teritur & est ter=reum & consequens secundum genus frigidum & siccum, licet respectiue ad alia metalla dicatur calidum & humidũ secundum generalem eius complexionem, transeat in naturã terræ germinantis sicut si dicerem, quòd unguis uel capillus transeat in naturam determinatam humanæ naturæ. Quia aurum est pars terræ, habito respectu ad uirtutem totius globi terrestris, sicut capillus est pars corporis humani. Hoc autem supposito. Quod aurum sit secundum genus frigidum & siccum quia terreum, & secundum prædicta oportet ip=sum ad primam materiam, id est, uaporẽ conuertere, quia uapor est humidus actualiter uel accidentaliter in se uirtutes minerales retinens & ideo solum naturaliter oportet ipsum de natura sua quam secundum speciem habet ad materiam secundum suum genus actualiter reducere, ut si esset secun=dum speciem calidum & humidum, fiat etiam secundum speciem per artificium siccum & frigidum.

EST autem hic modus ut calcinetur in igne reuerbera tionis caute ne fundatur & cum aquis acutis igneis imbiba=tur, qua operatione continuata contingit auri superficiem corrumpi quo ad humiditatem, & generatur ibidem sicci=

tas, ergo est calidum & siccum. Sed quia siccitas terrestris non potest stare cum caliditate ignis. Igitur prima siccitas corrumpitur & generatur alia unctuosior nigra. Est igitur illud aurum calcinatum & siccum, de qua operatione dicit Hermes eleganter. Quòd lapis astendit à terra in cœlum, id est, in ignem, quia terra illa Antonomasice est ignis. Quod exponens Albertus in libro de mineralibus ait. Quod lapis ascendit à terra, id est, leuatur à terra in cœlum, id est, ignem, cum aurum per calcinationes uel assationes aut affinationes uirtutem acquirit ignis. Hæc autem operatio perficitur statim, quia in habentibus simbolum facilior est transitus, sic est in proposito. Quia terra symbolizat cum igne, & statim subditur quòd iterum descendit ab igne in terram. quod profecto non fit uno saltu imo oportet ipsam substantiam calcinatã & siccam mediante aqua nostra aerea uel actu necessario in humido per frequentem ipsius aquæ reiterationem irrigationis siccum corrumpi: & aereũ humidum generari. Sed quia illud calidum ignis non potest cum tali aereo humido stare: ideo corrumpitur & fit aliud calidum temperatum, est igitur calidum & humidum quid melius, cum aurum inuenitur absconditum de minera calidi, & humidi, & leuiter extrahitur ut scis. Idcirco ista caliditas remittitur. quare igitur iste ex parte sunt aeree & acerbæ multum & ex parte aqueæ, & per consequens frigidæ. Idcirco ista caliditas remittitur & fit quasi frigidum, unde dicitur quodammodo medium inter aquam & aerem scilicet uapor, ut patet per philosophum in libro physicorum. Redit igitur aurum ad suam radicem, id est, naturam uaporis: & hæc dicitur materia prima Solis. unde Geber in hoc loco.c.78.in medicina tertij ordinis: Artificem alloquitur

dicens. Modo pretiosam terram rexisti seu extraxisti & sic factum est illud quod prætendit Hermes cum dicit. Iterum descendit de cœlo, id est, de igne ad terram, idest primam materiam. Quapropter sententiam prædictam statim confirmat dicens: Quòd acquirit illa natura uirtutem superiorum & inferiorum elementorum. Modo declarat quòd oportet extrahere quatuor elementa, quòd profecto nihil aliud est quàm ipsas seminarias uirtutes, id est, qualitates actiuas et passiuas excitare, quod materialiter exponentes quàm plurimi in errores inciderunt infinitos. Modo uocatur natura illa terrea sic præparata nomine omnis terræ, scilicet terra, auri: quia de auro extrahitur & uocatur terra sitiens, quia quasi cibum quærit & potum suo modo ut infra dicetur, terra benedicta, quia ipsa omne honum donat, terra foliorum, quia ad modum foliorum nutritur & crescit & habet infinita nomina terræ. Modo omnes philosophi uiderunt naturam solis procreari ex quocunque calcinato & in aquam soluto: & ultimo ignis calore indurato. Ideo oportet quòd tale opus per omnia compleamus ut dictum fuit supra.

Quare uocatur lapis.

ET similiter hac substatia nomine omnis salis nomi
e nauerunt, quod aliqui male intelligentes in uarios inciderunt errores. Ideo merito lapis dicitur quia hominum uias labiles reddit. Ista autem operatio, scilicet conuertere corpus in spiritum à multis lapis sapientum philosophorum appellatur. Nos autem illam naturam uirtutem spiritualem mineralem nominabimus de cætero, patet ergo quomodo auri ratiões seminales remisse intedi possunt & for

tificari, quod est ipsi auro pullulandi & germinādi uirtutem inserere, quod fuit secunda pars quæstionis. sed quia omnis spiritus necessario in humido ampuloso conseruatur, ideo philosophi hanc uirtutem spiritualem in humidam & unctuosam conuertere conati sunt per frequentem reiterationem solutionis prædictæ & per calcinationem. Sic enim terra elementaris ex frequenti inebriatione imbrium de cœlo descēdentium germinat: ut habetur in Esaia, interdum calore desiccata pinguescit. Sic omne sal, omnis christallus, omne minerale fusibile efficitur & per consequens oleagineum unctuosum, quod uidetur cum artifex continuæ laboribus insudat. Toties igitur ascendit à terra in cœlum & econuerso quod pinguis apparet & ampullosa in quibusdam ampullis prædicta uirtus mineralis conseruatur. Illa autem operatio secundū Platonem non est à natura, quia natura ex simplicibus operatur composita, quia ex elementis simplicibus facit composita elementata. Sed opere uoluntatis quæ est potentia simplex & de compositis simplicia facit, id est, de finita uirtute uirtutem infinitam. Hæc Plato in libro de quartis. Si autem obijcitur quòd impossibile est secundum rei ueritatem per talia opera aurum in uaporem cōuertere dicit Plato ibidem. Quod si non possit fieri ignis, id est corpus totaliter simplex fiat aer. Si non potest fieri figura circularis fiat figura quadrangularis: quòd profecto nihil aliud est dicere nisi quòd corpus simplicius fiat ut fieri potest. Quod autem eius uirtutes per talem operationem intendantur patet experimento, quia una uncia auri semel præparati. Si in una libra cuiuscunque spiritus solueris fixat eum in una die. Si quatuor uel decem uicibus reiteraueris fixat unam libram in una hora. Multa ēt notabilia potest homo si placet hic inducere, & nos de hoc in

ſine quæſtionis philoſophiæ diſputaturi ſumus.

Tertia pars.

VANTVM *ad tertium, ſcilicet quomodo illa*
q *uirtus ſeminatur. Eſt ſciẽdum: quòd terra in qua conuenientius iacitur eſt natura mineralis, quia ex quibus ſumus ex eiſdem paſcimur et nutrimur, ut habetur in libro de Anima. Sed illa (quo ad hoc opus) eſt uirtus mercurialis, ergo & in terra mercuriali debet ſeminari. Sed eſt notandum quòd iſta terra primo debet à ſpinis & ſuperfluis purificari & ſublimari cum tanta ignis uiolentia, & tamen quòd conſeruetur pars eius media: quæ perficit, & ab aduſtione defendit. hoc autem completur per ignem leuem ſeu lentum. Talis autem ignis eſt humiditatis conſeruatiuus, & fuſionis perfectiuus. In iſta terra duo opera reperiuntur neceſſaria, ſcilicet humiditas, quia uirtus prædicta nutritur, unde Hermes ſtatim ſubiunxit dicens. Nutrix eius eſt terra, id eſt, mercuriale ſublimatum & humidum, uel in ſpiritus mercuriales penetraturi: quibus ampullæ prædictæ uirtutis implentur. Ideo ſtatim ſubditur. Quòd uentus, id eſt aqua portauit ipſum, id eſt uirtutem illam in uentre ſuo, id eſt, mediante uentre ipſius uirtutis. Huius autem ratio eſt: quia leuia ſuffocata ſtare non poſſunt ut non in ſpiritu furoris ſui terram concutiat cum à frigore conſtrictam inuenerit. Sic ipſa uirtus quæ uentus dicatur cum in ampullis clauditur confortante ignis calore totam naturam expectat & maxime ſi non fixi quantitatem excedat in aliquo. Si autem uirtus ſeminatiua fuerit tantæ fortitudinis quòd ipſos ſpiritus incluſos fixet, & in ſuam propriam naturam conuertat in inſtan*

ti. Sic enim uirtus multiplicatur & crescit, quod finaliter ars quærit. Si autem impietas ignis locum agẽdi per aliquod spatium habuerit statim fugiunt & exterminantur. Quapropter iterato soluatur totum & assetur toties quòd omne additum, sibi adæquatur in fermentationem & maturationẽ ut dicit Plato in libro de quartis. Quia quod est fixum fixat: coagulatum coagulat. Se ipsum desponsat: seipsum & impregnat: nec est in mundo res mirabilior. unde Plato libro quo supra dicit quòd cerebrum est mansio cogitationis uel cogitationis intellectus cui anima secundum operari soli coniungitur propter eius simplicitatem. Igitur dicit ipse, debes ipsam materiam simplicissimam facere, quia sic simplicibus utitur & propter hoc interimit se ipsum. Vnde Maria. Soror sapientis dixit. Seminate aurum non quidem uulgi sed philosophorum quod per media philosophica est præparatum in terra foliorum. quia crescit, nutritur & augetur sicut cætera uegetabilia. Vnde per istum modum uerificatur dictum Aristotelis ad Alexandrum. Quòd materia dicitur lapis elementaris. quia ex ipso quatuor elementa sunt extracta ut dictũ est supra. lapis mineralis, quia ex solis mineralibus fit. lapis uegetabilis quia nutritur & augetur: quæ sunt potentiæ animæ uegetatiuæ. lapis animalis quia odore reficitur & fœtore corrumpitur. lapis rationalis, quia permanet naturæ consonans cum est ad illud determinatum. Sed naturæ opus, est opus intelligentiæ diuinæ, Igitur & opus artis per naturales uias incurrentes & incidentes hoc in loco uocatur nomine omnis spermatis. Cum fuerit animalis nomine omnis floris, fructus uel humoris. Cum igitur uideris signum, scilicet quando incontinenti multiplicatur secretum elicias, scilicet quando natura Mercurialis in sua natura, quæ est fluxibilis pene=

trans ingrediens & perficiens quantum est de se statim & totaliter in opere stat, quia fixatur cum suorum uirtute spiritum & in sua humiditate ex qua fit fusio, ingressio & fixio stans. Sed quia non omne sperma generat, sed oportet esse filiosum & digestum spiritu nutrimentali, quod quidem generatur in hepate uitali, quod fit in corde animalis, & quanto isti spiritus magis sunt digesti & erunt in prædictis locis decocti diutius & reuoluti, tanto efficacius generāt & effectum perfectiorem pariunt & numerum copiosiorem multiplicant, aliquando duo gemelli aliquando septem, aliquanto quadraginta uno ictu fiant. Dicit enim Auicenna se uidisse quòd una prægnans quadraginta eiecerit abhorsus uno saltu, quod considerantes philosophi, quod etiam de semine ad generationē aggreditur sed solum prædicti spiritus ut patet per philosophum in libro de animalibus incœperunt opus in uase uitri claudi & sub fimo solui in aquam & postea coagulari in igne calido & humido. Ipsóq; eodem uase si aperiretur ipsa natura conquassaretur et forte ipsi spiritus euanescerent. Idipsum uoluerunt sæpius reiterari. Quia resolutio secundum Rhasim est thesaurus rei & auspicium cōplementi & in ipsa est totum secretum. Quia sicut supradictum est. Ille lapis multiplicatur in infinitum secundum quātitatem, uerbi gratia. Vna pars primo perficiebat x. si semel soluitur & coagulatur perficit 100. si bis uel ter 200. si 12. tunc perficit partes infinitas. Est autem huius ingenium tantæ efficaciæ. Quod philosophi dixerunt, quòd omnis creatura corporalis seu spiritualis proprietas aliqua in hoc lapide ex uirtute operationis illius in figura describitur & continetur. Et cum Hermes perlustrasset omnia, uim huius lapidis & tam naturalium rerum, quàm etiam super naturalium gradum

auſcultaſſet attingere conabatur tertium cœlum. Sed prohibitus fuit quia non eſt fas creaturæ aliquam proprietatem ſui creatoris uſurpare. hæc Plato in libro de quartis. Ideo dicit in alia parte libri præallegati. Quod ſolutio fit in luna coagulatio in Saturno. Ergo acquirit iſte lapis uirtutem omnium planetarum. Similiter ſolutio fit in aqua & coagulatio in igne. Ideo acquirit uirtutem ſuperiorum & inferiorum elementorum. Sic eſt de ſignis & ſtellis fixis, humoribus complexionibus, membris, uentis, plagis orbis, ſimiliter quia dicitur ſpiritus uolans aſſimilatur angelis, & quia mortuum fit uolatile uidetur ibi reſurrectionis miniſterium uel miſterium occultari. Hæc autem quæ dicta ſunt licet ſint metaphorica tamen eſſe maximæ efficaciæ hanc prædicant operationem. Hucuſque Plato. Eſt autem iſta operatio quaſi dicerem quòd ſemen animalis cuiuſque hepatis uetriculum iterato ſubintraret & ſpiritus nutrimentalis eidem duplicaretur. Sic eſt de corde & de cerebro quantum ad ſpiritus uitales et animales. Et certum eſt quòd illa ſpermatis uirtus multiplicaretur & poſſit toties reiterari. & ſi materia ſufficienter adminiſtraretur, quòd tantæ magnitudinis procrearetur animal quãtum ſpecies eius & natura pateretur, ſic eſt in propoſito.

QVANTVM ad quartum eſt dicendum. Quod homines ante tempus fœtus colligere cupientes abhortiuos genuerunt. Ideo oportet tempus expectare à philoſophis prætaxatum. Quod ut melius in fine compleri poſſit. Idcirco ſigna infallibilia completi elixiris narrabimus ſermone claro. Sunt autem illa talis naturæ ut ſupradictum eſt, quòd fit aere ſubtilior ſi eſt ad album, & lacte nitidior. Si ad rubeum quòd fit unio rutilantior. Et non differt lapis albus à rubeo niſi ex additione citrinantis coloris qui etiam à Mercurio ſolo recipitur, quòd

tur : q̃ sit elemento liquidior. Quòd sit gracili spumo ampulosior, q̃ sit furioso uento spiritualior, q̃ sit aqua uiua limpidior, q̃ sit ignis pugna spissior, & q̃ sit in omni frigore quãtũcunq; magno : & in omni calore quantumcunque paruo incoagulabilis omnino. Primum signum quantum ad album facit sublimatio diligens & per filtrum distillatio frequens. Quantum ad rubeum facit aquarũ calcinatarum acumen intensum. Secundum signum facit frequens reiteratio solutionis acumine aquarum & assatio fortis successiua. Tertium signum facit solutio fluuialis aluei & coagulatio leuis. Quartum signum facit subtilis purificatio omnia mundans. Quintum signum facit ignis præcipitans uiolenter. Sextum signum omnia prædicta ingenia consumit, insuper sunt & omnia alia signa extrinseca maximi precij. Verbi gratia. Si illius elixiris quantitatem grani cum uino aliquo claro miscueris lepram sanat, scabiem, impetiginem, omnem febrem et calorem tollit incontinenti omnem corruptum humorem de corpore humano euellit, omnéq; membrum contractum erigit & iuuentutem conseruat. Quid plura? Nullus qui hoc usus fuerit cibo uel potu infirmitatem aliquantulo tempore cognoscit. Semper erit lætus & rubicundus. Item per alia signa hoc ipsum cognoscit. Si ergo quadraginta libras mercurij albi uel rubei in aquam conuerteris & super ignem aliquantulum fumigare permiseris, & desuper elixiris suprascripti uncia una proieceris totum in naturam fixam conuertit, & fermentat, eidem uirtutem suam æqualiter communicabit, & signa omnia prædicta ipsi aquæ insignabit. Sic christallus uel uitrum fluxibile faceret & malleandi dulcedinem præstaret & donaret. Similiter omnem lapidem pretiosum conuertit secundum intensionem coloris quemuis, quia o-

mnem colorem recipit sicut & rubeum sic plus in unum conflauerit & indurauerit in corpus permixtum. Quantum ad quintum dicendum est. Quòd istius uirtutis actiuæ ius potentia propria est mercurius in sua natura fluente, sed debet purificari à terreo fetulento sicut natura menstrui elicit subtilia, & aliud grossum eijcit cum purificatum fuerit & mediante igne successiuo superauerit ipsum incontinenti perforat & perforando digerit & indurat: sic & natura auri in una hora facit ut dixerunt sapientes. Teste Gebero pondus suum conseruat quia prius fixat quàm ignem auferat. malleatur optime quia est natura mercurij quæ est successiua, super omnia ignis habet examinationes perfectas. Quia sola natura mercurius in igne quiescente superat, & sic de singulis alijs. Quod autem statim indurat probatur experimento. quia fumus solum à Ioue uel à Saturno exiens ipsum statim indurat. Igitur illa uirtus quæ in infinitum perfectior est. Similiter illud aurum omnes medicinales proprietates habet. Ad quod sciendum primo unde aurum confortat. De hoc alij qui dixerunt. Quòd eius confortatio non fit nutriendo sicut facit panis. qui cor hominis confortat, quia non digeritur nec conuertitur, nec restringendo laxat. Sicut hoc epulum, Cor confortat non odore spiritualia temperando sicut faciunt aromata, nec purgando superflua sicut faciunt laxatiuæ medicinæ. Et hoc confirmatur uerbo Diascoridis qui dicit, si aliquo flegmatico humore contingit spiritualia remolliri aurum abstergit. Sed eius abstersio est Mercurij natura, ut dicit Auicenna. Igitur cor potest confortari, hoc modo. Alij dixerunt quòd aurum confortat cor ex sua potentia. Quia aurũ est durum, & durum à duro confortatur: & est dictum magnorum medicorum, ut dicit Vincentius in speculis etiã

habetur propositum quòd durum est, inquantum expedit. Alij autem dixerunt. Quòd aurum cor confortat à tota specie materia separata. sicut Magnes ferrum separatum attrahit, sed hoc ratione principiorum auri, scilicet natura mercurij & sulphuris quæ sunt duo principia talis speciei & natura & suppositum non differunt realiter ut homo & Franciscus: & sic uirtus totius speciei est secundum uirtutem principiorum. Sic tamen ꝙ sit prius ratione uirtutis à cœlo influxæ, & uirtus cœli communis est: & influit in patiente disposito semper & ubiq;, unde omni tempore homo generat hominem & sol. igitur in illa materia excellenter supra uirtutem naturæ disposita talem uirtutem communicabit. Igitur idem quod prius. Alij dicunt quòd sit preciositas ex minerali proprietate quia eius preciositas non fit ex materia eiusdem speciei ueritas approbatur. Arguunt aliqui sic quia confortatio cordis est à margaritis. igitur non sequitur totam speciem. Sed respondetur: quòd confortare cor est per determinata media, ꝙ nulli conuenit nisi auro. Sed contra arguitur sic. Zaphirus cor confortat à tota specie, igitur per determinata media. Sunt igitur aliquæ uiæ speciales utriusque. Sed margaritæ cor confortant & corallus & infinita alia quæ in mundo reperiuntur: & ergo sunt infinitæ uiæ speciales.

Ergo merito per determinatas uias & per determinata media aurum præparatur ut est supradictum.

Et sic patet quæstionis determinatio cum sua responsione uera & determinata de natura Solis & Lunæ. Deo laus & gloria per semper secula. Amen.

TABVLA TOTIVS OPERIS.

In proemio. Demonstrationis modus multiplex. car. 2
In argumentis Alchimia uidetur falsa rōne mixti. ca. 3
Alchimia uidetur falsa ratione proportionis elemētorum. idē
Forma sequitur determinatum modum mixtionis. idem
Species quomodo differat ab alia specie. idem
Alchimia uidetur falsa ratione instrumenti. idem
Modus agendi naturæ in generatione cuiuslibet rei idem
Alchimia uidetur falsa ratione temporis idem
Ad generationē formæ cuiuslibet est tempus præfinitū. idem
Tempus generationis methallorum. car. 4
Methalla ex quibus constent. idem
Alchimia uidetur falsa ratione loci, & loci laudes. idem
Locorum differentiæ, artis & naturæ. idem
Principium intrinsecum rei quid sit. idem
Natura quomodo generat res. idem
Alchimia uidetur falsa ratione imitationis. car. 5
Corruptio qualis est, talis est mixtio. idem
Alchimia ui. falsa quia spēs adinuicē nō transmutātur. idē
Methalla quomodo adinuicē conueniāt & qūo non. idem
Alchimia uidetur falsa quia ignorat principia mixti. idem
Corpora celestia quomodo faciunt ad generationem. idem
Forma quando materiam informet. idem
Alchimia uidetur falsa quia artificialia nō sūt naturalia. idē
Formæ naturales & artificiales quomodo fiant. idem
Natura supponit materiam, ars uero facit. idem
Alchimia uidetur falsa quia non est ab aliquo inuenta. car. 6
Alchimia uidetur falsa ratione contrariorum. idem
Forma una est unius operationis. idem

Contraria ſimul eſſe non poſſunt. idem
Plures actiones per te primo alicui ineſſe non poſſunt. car.7
Alchimia uidetur falſa ratione materiæ. idem
Spiritus methallorum primi & ſecundi qui ſint. idem
Tutia quid, & quæ ſint operi neceſſaria. idem
Methalla imperfecta non dant fulgorem. car. 8
An ſpiritus & perfecta dent fulgorem. idem
Natura ſpirituum quæ ſit. idem
Fuſio methallica per quod fit. idem
Fuſio uitrificatoria per quod fit. idem
Vitrificatum non poteſt redire in methallum. idem
Vitrum non poteſt fieri malleabile. idem
Methalli humiditas nulli competit niſi methallo. idem
Marchaſita & antimonium quó à methallis differant. idem
Methalli paſſio prima & ſecunda. car. 9
Vitrum methallis commiſceri non poteſt. idem
Methalli humiditas quibus inſit & humiditatis laus. idem
Methalla cur indicem ſignent. idem
Argentum ui.cur non adhæreat marcaſite. idem
Vitri paſſiones & quó a methallis & inter ſe differunt. idem
Methalla quomodo inter ſe differant. idem
Vitrificatio ſpirituum annihilat opus. car. 10
Abhortiua non permanent in natura. idem
Alchimia ui. falſa quia omnia methalla ſunt completa. idem
Methalla an dicantur nobilia & ignobilia. idem
Alchimia ui.falſa ratione ultimæ diſpoſitionis car. 11
Alchimia ui.falſa propter diuerſam generationem. idem
Alchimia ui.falſa quia eſt à caſu. idem
Quæ ſunt à fortuna non ſciuntur. idem
Scientia eſt neceſſariorum. idem

Fortuita quæ ſint. idem
Alchimia ui. falſa authoritate Ariſtotelis. idem
Expoſitio autoritatis philoſophi contra artem. idem
Eadem autoritas exponitur pro arte. car. 12
Accidentia non mutant ſpeciem. idem
Differentia ſpecierum & accidentium quæ ſit. idem
Alteratio eſt accidentium mutatio idem
Tranſmutatio quomodo fiat. car. 13
Alchimia ui. falſa ratione noſtri iudicij. idem
Differentiæ ſpecificæ methallorum ſunt ignotæ. idem
Accidentia cur noſcantur. idem
Alchimia uidetur falſa ratione proportionis in mixtiõe. idẽ
Alchimia ui. fal. rõne trãſmutationis in materiã primã. idem
Motus generationis eſt ad formam ſubſtantialem. idem
Motus ad formam dicitur mutatio. idem
Generatio & motus ad ubi quid ſint. idem
Materia prima hominis quæ ſit. car. 14
Materiæ propinquæ ſpecierum ſunt ignotæ. idem
Quomodo ex cibis fiat homo uel animal. idem
Mixta quomodo ſint in elementis. idem
Ex quolibet quomodo fit quodlibet. idem
An methalla differunt ſicut ſanum & ægrum. car. 15
Accidentium differentia in quo ſint. idem
Propriæ paſſiones à quo procedunt. idem
Auri paſſiones quæ ſint. idem
Infirmi paſſiones humanas exercere non poſſunt. idem
Aeger quomodo fiat ſanus. idem
Dicentes methalla non differre ſpecie quales ſint. idem
In termino motus requiritur forma. idem
Terminus motus in quo conſiſtit. idem

Alchimista non operatur sicut medicus. car.16
Probationes Alchimiæ. idem
Alchimia probatur uera triplici uia. idem
Testimonium sapientum est magna probatio. idem
Ars est sequela & regula naturæ. idem
Alchimia probatur uera primo testimonio sapientum. idem
Autores Alchimiæ. idem
Studendum prius ne casu fiat operatio. car.17
Ratio enim experimento confirmatur & decoratur. idem
In obscuris apertis rationibus oportet uti. idem
Nullus sapiens Alchimiam negauit. idem
Rationes negantium Alchimiam quam sint risu dignæ. idem
Conclusio Auicennæ super autoritatem Aristotelis. idem
Alchimia non utitur demonstr. apertis ut aliæ scientiæ. idem
Problemata duobus modis fiunt. idem
In scientijs operatiuis fiunt demonstrationes ad sensum. idē
In sensibilibus iudicare debemus per sensum. idem
In generatione apum quomodo fiat probatio. idem
Demonstrare Alchimiam incredulis quid sit. idem
Negantes sensibilia indigent pœna uel sensu. idem
Negantes alchimiam quibus comparentur. car.19
In scientia medicinæ quomodo fiunt probationes. idem
Experimenta quomodo probari debent. idem
Exemplum in medicaminibus diuersis. idem
Demonstrationes mathematicæ quomodo fiunt. idem
Ratio demonstrans alchimiam est uera. idem
Duo sunt methalla perfecta sicut duo lumina cæli. idem
Complementū artis & naturæ fit per rem sensibilem. car.20
Principia alchimiæ sunt duplicia. idem
Primum principium in artificio quid sit. idem

Probationes seu iudicia auri quæ sint. idem
Principium secundum alchimiæ est diuinum. idem
Experimentum destruit rationē, quomodo intelligitur. idem
Alchimiæ laus & difficultas. car. 21
Alchimia probatur uera quia insunt utriq; auro &c. idem
Ex ijsdem operationibus cognoscuntur eædem formæ. idem
Optimum genus inquisitionis est per accidentia. idem
Auri proprietates & passiones. idem
Eædem operationes non possunt esse à contrarijs formis. idē
Plato probat aurum alchimiæ confortare cor. car. 22
Alchimia probatur uera ex similitudinibus. idem
Vitulus generatus in nubibus. idem
Diuersa ex rebus diuersis genita ab arte. idem
Buffones quomodo generentur. idem
Apes, uespæ, scarabei ex quibus generentur. idem
Genita ex putri & propagatione sunt eiusdem speciei. idem
Exemplum uniuocorum in uegetabilibus. idem
Causa uniuocatiōis ingenitis ex putri et propagatiōe. car. 23
Natura transmutat unā speciem in aliam, & loci laudes. idē
In Persia cadit æs, ferrum & lapides cum tonitruis. idem
Subitæ generationis causa. idem
In diuersa materia, diuersimode fiunt eædē generationes. idē
Mirabilia quæ operantur in mineris. idem
Loci potentia exemplū de pane in lapidem. car. 24
Exempla quibus sint posita. idem
Attramēti generatio & fumus lignorū lapidi assimil. idē
Lapidi nil proprie & per se assimilatur cū sit orphanus. idē
Exemplum pulchrum de fumo lignorum. idem
Alteratio metallorum ex diuersis fieri contingit. car. 25
Cortex mali punici quid operetur in ferro. idem

Natura quomodo generet methalla. idem
Ars quomodo sequitur naturam. idem
Quando corpus dominatur conuertit spiritum in se. idem
In spiritibus sunt corpora in potentia & econtra. idem
Determinatio et responsio ad quæstionē cū elucidatiōe. car 26
Alchimiæ laudes. idem
Nulla scientia probat suum subiectum. idem
Alchimiæ subiectum quid sit. idem
Sola alchimia probare conatur suum subiectum esse idem
Alchimiæ definitio. idem
Alchimia quomodo differat à medicina. idem
Alchimiæ difficultas prima. car. 27
Vbi sapientes discordant magna arguitur difficultas. idem
Alchimiæ difficultas secunda. idem
Ars sophistica non potest dici ars. idem
Non est standum iudicio contraria iudicantium. idem
Alchimia est uera apparens & existens. idem
Quibus datur alchi. & cū quibus disputēdū est de ea. car. 28
Modus procedendi in hac questione & qui sint termini. idem
Paralogizatio quomodo fit. idem
Alchimista sit sapiens & non ignarus. idem
Alchimiæ diffinitio eiusdemq; expositio. idem
Descriptio quomodo fit. car. 29
Causa finalis alchimiæ. idem
Dum agens agit in materiam res dicitur imperfecta idem
Quare solum aurum sit metallum perfectum. idem
Quare alia sex dicātur imperfecta & sulfuris uituperiū. idē
Methallorum perfectio quæ sit & quando fiat. idem
Alchimiæ diffinitio secundum Morienum & Lilium idem
Alchimia diffinitur ut scientia & ut instrumentum. car. 30

Decem modi difficultatis alchimiæ. idem
Inquisitio alchimiæ est difficilior cunctis rebus. idem
Prima causa difficultatis quia est supra naturam. idem
Alchimia uel habetur à deo reuelante uel ab hõine docẽte. idẽ
Secunda difficultas est ex diuersitate operantium. car. 31
Tertia difficultas ex paucitate habentium eam. idem
Quarta propter cõtradictionẽ apparentẽ in dictis eorũ. idem
Quinta ratione diuersitatis precij. s. carũ & uile. idem
Cur diuersa fingantur nomina in hac scientia. idem
Alchimista sit ingeniosus & subtilis. idem
Sexta causa difficultatis ratione allegoriarum. car. 32
Aristotelis testimonium super hoc. idem
Nomina inusitata sunt peiora translatione. idem
Non est mirum si operantes errent. idem
Septima causa, quia hæc sciẽtia opposito mõ se habet alijs. idẽ
Octaua causa difficultatis ratione uasis. car. 33
Nona causa est ratione temporis ortus lapidis. idem
Qui pondera nouit, omnia nouit. idem
Quælibet actio habet tempus determinatum. idem
Cur tempus uariauerunt philosophi. idem
Secretum ignis in tempore est occultatus. car. 34
Signum & signatum quæ sint in lapide. idem
Voluntas regit naturam ad lapidem construendum. idem
De crisi cognoscenda tacuerunt philosophi. idem
Compositio elementorum difficillima ad cognoscendum. idem
Decima causa difficultatis est ratione materiæ. idem
Materia lapidis & eiusdem nomina multa. idem
Materia metallorum naturæ & arti eadem. idem
Quæ magis diuidũtur minus sunt scibilia & econtra. car. 35
Cognita unitate alchi, omnia contẽta in ea cognoscũtur. idem

Error sophistarum. idem
Quomodo ars hæc sit unica & loquentium unitas. idem
Salomonis dictum de sulfure. car.36
Natura, genus, substantia, essentia, una tantũ est. idem
Instantia contra unitatem lapidis. idem
Quomodo corpore & spiritus differant. car.37
Nutribile quomodo nutriat. idem
Quomodo intelligitur lapis unus uia una. idem
Deceptiones operationum. idem
Distinctio prima ostẽdit quõ ars sit naturalis et diuina.ca.38
Quando lapis & anima oritur, quomodo dicatur. idem
Germinatio quid sit. idem
Ars hæc quõ dicatur diuina, & est res annotatiõe digna. idẽ
Alchimiæ cognitio superat naturam. car.39
Per lapidem philosophi uaticinati sunt futura. idem
Et primo diem iudicij & mortuorum resurrectionem. idem
In iudicio deus remunerator est bonorum. idem
Quomodo uirginẽ concipere & parere præuiderunt. idem
Deum ipsum humanari ex quo cognouerunt. car.40
Solus homo poterat Deo uniri. idem
Plato scripsit in principio erat uerbum. idem
Aperitio renum in partu qua sustentatur uirtute. idem
Finis lapidis diuinæ seruatur uirtuti. car.41
Laus Alchimiæ & sui operis. idem
Distinctio secũda quomodo ars sit inuẽta & quibus data.idẽ
Naturaliter nõ poterat alchimia inueniri idem
Lapidis & alchimiæ laus & incertus autor. idem
Quare secretorũ liber uere sit Aristotelis. idem
Alchimia cur sit obscure tradita. car.42
Cur per allegorias philosophi sint loquuti. idem

Non per inuidiā philosophi sed iuste artem cælauerunt. ca. 43
Scientia ista non est pro omnibus. idem
Sophistarum errores arti non debent attribui. idem
Manuum & oculorum operatio arti necessaria. car. 44
Prima & secunda operatio quando fiunt. idem
Artifex qualis sit & quomodo ars ingenio iuuatur. car. 45
Errores sine scientia quare emendari non possunt. idem
Scientia sine experientia parum aut nil prodest. idem
Experientia magis quàm scientia est perquirenda. car. 46
Sophisticarum rerum cognitio quomodo iuuet. idem
Principis naturæ carentes, naturam sequi non possunt. idem
Quorum principia sunt diuersa, & opera erūt diuersa. idem
Distinctio tertia q̄ ars sit certa nobilis & breuis. idem
Concordia sapientū est magna certitudinis demonstratio. idē
Alc. operatio pōt uno die addisci, quod nulli sciētiæ cōtigit. idē
Alchimia est nobilior alijs scientijs excepta theologia. car. 47
Nulla scientia acquiritur propter seipsam nisi sciētia alchi. idē
Nobilitas alchimiæ ex duobus dependet. idem
Intellectus nulli inesse potest nisi animæ humanæ. idem
Quare hæc sciētia ab omnibus sapiētibus inquiri debet. car. 48
Hæc scientia animā decorat, & corpus à seruitute liberat. idē
Ars est breuis sine allegorijs. idem
Quarta distinctio ostendit errores operantium. car. 49
Alchimia non est à casu neq; à fortuna. idem
Pars secunda lapidis est clauis totius operis. idem
Alchimista sit patiens. idem
Lapis quando oritur euolat ab igne nisi retineatur. idem
Fortitudo alchimiæ quæ sit. idem
Nexus elementorum est clauis & supra naturam. car. 50
Lapis in ortu suo eget auxilio artificis. idem

Exemplũ de puero in uentre matris & de aue in ouo. idem
Lapidis clamor & uulturis uerba. idem
Principium & finis operis quando fiunt. car.51
Principiũ quando uariatur, omnia uariãtur, & econtra. idẽ
Finis est fixio sui principij & illũ uase includit. idem
Distinẽtio quinta ꝙ lapis omnibus similatur. car.52
Quòd hæc scientia habita sit à Prophetis. idem
Quòd eam miscuerunt omnibus alijs scientijs. idem
Hæc scientia de omnibus alijs loquitur & econtra. car.53
Quid sit ueritas & quid allegoria. idem
Rerum modi ad inquirendum ueritatem sunt tres. idem
Lapidis infinita nomina quid causent. idem
Lapis quia orphanus, nullum ei nomẽ proprie cõpetit. car.54
Cur lapidi diuersa imposita sunt nomina. idem
Aristoteles quomodo loquutus sit de hoc lapide. idem
Solutiones argumentorum quinque contra artem. idem
Dispõnes præcedunt habitus & habilitant ad formas. car.55
Ex ijsdem principijs natura facit methalla & ars lapidẽ. idem
Ars non potest sequi naturam ad generandum methalla. idem
Ars quomodo potest sequi naturam & quomodo non. idem
Ignis solus methalla perficere non potest. idem
Lapis duplex uolatilis & fixus car.56
Sermo sophisticus est mentiens dubitatio. idem
Arguentes contra hanc scientiam duobus modis decipiũtur. idẽ
Prudentia non est tantum uniuersalium. idem
Opus hoc quomodo dicatur naturale & quo artificiale. idem
Eo modo quo ars ministrat, eo modo natura operatur. idem
Solutio rationis. 7. forma naturalis duplex car.57
Opiniones de inductione animæ in materia. idem
Vbi compositio debilior ibi forma excellentior idem

Comparatio recta fit in uniuocis idem
Proportio recta & non recta quando fiat. idem
Solutio rationis octauæ & nonæ. idem
Astrologia non est seruanda in alchimia. idem
Ad generationem rei quæ sint consideranda. idem
Astra quomodo operentur in hæc inferiora. car.58
Astrologia quomodo in imaginibus operetur. idem
Solutio rationis.x. forma quotuplex idem
Forma quæ est principium operandi dicitur specifica. idem
Forma accidentalis fluens duplex mediata & immediata. idē
Forma artificialis in facto esse & in fieri. idem
Formæ oēs quæ sunt in lapide non possunt dici artific. car.59
Formæ naturales sunt in duplici differentia. idem
Formæ mixtorum oēs sunt naturales ministrāte arte. idem
Præparans alteri materiam ad formam nō dat formā. idem
Formæ naturales accidentales possunt arte &c. idem
Formæ artificiales accidentales non possunt à natura etc. idem
Principium artis est materia cum intellectu practico. idem
Principium naturæ est intelligentia & natura etc. idem
Solutio rationis.xi.rei difficultas quid arguat. car.60
Responsio Geberis & eius laudes ad rationem xi. idem
Constructio rei duplex, in principio & in fine motus. idem
Quando facilior est construere quam destruere. idem
Solutio rationis xiij.& xiiij.contrarietas ex quo sit. car.61
Omne quod in aliquo recipitur, quomodo recipitur. idem
Nutribile quomodo à contrario & à simili nutriatur. idem
Comparatio pulchra de nutribili & nutrito idem
Operatio lapidis est una, licet uideatur contraria. idem
Considerans causas diuersitatis methallorum uidet etc. car.62
Solutio rationis xv.& xvi. idem

Methalla qũo dicantur perfecta, et qũo imperfecta. idem
Exemplum de ouo & aue. idem
Quæ sit & dicatur mors imperfectorum mixtorum. idem
In quocunque est aliquis terminus motus, ibi est forma etc. idẽ
Forma substantialis prima quando ordinatur ad aliã. idem
Triticum, equus & marchasita non ordinantur &c. car. 63
Solutio rationis xx. Entia à fortuna quæ sint. idem
Alchimia non est casu seu fortuna sed necessaria. idem
Solutio quinque rationum Aristotelis. idem
Alchimia uere transmutat & quare alterat idem
Trãsmutatio & alteratio quid sint. idem
Cognita propria passione cognoscitur forma. idem
Forma quomodo cognoscatur, et si subiaceat sensibus. car. 64
Sufficit cognoscere methalla imperfecta quæ sint. idem
Alchimia probatur uera ratione formæ ueri auri. idem
Solutio quintæ rationis Aristotelis. idem
Methalla omnia differunt specie secundum Aristotelem. idem
Potentia quomodo se habeat ad actum. idem
Sanguis non est in potentia cibus, nec domus ligna. idem
Res à quo capit denominationem. idem
Non omne ex quo fit aliquid dicitur materia eius. car. 65
Potentia quæ est dispositio est triplex idem
Potentia formæ adeptæ est duplex. idem
Ordo inter potentiam remotissimam & actũ secũdum. idem
Bonum completum ultimum in methallis qũo intelligatur. idẽ
Quomodo natura perficit methalla imperfecta. car. 66
Perfectum & imperfectum quotuplex dicatur. idem
Perfecta & imperfecta in eadem forma quæ sint. idem
Perfecta & imperfecta in diuersis formis quæ sint. idem
Perfecta & imperfecta tertio modo competit methallis. idẽ

In formis quomodo dantur gradus & quomodo non. idem
In methallis est una tantum forma proprie. idem
Methalla imperfecta non fiunt à causa impediente. idem
Aurum non generatur per transitum aliorũ methallorũ. idẽ
Casualia non constituunt speciem neque permanent. car.67
Methalla imperfecta fiunt ex intentione naturæ. idem
Exemplum de terra & testiculis in animali. idem
Methalla sunt permixta, & aqua et sol mutant æs in aurũ.idẽ
Ordo inter animam uegeta.sensi.& rationalem. car.68
Quomodo methalla sint in mineris reperta. idem
Origo mineris quando inuenitur. idem
Differẽtiæ specificæ methallorum quomodo sumuntur. idem
Digestio in methal.non debet retrogradi sed progredi.car.69
Materia prima hominis quæ sit. idem
Ars extollit naturam mirifice. idem
Natura & ars qũo reducũt methallũ in materiã primã. idẽ
Mixtio lapidis cum methallis est forma informans. idem
Reductio methalli in materiam primam est duplex. idem
Quando ex methallo fit uitrũ amittitur genus & species. idẽ
Responsio ad rationes de materia prima. idem
Materia prima quando dicitur chaos. idem
Materia prima multiplex est uidel.propinquissima etc.car.70
Quando ex spermate fit homo quæ sit illa reductio. idem
Ordo naturæ ad methalla procreanda idem
Qualis est ordo methallorum ad sperma,talis est ad ar.ui.idẽ
Principium medium & finis.i.ar.ui.metha.& aurum. idem
Methalla quando liquantur sunt argentum uiuum. idem
Tempus naturæ differt à tempore artis. idem
In imperfectis methallis quid perficiatur per lapidem. car.71
In eodẽ tempore ars perficit omnia imperfecta metalla. ibidẽ

Additum

Additum ſuper quæſtionem Boni de ſubalternatione ſcientiarum. idem
Entia realia ſunt in triplici differentia. idem
Entia realia concernunt ſibi materiam determinatam. idem
Entia mathematica poſſunt eſſe in quacunq; materia. idem
Entia diuina nullam concernunt ſibi materiam. car.71
Scientiæ omnes & artes à quibus manant. idem
Natura non poteſt eſſe falſa, ergo nec ars. idem
Naturæ & artis principium quid ſit. idem
Alchimiæ neceſſaria ueritas. idem
Alchimia cui ſubalternetur. idem
Subalternans & ſubalternata ſunt eiuſdem ueritatis. idem
Priora ſunt cauſa ueritatis ſuorum poſteriorum. idem
Principium alchimiæ eſt uterq; intellectus. idem
Alchimia non eſt factiua neq; mechanica. idem
Alchimia eſt uerior ſcientia quàm ipſa medicina. idem
Materia naturæ & artis quæ ſit. car.72
Materia non producit ſeipſam ad formam. idem
Agens quid ſit tam in natura quàm in arte. car.73
Modus agendi eſt diuerſus in natura & arte. idem
Diuerſæ materiæ non poſſunt ſubijci huic arti. idem
Alchimia eſt mutatrix & ſequela naturæ. idem
Forma eſt res diuina ſine hypocriſi. idem
De principijs methallorum in generali, et generatio ex quibus fiat. car.74
In generatione methallorum duplex eſt humiditas. idem
Materia prima omnium methallorum quæ ſit. car.75
Materia proxima methallorum quæ ſit. idem
Sulfurum quoddam liquabile & quoddam non. idem
Cauſa liquefactionis in methallis. idem

Sulfur in marcasitis quomodo sit. idem
Materia prima propinqua proxima & uniuoca methallorum. idem
Generatio methallorum cur sit circularis. exemplum. c.75
Mixtio methallorum in minera quid significet. idem
Forma auri quomodo datur ab arte & à natura. idem
Duabus uijs natura generat aurum. idem
Quæ uia generandi aurum imitatur artem. car. 76
Ad identitatem producendarum quid requiratur. idem
Alchimia probatur uera, quia quorũ causæ sunt eædem, ipsa sunt eadem &c. idem
An ex uegetabilibus possit fieri aurum. idem
Vltima dispositio naturæ & artis quæ sit. idem
Modorum diuersitas non uariat rem. car. 77
Exemplum in hoc de generatione sanguinis. idem
Solutio rationis. 18. & 19. idem
Ars non potest sequi naturam in dispositionibus præuijs ad formam. idem
Generatio æquiuoca quomodo reducitur ad uniuocam. idem
Alchimia est uera ratione expoliationis sulfuris corrumpentis. idem
Sulfur occultum in Mercurio est id quod dat formã auri idẽ
Non omne alterans generat aurum. car. 78
Alteratio debet præcedere transmutationem contra ignaros sophistas. idem
De principijs methallorum in speciali. idem
Sulfur & argentum uiuum sunt, sicut mouens & motũ. idẽ
Separatio sulfuris & argenti uiui quando et quõ fiat. car. 79
Materia agens & finis metallorum quæ sint. idem
In mineris quid pro sulfure & argento uiuo reperiatur. idẽ

Materia quando recipit formam. idem
Quæ terminantur termino proprio & quæ alieno. idem
Secretum operationis lapidis. car.80
Conuersio elementorum quando & quomodo fiat. idem
Exemplum de musto & sanguine. idem
Quando opus remanet imperfectum & diminutum. idem
Ex quibus habetur argentum uiuum philosophorum & quid agat. idem
Albedo cur apparet in decoctione completa. idem
Albedinis ratio & proprietas quid sit. car.81
Sapor simplex quid sit. idem
Quando argentum uiuum uincit, & quando uincitur quid fiat. idem
Sulfur occultum in argento uiuo est cor auri. idem
Nomina argenti uiui. idem
Quomodo ars est sublimior natura. idem
In natura una est decoctio, in arte uero duæ. car.82
Elementa ductibilium quæ sint. idem
Lapis philosophorum est forma auri. idem
Plato quare posuit formas separatas. idem
Forma per se non operatur. idem
Compositum est nobilius sua forma. idem
Alchimiæ ratio fundamentalis. car.83
Ignorans radices minerarum non adhæreat arti. idem
Auicennæ medicina ex animalibus. idem
Formæ dantur secundum dispositionem materiæ. idem
Ideæ Platonis quomodo impugnantur. car.84
Inquisitio ueritatis quomodo fieri debet. idem
Aristoteles quando & cur negauerit alchimiam. idem
In speculabilibus & operabilibus quomodo ueritas cognosca-

tur. idem
Iuuenis non potest esse prudens. idem
Aristoteles quando confessus est alchimiæ ueritatem. idem
Alchimia probatur uera primo autoritate Aristotelis. idem
Rationes principales probantes alchimiam esse ueram. car.85
Aurum alchimicum est purius auro naturali. idem
Ratio prima est quia indigesta digeri possunt, ergo alchimia uera. idem
Digestio & calor quid operantur in natura car.86
Digestio iuuatur ab extrinseco calore, exemplum in fructibus. idem
Optesis, scatesis, molensis, & epsesis quid sint. idem
Assa sunt humidiora elixatis & quare. idem
Digestio eadem potest fieri in diuersis organis. idem
Idem agens, disponit ad formam & dat formam. car.87
Regimen artis & naturæ in quo differant. idem
Alchimia est uera ratione organi, loci & caloris. idem
An aurum possit imperfici & retrogredi in æs. idem
Natura nõ transit de uno imperfecto ad aliud imperfectũ. idẽ
Instantia de tempore digestionis. idem
In quo differunt digestio auri & elixiris. idem
Proportio digestionis elixiris & methallorum. idem
Elixir sotiatur methallis, ut forma materiæ. idem
Obiectio de cruditate argenti uiui & solutio. car.89
Causa imitandi naturam. idem
Atramentorum origo, natura & materia. idem
Calcantum, colcotar, & atramentum idem sunt. car.90
Atramenta possunt arte & natura fieri, ergo & aurũ. idem
Instantia de sulfure & arsenico. idem
Cognita materia & modo agendi naturæ, fiet imitatio. idẽ

Alchimia probatur uera ratione materiæ & ratione agentis. idem
Ars non generat aurum, sed formam auri. idem
Ordo materiæ, formæ, compositi & operationis. idem
Alchimia ergo est uera, quia possibilis. car.91
Ratio secunda alchimia est uera propter easdem causas similes. idem
Inductio per singula genera causarum. idem
Mixtio marcasitæ in natura diuersificatur à mixtione metallorum. idem
Ratio tertia. alchimia est uera ex simboleitate. idem
Materia prima quomodo recipit dimensionem & partitionem. idem
Proportio & mutatio metallorum cui sit similis. idem
Elementa non ordinantur ad unum, & quare transmutentur. car.92
Methalla sunt magis similia quàm elementa. idem
Elementa transmutantur adinuicem ergo à fortiori methalla. idem
Elementorum & methallorum mutatio quo differant. idem
Alchimiæ laudes & de intellectu & intelligentia. idem
Ratio quarta. alchimia est uera ratione medij motus. idem
Aliquid ex aliquo fit duobus modis. car.93
Ratio quinta. alchimia est uera ex potentia ordinaria ad formam. idem
Octo capitula ad sciendum summe necessaria. car.94
Capitulum primum ex qua materia fit lapis. idem
Diuersitas methallorum unde oriatur idem
Sulfuris colores multi argen. u. uiui unus tantum. idem
Albedo quid sit, Adhærentia per quid fiat. car.95

Sulfur fixum & non fixum quid agant. idem
Realgaris origo & secretum ex eo eliciendum. idem
Argenti uiui operatio in fusione methallorum. car.96
Argenti imperfectio & sulfur quibus commisceatur. idem
Argentum uiuum quibus adhæreat & propter quid. idem
Arena cur ferrum ferruminet. idem
Laus argenti uiui & sulfuris uituperium. idem
Lapis philosophorum ex quo elicitur. car.97
Identitas & similitudo argenti uiui ad methalla. idem
Mercurius est radix omnis rei. idem
An sulfur sit pars materialis auri, & lapidis philosophorum. car.98
Lapidis color & auri tinctura à quo datur. idem
Sulfur argenti uiui est album actu & rubeum potentia. idē
Sulfur uulgi non ingreditur argen. ui. coagulato sicut nec auro. car.99
Lapis est ex argento uiuo & suo sulphure intrinseco. idem
Actio eadem non potest esse à rebus in substantia diuersis. idē
Alchimiæ tota intentio. idem
Generans non potest esse pars materialis generati. idem
Capitulum secundum. an sulfur solum sit materia lapidis.
Salomonis, aliorum philosophorum dicta de sulfure. car.100
Sulfur argenti uiui non potest seipsum ducere in actū. idem
Argentum uiuum quando dicatur & fiat sulphur sapientum. idem
In paruo quanto potest multum esse de actione, uirtute & forma. idem
Sulphur argenti uiui quantæ sit uirtutis & actionis. car.101
Sulphur hoc diuinum & quod habeat nomina. idem
Ex duobus sulfuribus fit hoc tertium sulphur. idem

Aqua uiua & oleum sulphuris quid sit. 102
Aurum an sit totum materialiter ex sulfure. idem
Naturæ instrumentũ quid, Planetæ & metalla cur septẽ. idẽ
Mercurius principium & finis methallorum, sed sulfur non est in numero. m. idem
Male impugnãtur antiqui de cognitiõe causæ mate. car. 103
Ignorata materia ignorantur aliæ causæ necessario. idem
Omnia alia à materia quare dicta sunt accidentia. idem
Forma etiam quando & quomodo dicatur accidens. idem
Materia quomodo est magis substãtia quàm forma quæ causa est essendi. idem
Prima cognitio rerum à quo incipiat. idem
Cap. tertiũ. De elemẽtis lapidis philosophorũ & auri. car. 104
Diuersitas operantium in hac arte. idem
Forma extrahitur de potentia materiæ propinquæ. idem
Forma est uniuoca suæ materiæ. idem
Inuestigatio ueritatis & recta operatio à quibus sumantur. idem
Fatuitas illorum qui operantur ex auditu aliorum. car. 105
Operans cognoscat causas, quia essendi & cognoscendi eadẽ sunt principia. idem
Inuestigatio operationis quomodo fiat. idem
Elementa duo inclusa & duo sunt includentia. idem
Forma ignis non apparet in se. idem
Corruptio & conseruatio mixti ex quibus pendeat. idem
Elementa secundum alchimicos quæ sint? car. 106
Omnia ex aqua fieri qũo. Et exemplum in cera liquata. idẽ
Elementa separata nil arti prosunt. idem
Aqua & terra iunctis omnia iunguntur. idem
Artifex noscat sua simplicia elementa, & quare, & exem-

plum. idem
Conuertere elementa quid ſit, & cur cum terra perpetuentur. car. 107
Aurum, cœlum, & lapis cur non corrumpantur. idem
Loci laudes, & quare lapis perpetuetur in igne. idem
Cœlũ cur ſit incorruptibile, & proportio ignis ad cœlũ. idẽ
Natura neq; ſcit neq; poteſt perpetuare elementa. idem
Voluntas quomodo ingreditur in hoc opere. car. 108
Vnum tantum eſt elementum in ſubſtantia. idem
Elementa ex quo exeunt, & quintum elementum quid ſit. idẽ
Duo elementa huius artis quæ ſint, aduerte. idem
Capitulum quartum. De fermento & cõditionibus, & quotuplex dicatur. idem
Comparatio fermenti ad paſtã, & qũo paſta alteret. car. 109
Lapis à quo recipiat uirtutem alterandi. idem
Diuerſitas inter paſtam & fermentum. idem
Ex quo fit aurum ex eo fit fermentum. idem
Argentum uiuum fermentatũ omnia alia fermẽtat. car. 110
Fermentum non conuertit methalla in ſeipſum, ut paſta & quomodo. idem
Vltima perfectio methallorum eſt pondus & extenſio. idem
Fermentum ſecundo modo quid, & quare dicatur. idem
Fermentum ex quibus, quando & qũo cõponitur. car. 111
Vnio animæ & corporis quando, quomodo et cum quo corpore fiat. idem
Lapis eſt ex corpore anima & ſpiritu, quæ idem ſunt. idem
Plato prophetauit diem iudicij ex coniunctione lapidis. idem
Corpus quomodo dicatur forma & anima, materia. idem
Dictum Anaxagoræ de Sole & Mercurio. car. 112
Lapis rubeus hermetis eſt aurum. idem

Secretum

Secretum Morieni de Sole & Luna & auro albo. idem
Deceptio Geberis de natura Solis. idem
Sol occultatus in Luna, gradus magisterij & decoctiones quid. car. 113
Dissimilitudo auri, fermenti & pastæ. idem
Corpus, anima, & spiritus quid sint. idem
In tempore generationis & partus quid fiat. car. 114
Corpus, spiritum, & animam, aliter considerat naturalis & aliter alchimista. idem
Plato & Rhasis de infinitate fermenti & suæ cognitiõis. idẽ
Primus gradus operis & secundus quando terminantur, & quid sint. car. 115
Geberis dictum de fermento & Platonis documentum. idem
Fluxus rerum secundum Eraclitum quid sit. idem
Omnia habent terminum suæ decoctionis, exemplum in pane & sapone. idem
Signum perpendendum omnino ab artifice. idem
In fine perfectæ decoctionis generatur materia nuda & simplex. car. 116
Ignis, operis, & operatoris laus & uituperiũ & quies. idẽ
Ignis absentia & præsentia quæ fiant. idem
Vegetabilitas in alchimia quid sit, & alchimia instrumentalis quæ sit. idem
Methalla quare & quomodo nutriantur. car. 117
Materiæ nudæ & simplicis declaratio secundũ philosophũ. idẽ
Exemplũ Aristotelis de triplici anima, & quòd natura generet materiam nudam. idem
Caloris operatio non terminatur ad unum finem. idem
Calor elementalis & cœlestis quid & ubi sint. idem
Sol & homo generant hominem quomodo intelligatur. idẽ

Mensuratio caloris quotuplex sit. idem
Ignis actio est infinita sed mensuratur ab anima. idem
Potentia rationalis & irrationalis quomodo terminant actus suos. car.118
Homo quomodo est mensura omnium rerum. idem
Finis naturæ & artis, & quomodo natura & uoluntate regitur opus. idem
Capitulum quintum. De ueneno & theriaca lapidis quid, & quotuplex sit. idem
Venenum improprie, proprie & propiissime quid. idem
Lepra metallorũ & argenti quæ sit et auri exemplũ. car. 119
Allegoria Hamec de ueneno lapidis proprie dicto. idem
Quando fit coniuncto animæ cum suo corpore et de ortu animæ secundum Platonem. car.120
Corpus cur dicatur theriaca animæ & cur uenenum. idem
Identitas, trinitas & uaticinia lapidis & artis. idem
Infidelis fiet fidelis in trinitate per hanc artem. idem
De ueneno & theriaca lapidis propriissime dictis. car.121
Venenum & theriaca cur dicantur. exemplum de morte & resurrectione. idem
Venenum & tyriaca est cor & flos auri, sine quo alchimia non perficitur. idem
Cap. sextũ. Cur dicatur coagulũ, cur mas & fœmina. idẽ
Coagulum, fermentũ, corpus & uenenũ idẽ sunt. car.122
Quomodo fit coagulum in lacte ita in lapide. idem
Mercurius sublimatus & calcinatus quid sit. idem
Coagulum est clauis totius operis & de aqua currente. idẽ
Quando lapis dicitur fœmina, quando mas, & quando cõpositum. idem
Fœminam super marem ascendere quid sit. car.123

In seminibus & lapide est uis hermafrodita maris & fœminæ. idem
Radius & umbra, senex & puer, quid & cur dicatur. idē
Aegyptus & Persia & mulier prægnans quid sint. idem
Capitulum septimū. De similitudinibus & comparationibus lapidis. car. 124
Principia in generatione fœtus sunt duo. idem
Agens quando separatur à materia. idem
Sperma non est pars geuerati sed motor & forma. idem
Exemplum in generatione animalis & seminum. car. 125
Germen est sicut cor separatum à suo semine. idem
Sulphur extrinsecum generat cor in argento uiuo. idem
Contactus agentis quō detur continuari in passo. car. 126
Sulphur extrinsecum separatur genit intrinseco. idem
Genera maris & fœminæ unde fiant. idem
Si mas, aut fœmina uicerit quō assimilant sibi passum. idem
Aurum est mas, arg. uiuū fœmina et mas occasionatus. idem
Exemplum in albo & rubeo oui, quid intelligatur. idem
Sulfur uinctum & uincens & temperantia caloris quid agant. car. 127
Sperma non est id, quod agit, sed anima existens in eo. idem
Instrumenta non agunt nisi per motum & quomodo ipsa mouentur ab anima. idem
Sulphur non est agens, sed instrumentū caloris agētis. idem
Agens extrinsecum principale quid & quomodo agat. c. 128
Argentum uiuum uulgi assimilatur ouis uenti. idem
Ex sulphure solo neq; ex solo argento uiuo fit lapis phōrū. idē
Ex albo oui fit generatio pulli, & ex uitello fit nutritio. idem
In quibus non est motus localis generatio quomodo fiat. idem
Ex ijsdem generamur, nutrimur & perficimur, idem

Ex arg.ui.generatur, nutritur & perficitur utrunque aurũ scilicet naturale & alchimicum. car.129
Alchimia est uera ratione eiusdem generationis. idem
Auctoris intentio, & exemplum in lacte, butyro, caseo & sero. idem
Inanimatorum ad animata non est totalis similitudo. idem
Doctrina pulchra quo aurũ non generatur ex auro. idem
Laus alchimiæ. idem
Ca.8. si ex ære & ferro possit fieri aurum. car.130
Assa incrudari non possunt, ergo nec perfici. idem
Sulphur duplex in omni metallo, præterquam in auro. idem
Sulphur extrinsecum deletur, intrinsecum uero non. idem
Ar.ui.æris & ferri potest perfici sicut aliorum. car.131
Bonitas sulphuris in quo consistat. idem
Coagulum coagulat partes sibi similes. idem
An arg. ui. possit, sicut & lac coagulari à dissimilibus, quia lac coagulatur ab uua acerba & similibus acerbis, ergo & arg.ui.poterit à sibi dissimilibus coagulari, ut puta ab herbis &c. solutionem quære.
Epistola Boni de materia lapidis. car.132
Auripigmenti natura & quomodo fit realgar. idem
Quomodo ipsa natura compassa sit arti. car.133
Profundissimum philosophorum ingenium. idem
In auripigmento sunt tria principia naturæ. idem
Natura illa tertia quæ, & ubi sit. car.134
Natura non utitur sulphur purũ, neq; arg.ui.purum. idem
Marcasita non est illa natura media. car.135
Marcasita contrariatur naturæ arsenici. idem
Quomodo eadem materia diuersimode informatur. idem
Rectum quomodo discernitur. idem

Tabula

Tabula in Rosario Arnaldi de Villa noua.

Quomodo ar.ui.in sulphur conuertatur. car.137
Mercurij metallorum quomodo differant. car.138
Omni argento est sulphur album, & omni auro sulphur rubeum. car.139
Radij tingentes quibus insint. idem
Quod unicus sit lapis philosophorum. idem
Ex quibus extrahitur & quòd sine Sole & Luna nullus mer. tingit. car.140
Sulphuris albi & rubei archanum & quomodo pater est Sol & Luna mater. idem
Lapis ex sola metallorum materia perfici non potest. car.141
Primum opus lapidis, quod est soluere lapidem in suũ mer. idẽ
Sublimatio luminarium & extrema lapidis. idem
Verum & primum operis principium. car.142
De inuestigatione perfecta lapidis & quo mer. depuratur. idẽ
Primus error est festinantia. car.143
Lapis inhumatur, ut digeratur melius. car.144
Signa perfectæ solutionis. & primi reg. recapitulatio. idem
De secundo regimine, abluere quid sit & actio ignis c.145
Diuisio lapidis per quatuor elementa & diuisio ista quomodo fiat. idem
De ablutione aquæ, & aeris quomodo fiant car.146
Oleum ex omni re quomodo extrahitur. idem
Operationes & signa aeris distillantis. idem
Differentia & operationes aquæ & olei seu animæ. car.147
De ablutione ignis & terræ & de cã ablutionis eorum. idem
De tertio regimine quòd est reducere. car.148

Expositio tertij regiminis Arnaldi. idem
De modo reducendi aquam super terram. car.149
Doctrina imbibitionum & pondera. idem
Recapitulatio tertij regiminis & bene nota totum. idem
De quarto regi. q̃ est fixare seu fermentare cũ fixo. car.150
Confusio sulphurum & fermentorum quando fiat. idem
De mixtione fermenti & sulphuris quomodo fiat. car.151
Vtilitates sequentes ex diuisione elementorum. idem
Qua uia augetur lapis & proiectio. car.152
De seruanda quantitate elementorum. idem
De correctione elementorum & de fusione medicinæ. idem
De ponderibus seruandis in fixione elementorum car.153
De fixione & elixiris compositione ad album. car.154
De reductione aeris super elixir ad album. car.155
De inceratione elixiris albi. idem
De compositione elixiris rubei. car.156
Aurum alchimicum excedit aurum naturæ. idem
De multiplicatione medicinarum. car.157
Elixiris solutio & sublimatio & secretum artis quid sint. idẽ
Proiectio quomodo fieri debeat. car.158
Vltimum caput de recapitulatione totius operis. idem
Epistola Rhaymundi Lulli, quæ dicitur accurtatoria. car.160
Accurtatio mineralis lapidis quomodo fiat. car.161
Lapis uegetabilis quomodo fiat. car.162
Lapis mixtus ex uegetabili & minerali. car.163
Methodus Lacinij super epistolam Rhaymundi Lulli. car.165

Tabula ex collectaneis Rhasis. car.167

In uaporem transire est necesse naturalia cuncta. idem

Tota ars in ſolutione & coagulatione conſiſtit. idem
Atramentum quid & quotuplex ſit. idem
Atramenti præparatio & operatio. idem
Alumen quid & quotuplex ſit car.168
Aluminis præparatio & operatio. idem
Sal quid & quotuplex ſit & eius præparatio & operatio. idē
De ſale armoniaco & eius præparatione et operatione. c.169
De ſpiritibus mineralibus & de arſenico & ſua præparatione. car.170
De ſulphure & ſua præparatione. car.171
De argento uiuo & ſua præparatione. car.172
De auro & ſua natura car.174
De argento & ſua compoſitione atque purgatione. car.175
Documentum de ære & alijs imperfectis. car.176
Experimenta argenti duo ex Rhaſi car.177
De natura æris & ſua præparatione. car.178
De natura plumbi & ſua præparatione car.179
De ſtagno & ſua purgatione, & de ferro. idem

Tabula ex collectaneis Alberti Magni, Diui Thomæ & aliorum. &c.

Doctrina Alberti de ſpiritibus & natura eorum. car.181
De eorum præparatione in communi. idem
De purgationibus ſpirituum in particulari. idem
De natura, eſſētia et præparatiōe atq; fixiōe ſulfuris. car.182
De quiditate & præparatione argenti uiui. car.183
De natura purgatione, & præparatiōe arſenici. car.185
De medicina ſulphuris ſupra Mercuriū, Iouē & Venerē. idē
De operatione eius ſuper Iouem. car.186

Quomodo hæc medicina operatur ſuper Venerem. car.187
De uegetabilibus et animalibus ſecundũ diuũ Thomam. 188
Excuſatio quædam propter eos, qui nimium ſapiunt. car.190
De capillis & ouis & eorum operatione. idem
De inceratione, ſublimatione, & aſſatione. car.192
De calcinatione & diſſolutione. car.193
De diſtillatione & inhumatione. idem
Præcepta Alberti magni. car.194
Quæſtio curioſa Michaelis Scoti. car.195
Ratio ſeu uirtus terminaria ex quo conuenientius elicitur. idẽ
Opiniones de materia prima Solis & Lunæ. car.196
Ratio ſeminaria quomodo nutriatur. idem
Aptitudo formæ, remanet in compoſito corrupto. idem
Cauſa cur oportet aurũ in naturã uaporis conuerti. idem
De reductione & modo reducendi aurum in materiam primam. car.197
Extractio quatuor elemẽtorũ quid fit ſecũdũ hermetẽ. car.198
Quare conuerſio corporis in ſpiritum uocetur terra, lapis & ſal. idem
Secretum eliciendum, ſed non groſſo capiti atq; ignaro. idem
Virtus illa quomodo ſeminatur & in quo loco. car.199
Lapis quare dicatur mineralis, uegetabilis & animalis. idem
Signa infallibilia completi elixeris. car.200
Signa tam intrinſica quàm extrinſeca lapidis. car.201
Natura auri quàm celerrima fit in ſua operatione. idem
Cauſæ multæ quare aurum ipſum cor confortet. idem

FINIS.

ERRATA CORRIGE.

Carta nona, cuius. lege alicuius. carta. 17. decimi methe. 4 Ibidem quando l. quin. c. 21. quæ l. quia. ibidē Aut. l. autem c. 27. nullius l. nullus. ibidem uolantes l. uolentes. ca. 30. ingenui l. ingenij. car. 32. siue l. sine. c. 36. robore l. rubore. car. 37. & l. à. ibidem pariere l. periere. ibidem, receptorie l. deceptorie. car. 38. nil l. uel. car. 41. fortissima l. fortuna. car. 49 in l. ei. car. 55. uolantiū l. uolentium. car. 59. quare l. quomodo. car. 62. ouis l. oui. car. 65. omne l. esse. ibidem prius l. primus. car. 66. riga. 13. forma, superfluum est. car. 73. efficacis l. effectibus. car. 75. metallorū l. elementorū. car. 78. toto l. totum. car. 80. quod l. quid. car. 81. adeo l. duo. car. 83. olim l. oleum. ibidem, operis l. operans. car. 95. a l. aut. ibidem, uel l. nil. car. 98. Nisi l. Mercurius. car. 101. calorem l. colorem. car. 110. non l. nam. car. 111. intellectu l. intellectui. ibidē, fermentū l. fermentari. car. 112. sis l. sit. ibidem, uel l. nil. car. 113 circa l. esse. car. 114. seruauerunt l. seruauerit. car. 115. permittetur l. permutetur. ibidem, sic l. sicut. ibidem, propter l. propterea. car. 120. ponitur l. patitur. car. 121. non l. nam. car. 124. Mercurius l. menstruum. ibidem, stannum l. scamnū car. 128. perfecti l. perfici ibidem, ideo l. non. car. 136. uero l. ucre. car. 138. oratione l. ordine. car. 161. quæ l. qui. ibidē, apportare l. apportari. ibidē, trasmutationem l. trasmutionum. ibidem, transiuissem l. transmisissem. car. 165. generatiua & nutritiua l. generatiuus & nutritiuus. In dialogo ca. 2. riga. 3. laborem l. laborum.

*. **. ***. ABCDEFGHIKLMNOP
QRSTVXYZ. AA BB CC DD.

*Omnes quaterniones, præter * * * duernionem,*
& DD quinternionem.

VENETIIS, APVD ALDI FILIOS.
M. D. XXXXVI.


AL
DVS

Logici Phi: ex nobi indiferum
Fol: 99 *.

134.

Legis Phi:
Fol: 99

ianãtur u
eferũtur
debebit. N
a testes: p
eiusdẽ ge

piã rẽ il
hærent i
iuersa ui
eã minui
isset: pop
o: aut sena
endũ: aut s
dũ igit fui
i cõsulut p

Pretiosa
Margarita

1546